Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

C. VELLEII PATERCULI

HISTORIA ROMANA

EX EDITIONE J. C. H. KRAUSII

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1822.

Ex 16. 140

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

Pag.

ROBERTI Riguez Epistola Serenissimo Delphino . 1

Jo. Christ. Hen. Krausii Prolegomena in C. Velleium Paterculum 4

C. Velleii Paterculi HISTORIÆ ROMANÆ Lib. I. . 37

——— ——— ——— ——— Lib. II. . 74

Fragmentum Velleii excerptum ex Gallica Historia . 254

NOTÆ VARIORUM in Velleii Hist. Rom. Lib. I. . 259

——— ——— ——— ——— Lib. II. . 305

De C. Velleii Paterculi Codice, Editionibus, Interpretibus, et Emendatoribus 481

Index Rerum in Velleio Memorabilium . . . i

Index Latinitatis xxxiii

USED

SERENISSIMO GALLIARUM

DELPHINO

S. P. D.

ROBERTUS RIGUEZ

E SOCIETATE JESU.

EXIRE gestit in tuo nomine, SERENISSIME DELPHINE, Velleius Paterculus; ex quo illum in usum tuum adornavimus. Nec vereor, ut a Te benigne accipiatur: nec me, quominus ejus historiam Tibi consecrem, exiguitas illius deterret. Nam spectabis, opinor, non quantæ magnitudinis sit; sed quos ex illa morum vitæque fructus colligere possis. Colliges sane multos, non decoros solum Principi, sed etiam perutiles. Ex humanarum rerum ac fortunæ, quæ illic legitur, vicissitudine; ex imperiorum atque civitatum occasu, consuesces parvi ista facere: et æquam servare mentem in iis aut tuendis aut appetendis. Ex alienis periculis, et casibus, atque exemplis, quibus abundat, addiscés quid olim in tuis et Regni rebus gerendis tenendum vitandumque sit. Quæ tandem civilis prudentiæ præcepta non expectare licet ab eo, qui non scripsit historiam, nisi sub exitum vitæ in aula duorum Imperatorum anteactæ per omnes urbanarum militariumque dignitatum gradus?

Sed ista commendatione opus non est ad quærendam VELLEIO PATERCULO gratiam. Dudum illi tuum patrocinium utroque nomine debes, et quod jussu Regis, et quod tua causa in lucem prodeat. Deinde id unum debeo profiteri, quod ipse, si per se loqui et se Tibi sistere posset, non sileret. Magnas profecto Tibi atque Regi de isto honore gratias ageret, quem vestro de se judicio adeptus est. Hoc quippe, quanti vos illum feceritis, illustre testimonium est; quod, dignationis uterque tantæ, ille commentarios in eum scribi jusserit, quo tuis studiis commodaret; Tu in ejusdem lectione versari cogites cupiditate discendi. Quanto autem majores ambobus vobis gratias referret, si in aliis quoque Latinæ linguæ auctoribus idem fieri singulari literarum felicitate videret, et uti sermone posset! tum qui hoc possum, præstare debeo, maxime cum et Interpres Velleii, et ex illa Societate sim, quæ literas colit et amat inprimis.

Hoc itaque prædico, et hoc pace dicam ceterorum superioris et hujus ætatis Principum, qui de literis unquam bene meriti sunt: nullum in eas conferri posse beneficium præstantius, quam id quod munificentia Regis acceperunt. Nempe Rex eruditos viros, qui Poëtas, qui Oratores, qui Historicos Latinos et Notis et Interpretationibus illustrarent, intra et extra Regni fines quæsivit, delegit, præmiis invitavit: tanquam distractissimus tot aliorum mole negotiorum ejus animus huic uni rei vacasset. Quod factum quam novum, quam prius inauditum, quam unius est LUDOVICI ubique MAGNI proprium! Ex quo quid aliud consequens est, quam fore deinceps, qui discendi difficultatem excusare merito possit, neminem?

Quanquam Tibi potissimum, SERENISSIME DELPHINE, hujus facti gratia tribuenda est, (Rex enim Maximus haud alio consilio curavit Auctorum Latinorum explanatione literas reddi faciliores, quam ne Tuus in iis progressus retardaretur,) ita tamen, cum tuus et patriæ sit pater, habuit tuorum studiorum rationem, ut aliquam publicorum duxerit. Cum Gallia jam floreret omnibus artibus, eam quoque fieri voluit omnium gentium doctissimam. In Te vero cum

esse illa cerneret, quibus a vulgo facile dignoscebaris; ingenium excellens et indolem regiam; animum item gloriæ cupidum; ejusmodi generis ac naturæ bonis consentaneam optavit esse, quam reciperes, institutionem. Voluit ad omnium artium studia sic incumberes puer, ut vir inter alios Principes non minus doctrinæ, quam ceterarum rerum, principatum obtineres. Quam vero egregie Regis voluntati respondes! Tanta est etiam nunc tua cum industria, tum celeritas in discendo, ut quarto et decimo jam ætatis anno, quo ceteri obvia quæque et quotidiana vix norunt, multiplici eruditione præstes. Quo minus in Gallia miror artium liberalium studia vigere; et hoc unum jam studere Gallicam Nobilitatem, ut exemplo tuo discat. Ut enim quisque Te proxime doctrina attinget, ita et Tibi proculdubio placebit maxime similitudine studiorum atque voluntatum.

Utinam autem quantum isto tuo facto decus attulisti literis, tantam eæ Tibi gratiam referrent! Saltem, quod possunt unum, debitum a se cultum et honorem perpetua tui nominis et tuarum rerum commendatione persolvent: nec unquam domi vel militiæ suaviter aut fortiter quicquam geres, quod non avide statim occupent. Quæ quidem nunc laudent, in Te multa sunt: natura docilis et ad MONTAUSERII fingentis arbitrium tenera et flexibilis, integri mores et amabiles, Christianæ pietatis amor et cultus, denique adversus omnes summa comitas affabilitasque sermonis. At longe majora, quæ prædicent olim, cum Te virum, et paternorum exercituum ductorem maturior ætas fecerit, expectant.

Lutetiæ Parisiorum XV. *Kal. Apr.* 1675.

PROLEGOMENA

IN

C. VELLEIUM PATERCULUM.

I.

DE C. VELLEII PATERCULI VITA.

C. VELLEII PATERCULI nomen, sub quo opusculum ejus historicum circumfertur, e Codice ipso, eoque unico, constitit, non quidem ex indice præfixo, (nam a fronte mutilus erat liber scriptus) sed ex inscriptione vel singularum paginarum, vel libri posterioris. Eam secutus Rhenanus, princeps Velleii editor, singulas paginas editionis suæ C. Velleii Paterculi nomine inscripsit, Burerio, viro in editione prima cum Codice iterum conferenda, ejusque quam minima a scripto aberratione notanda diligentissimo, nihil contradicente. Sed Codicis auctoritatem deseruit Rhenanus in indice editionis suæ scribens: ‘P. Velleii Paterculi Historiæ Romanæ Lib. II.’ Nostrum scilicet cum P. Velleio, exercitus R. in Thracia a. U. C. 774. præside (Tacit. Ann. III. 37. et 39.) permutans; quæ quidem conjectura et Burerio, nihil contra monenti, placuisse videtur. Sed etiamsi Rhenanus Lipsium et Ruhnkenium, ut ceteros taceam, sententiæ suæ fautores habeat; equidem tamen, ponderatis argumentis, Ryckium potius et Ernestum, qui alium quendam, quam nostrum historicum, a Tacito laudatum

putant, sequi maluerim. Ita enim sentio. Cum Velleius, ubicumque occasio daretur, in opere suo militiæ, magistratuum, honorumque, quos deberet Augusto Tiberioque, his quidem gratum animum suum significaturus, domusque Augustæ gratiam captaturus, mentionem injecerit; vix probabile est, eum militiam suam in Thracia actam, imperiumque hoc novissimum, beneficio Tiberii acceptum, silentio præteriisse, cum tamen memoriam sui ævi ad Liviæ usque obitum, h. e. ad a. U. C. 782. persequeretur.

In antiquioribus autem scriptoribus nemo Velleiorum clarus occurrit præter C. Velleium, senatorem, Epicuri disciplinæ addictum, eamque in Ciceronis dialogo de Natura Deorum tuentem, L. Crassi oratoris familiarem, tribunum pl. a. U. C. 664. v. Cic. N. D. I. 6. de Or. III. 21. Is vero non confundendus est cum avo Nostri ejusdem nominis, qui a. U. C. 714. mortem sibi conscivit. Vid. II. 76. Neque ex Velleii scriptoris majoribus esse videtur, cum hic omnium virorum clarorum suæ familiæ memoriam, quantum ex antiquitate repetere eam posset, coluerit. Itaque Epicureus ille potius ex alia Velleiæ gentis, quam Paterculorum, familia fuisse videtur.

De vita Nostri nihil aliunde, quam ex ipso, constat. Nam veterum, qui post eum vixerunt, nemo, neque ipsius, neque operis ejus ullam facit mentionem. Acquiescendum igitur est in iis, paucissimisque, quæ de se, de majoribus, de militia, muneribusque suis operi intexuit; cetera assequi fas est conjectura. In quo haud infelix fuit Henr. Dodwellus, qui 'Annales Velleianos, s. vitam Velleii pro temporum ordine dispositam' edidit Oxon. 1698. 8.

Is enim Dodwellus docte et acute annum, quo natus est Velleius, ex eo, quo gessit quæsturam, assecutus est. Quæstorem enim designatum fuisse, ipse narrat, a. U. C. 759. quo jussus ab Augusto ad Tiberium, adversus Pannoniam Dalmatiamque rebellantes profectum, recens conscriptum exercitum duxit. Vid. Lib. II. cap. 3. Itaque quæstor fuit proximo anno. Cum vero, vel venia ab Imperatoribus data, nemini ante XXV: ætatis annum quæstu-

ram gerere liceret (v. Dodwell. Prælect. ad Spartian. Hadrian. §. 8. et 14.), efficitur, Velleium, tot annos tum agentem, natum fuisse a. U. C. 735. quo Virgilius, Septembri mense, mortuus est, et quidem, cum poëtam inter sui ævi ingenia recenseat, ante hujus obitum. Cf. II. 36.

Majorum Velleii, ad quos memoria ejus exsurgebat, ultimus erat Decius Magius, Campanorum princeps, vir bello Punico altero ob fidem insignem Romanis præstitam ut clarissimus, ita Hannibali infestissimus, cujus in vincula conjecti et Carthaginem deportati, at in itinere tempestate ex hostium manibus erepti, fortunam Livius XXIII. 7—10. tradit. Hujus nepos, Minatius Magius, Velleii atavus, bello sociali eadem fide, auxiliisque privato consilio ex Hirpinis adductis, ita de Romanis meritus est, ut ipse in civitatem reciperetur, ejusque filii ad præturam usque eveherentur. Vid. II. 16. Ab his Magiis Noster genus deduxit vel maternum, vel, ut Dodwellus putat, Magiorum quodam in Velleiam Paterculorum gentem adoptato, etiam paternum.

E Velleiis ultimum laudat Noster avum suum, C. Velleium, cujus honorem, munus militare in exercitu Bruti Cassiique, animum erga Octavianum, vitæque exitum (a. U. C. 714.) auctor ipse II. 76. breviter enarrat. De patre, vero, quem nominatim non laudat, præter dignitatem præfecti equitum, memorabile nihil refert. Vid. II. 104. At patruus ejus, Capito, qui fortasse in Ateiam, vel Fonteiam gentem (utriusque enim Capitones sunt) adoptatus erat, a. U. C. 711. Agrippæ percussores J. Cæsaris ex lege Pedia accusanti subscripsit. Vid. II. 69. Frater denique Nostri, Magius Celer Velleianus, qui, ut agnomen ejus prodit, iterum adoptione in gentem Magiam transisse videtur, legatus Tiberii in bello Pannonico et Dalmatico fuit (II. 115.), deinde in triumpho imperatoris donis honoratus (v. l. l. et II. 121.), et ab Augusto paulo ante obitum ad præturam commendatus. Vid. II. 124.

E gente igitur senatoria oriundus erat Velleius. Nam Epicureus ille fuit senatorius; Minatii Magii filii post bel-

lum sociale ad præturam evecti erant; ipseque Noster militiam a tribunatu militum auspicatus est; quam veniam Augustus senatorum filiis, teste Suetonio Aug. 36. concessit.

Cum vero Romani juvenes, inde a toga virili sumta, ante honores capessendos, stipendia, et quidem dena, facere solerent; Velleius autem, annos fere XXV. agens, quæsturam inierit: patet, eum XIV. fere annos natum e pueris excessisse, (nam ut in multis aliis, ita quoque hac in re sub Imperatoribus haud dubie remissum est,) atque militiam esse auspicatum. Tribunus vero militum merere cœpit in Thracia et Macedonia sub P. Vinicio, consulis, ad quem opus suum misit, patre, et P. Silio. Vid. II. 101. Deinde eodem tribuni gradu militans, in Achaia in agmen C. Cæsaris receptus, cum hoc alias provincias transmarinas obiisse videtur; certe interfuit expeditioni (a. U. C. 754.) adversus Parthos Armeniamque. Vid. II. 101. Caio in Lycia a. U. C. 757. mortuo, Velleius Tiberii ab Augusto adoptati, et protinus in Germaniam missi, castra secutus est, 'præfectus equitum, officii paterni successor.' Vid. II. 102. et 104. His in castris reliquum tempus ad quæsturam usque, et post eam bello Pannonico et Dalmatico, iterumque post Varianam cladem in Germania sub eodem duce per novennium stipendia meruit, scil. ad a. U. C. 765. usque, quo a Tiberio triumphante donis militaribus adornatus est. Vid. II. 104. et 121.

Etenim cum Tiberius, e priori bello Germanico a. U. C. 758. Romam reversus, proximo anno expeditionem adversus Maroboduum, Marcomannorum regem, moliretur, Velleius, quæsturam petiturus, domi remansisse videtur. Interim vero Pannonii ac Dalmatæ, qui rebellantes Italiæ ipsi imminebant, Tiberium a Marcomannis revocarunt, ut exercitu, recens per Italiam coacto, firmatus, hosce motus sedaret. Hæc supplementa Velleius, quæstor designatus, ex Augusti mandato, ad Tiberium perduxit, atque, expleto hoc ministerio, in Urbem redux factus, a. U. C. 760. quæsturam gessit. Vid. II. 108. et 111. Sed hoc ipso in magis-

tratu, ‘ remissa sorte provinciæ,’ iterum legatus Tiberii in Pannoniam missus, expeditionibus ejus omnibus interfuit, non solum ‘ spectator,’ sed etiam ‘ adjutor.’ Vid. II. 111.

Bello Pannonico, a. U. C. 761. et Dalmatico, insequente anno, vix confecto, fœda clades illa Variana in Germania accepta est (vid. II. 117.); ad quam vindicandam Tiberius, e Dalmatia avocatus, cum a. U. C. 763. in Germaniam ex Urbe proficisceretur (vid. II. 120.), Velleius, legati officio functus, eadem castra iterum secutus est. Nam ejus narratio de Variana clade et singulorum ducum fortuna, deque imperatoris sui rebus gestis ita ad singulas partes descendit, ut non nisi in Germania ea compertus esse videatur. Deinde hac militia prioribus stipendiis annumerata, novennium illud, quo Tiberii rerum adjutor fuit Velleius, completur. Biennio post, Germania et Galliis compositis, a. U. C. 765. Tiberius redux in triumpho donis honoravit Velleium. Vid. II. 121.

Ab hoc inde anno magistratus, per quos patebat via ad prætoram, obiisse Noster videtur, nisi veniam, e quæstura ambiendi prætoram, impetraverit. Quod improbabile non est, cum diuturna militia a capessendis magistratibus, per quos ad prætoram ascendebatur, sive tribunatu plebis, sive ædilitate, (nam sic constituerat Augustus. Vid. Dion. Cass. LII. 20.) prohibitus, ab Augusto et Tiberio inter prætoræ candidatos a. U. C. 767. uno tantum anno inter militiam et prætoræ petitionem interjecto, commendatus fuerit. Vid. II. 124. extr. Deinde nulla neque tribunatus, neque ædilitatis, cum ceteros honores nullos præterierit, ab ipso fit mentio.

Eodem autem anno, quo obiit Augustus et Tiberius successit, Noster ab utroque Principe populo commendatus, prætor designatus est. Vid. II. 124. extr. Itaque prætoram gessit a. U. C. 768. ultra quam ascendisse ad consulatum, neque ipsius, neque ullius auctoris extat testimonium.

Neque de reliqua ejus vita post prætoram quicquam constat, nisi quod de operis conscripti tempore, ex illo ipso

ratiocinatione ducta, et de ejus obitu, ex temporum ratione conjectura facta, assequi licet.

Cum enim Liviæ obitu, quæ initio anni 782. U. C. accidit (vid. Tacit. A. v. 1.), opus suum finiverit; cumque ad M. Vinicium cum C. Cassio Longino consulem a. U. C. 783. ad quem orationem sæpius convertit (vid. I. 18. II. 113. et 130.), et ad cujus consulatum rerum gestarum tempora dirigit, librum suum miserit: apparet, Velleium post Liviæ obitum, opus, Vinicio consule designato forsitan susceptum, eodem consule absolvisse. Nec displicet Dodwelli conjectura probabilis, Nostrum, Vinicio honorem gratulabundum, opus confecisse; ne vero consulatus prius exiret, festinantem arctato rerum antiquæ memoriæ complexu acquievisse, et justa, satisque pro rerum magnitudine ampla volumina in præsens omisisse. De quo, neque minus de causis cur ad M. Vinicium consulem libros suos miserit Velleius, certius constaret, nisi opus ejus, initio mutilo, præfamine etiam detruncato, ætatem nostram attigisset. Attamen conjicere licet, vel hunc Vinicium Velleio historiæ talis in compendium redigendæ fuisse auctorem; vel eundem Nostro, sive ob beneficium aliquod, ab ipso, patreve, sub quo stipendia merere coeperat (II. 101.), acceptum, sive ob amicitiam, sive ob gratiam, qua consul apud Tiberium valebat, ornandum opere oblato visum esse et ambiendum. Hunc enim, cujus avus Marcus, et Publius pater, consulares (vid. II. 96. et 103.), ab Augusto ad gravissimi belli ministeria et provincias administrandas adhibiti erant (II. 101. et 104.), inter gratiosissimos apud Tiberium fuisse oportet, cum triennio post consulatum progener Tiberii et conjux Juliæ, neptis Imperatoris et Germanici filiæ, electus sit. Vid. Tacit. A. VI. 15. ubi mite ejus ingenium quoque et facundia laudatur. Exitum ejus, altero consulatu a. U. C. 798. exacto, Messallinæ veneficiis necati, tradit Dio LX. 27.

Sed Velleius, opere suo absoluto, haud diu in vita fuisse videtur. Ita placet Dodwello, qui probabili conjectura Nostrum Sejani oppressum ruina interiisse existimat. Pe-

riit autem Sejanus a. U. C. 784. p. Ch. n. 31. h. e. anno post, quam Vinicio Velleius opusculum suum miserat. Cum enim Tiberius in omnes sæviret Sejani non consiliorum solum socios, sed etiam amicos, vel qui tales esse viderentur (v. Dion. LVIII. 14.); cumque delatores, a Tiberio maximis præmiis et honoribus excitati, e Sejani cultoribus quemque in suspicionem adducerent, et ad supplicia raperent (v. Dion. l. l.): facile extitit quoque, qui, privata inimicitia Velleio infensus, præmiisque allectus, deferret eum, et ad interitum perduceret. Nec difficile erat de Sejani amicitia suspectum reddere Nostrum, qui ingenti laude istum in opere suo extulerat. Vid. II. 127. et 128. Neque difficilius erat delatori, in eundem, qui passim in priori historiæ suæ parte spiritus liberrimi documenta dederat (cf. II. 49. 72. &c.), Tiberii, suspicacis et de imperio vitaque valde anxii, sævitiam excitare. Nam ejusmodi scribendi libertas sub Tiberio, præter alios, perdidit Cremutium Cordum, historicum, qui Brutum Cassiumque in annalibus suis magnopere laudarat. V. Tacit. A. IV. 34. sq. cf. et Sueton. Tib. 61. Quod si ita Velleius eodem anno, quo Sejanus, periit, ætatem 49. vel 50. annorum attigit.

Atque ita factum est, ut a conscribendo ampliori opere historico, quo promisso inde a Jul. Cæsaris rebus enarrandis (II. 48.) brevitatem operis relicti excusat (II. 99. 103. 114. et 119.), mortis casu impediretur.

Sed cum vita omnis ejus memoria apud posteros fere extincta est. Neque enim recentiorum historicorum, neque rhetorum ullus Velleium, hi quidem, tanquam novæ operis historici formæ principem, illi vero, velut rerum gestarum testem, laudarunt.

De ingenio Velleii, quod ex opere dijudicandum est, postquam de hoc disputaverimus, agendum nobis est: cumque de fide ejus quoque, a multis in dubium vocata, disserendum, ea vero aliquam partem ex moribus auctoris æstimanda sit, hos infra describendi justum fore locum putavimus.

II.

DE OPERIS VELLEII INDOLE.

Operis Velleii index, 'Historiæ Romanæ ad M. Vinicium consulem L. II.' sub quo a Beato Rhenano primum editum est, vel singulis quidem Codicis paginis, vel libri alterius initio superscriptus, sed a grammatici manu cujusdam, ambitum opusculi haud penitus perspicientis, et a potiori argumento illud dimetientis, præfixus esse videtur. Velleium enim non proxime Romanorum, sed quoque exterorum res pro operis suscepti modulo persecutum esse, ex prioris libri fragmentis apparet. Nam cum statim ab initio, quantum superest, incipiat inde a Græciæ, post Trojæ excidium, fortuna et vicissitudinibus, easque continuet, intermixtis suo loco et tempore, quæ ad civitatum vel Italicarum (I. 1. 4. 7.), vel barbararum (I. 2. 6.), origines pertineant, usque ad Urbis conditæ ætatem, a qua inde ingens lacuna prioris libri maximam partem, longamque rerum et annorum seriem, ad Perseum usque Macedoniæ regem a. U. C. 580. devictum, hausit; probabile est, Velleium totius orbis antiqui, inprimis vero Græci et Italici, quem nosse civium suorum maxime intererat, origines commutationesque esse complexum, donec ad ea pervenerit tempora, quibus, ut imperium Romanorum terrarum orbem, ita eorum historia ceterorum populorum res gestas hauserit, quasi et in se comprehenderit. Et hæc quidem sunt illa tempora, quibus, Macedonum regno deleto, Carthagineque et Corintho excisis, Romani reliquum orbem imperio suo subjecerunt, omniumque populorum fortunam moderati sunt. Itaque a Perseo inde victo continua pergit rerum Romanarum enarratio ad Liviæ usque obitum, a. U. C. 782.

In priori autem operis Velleii parte mutilata Græcos egisse potiores partes, patet primum vel ex ipsis hujus partis reliquiis, quas Græcorum res ad Urbem usque conditam

potissimum explent; deinde e fragmento Velleii, a Prisciano l. VI. p. 706. servato: 'Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon.' Tum quoque Græcorum natio, ut rerum fortissime gestarum gloria, ita coloniis, commerciis, vitæ cultu, moribus, inventis, artibus ac doctrina, et orbem terrarum omnem, et Italiam Romanamque urbem implevit.

Unde autem Velleius, cum ab initio mutilum sit opusculum, historiam exorsus sit, conjicere licet, tum ex iis, quæ adhuc in principio extant, tum ex historicorum Romanorum more exordiendi rerum narrationem inde a Trojæ excidio, Æneæque et Trojanorum adventu in Italiam. Nam quæ a fronte libri primi leguntur de Græcorum principum e bello Trojano redeuntium erroribus, fatis, civitatibusque passim conditis, ea naturaliter sequebantur Ilii eversi memoriam. Neque deseruisse Nostrum communem auctorum origines Romanas ab Ænea ejusque cohorte repetendi consuetudinem probabile est, maxime cum, ut alio loco videbimus, gratiæ domus Augustæ, quæ Anchisem Venerem-que gentis Juliæ auctores gloriabatur, captandæ sit studiosissimus. Denique a Troja inde capta rerum antiquitatis memoria certior, clarior, amplior, rebusque magnificentioribus magis referta esse cœpit.

Sed cum initio historicæ enarrationis periit quoque auctoris ipsius præfatio: quo factum est, ut consilium auctoris cum ex singulis locis, ubi passim ipse in transitu ad illud se revocat, tum ex operis ipsius forma assequi nos oporteat. 'Arctatum' enim (II. 86.) atque 'recisum' (II. 89.) vocat opus suum historicum; 'promissæ brevitatis fide admonitus' (II. 55.) intra fines propositos sese recipit; 'festinatione sua,' quæ scriptorem præcisum opus suscipientem in rebus memoria dignissimis consistere et morari non patitur, excusat, quod res pro earum magnitudine haud digne persequatur. Vid. II. 29. 52. 86. 99. 124. Hanc 'arctati operis,' quod sibi proposuerat, seu 'formam,' seu 'regulam,' seu 'modum' (ita enim variat) ubi vel digrediendo, vel diutius morando egreditur; violatæ brevitatis promissæ

crimen evitans, aut rerum, ad quas excurrit, gravitate et utilitate (I. 16. II. 38.), aut personarum magnitudine (II. 41.), aut animi graviter commoti impetu (II. 66.), purgare se a culpa conatur. Id vero consilium tot tantasque res, et a barbaris, et a Romanis, ad suam usque memoriam gestas breviter constringendi Velleius pariter, ac Sulpicius Severus, auctor Christianus, quem facile quisque Nostri non solum in operis forma, sed in librorum quoque numero, æmulatorem agnoscit, in præfatione deperdita haud dubie proposuit. Nec a vero prorsus abhorrere videtur, Velleium, ut Sulpicium eundem, multis, qui res in orbe terrarum gestas compendiosa lectione cognoscere properarent, efflagitantibus, ipsi Vinicio forsitan, ut supra Proleg. cap. I. conjecimus, auctori gravissimo, obsecutum, certe sæculo suo, mollitie et laboris, e voluminosis priorum historicorum operibus rerum gestarum memoriam hauriendi, fuga corrupto, ita indulsisse, ut breviori et compendiosa via ad rerum scitu dignissimarum æquales perduceret.

Sed noluit Velleius neque tenues atque exiles annales, quorum unica laus sit brevitas, conficere; neque priorum cujusdam historicorum opus, ut, teste Cicerone ad Att. XIII. 8. M. Brutus in Cœlio Antipatro præiverat, in compendium redigere: sed rerum amplissimarum et gravissimarum speciem, duobus libellis (ita enim ipsi placuit: vid. I. 14.) contractam, eamque, lectoribus, certe Romanis, neque indoctis, perspicuam, efficacem, et gratissimam, oratoria quasi arte elaboratam, tanquam in tabula præcisa, una cum temporum distinctione, proponere ei placuit.

Cum utrumque genus et breviter narrandi et oratorio modo proponendi, tum a rerum delectu et tractatione, tum ab elocutione et dictione pendeat, de utroque videndum est, et quidem primum, quomodo Velleius, brevitati studens, in rebus seligendis et tractandis, historici simul, simul oratoris partes egerit.

Rerum autem delectus duplex est, non solum summorum historiæ universæ capitum, sed etiam rerum singularum, seu partium, quibus illa continentur et explicantur.

In illis vero summis seligendis secutus est Noster res lectoris Romani cognitione dignissimas, voluptate cognoscendi jucundas, ad animos commovendos gravissimas, atque exemplo in utramque partem utilissimas. Quo ex genere sunt omnia, quæ ingenuum et liberalem hominem Romanum nescire dedecebat; quæ eum de gentium celeberrimarum, inprimis suæ, originibus, fortuna, incrementis, virtutibus, disciplina, artibus inventisque erudiebant; quæ magnitudine sua et effectorum vi tum in præsentem rerum statum, tum in consequentia tempora, erant gravissima; quæ et antiquitate, et novitate, et magnitudine et honestate lectores afficerent; quæ vel ad honestum alliciant, vel a turpi deterrent; denique quæ docent, monent, movent, delectant, quippe quæ sequi oratoris est.

Ut vero, intuentes majorem et integriorem operis partem, res Romanas complectentem, singula persequamur, comprehendit Velleius ordine, quæ vel ad vires opesque Romanorum auctas, et ad fines imperii sive per bella, sive per artes dilatatos, vel ad reipublicæ formam et ordinum dignitatumque statum, aut legibus novis, aut præter ordinem legesque institutis, aut domesticis motibus transformatum, vel ad mores et disciplinam, eamque publicam, privatamve, immutatam, vel ad ingenii cultum et literarum artiumque incrementa atque fastigium, vel ad singulorum virorum fortunam pertinent.

Harum rerum enarrandarum agmen quasi ducunt eæ, quæ publice, aut foris aut domi, gestæ sunt, statumque publicum commutaverunt. Has, ut sese excipiunt temporis ordine, annis notatis, auctor disponit per totum opus, easque singulas, quæ veluti partes potiores constituunt, continua serie persequitur, donec ad finem perducta sit earum expositio, ut subsistere, et reliqua minus notabiliora, circa idem tempus gesta, vel incidentia, quæ autem eruditunt, movent atque delectant, subjungere queat. In quibus non semper temporis ordinem strictim sequitur, sed potius memoriæ impetum, rerumque similitudinem invicem sese ultro in animum revocantium, locique opportunitatem.

Instar exempli sint ea quæ seditioni Graechorum (II. 2.-6.) enarratæ 7.-10. subjecit.

Brevitatem sequens, in summo aliquo capite historiæ tractando plerumque ab eo temporis momento, in quo rerum discrimen factum est, incipit, et, quæ ad intelligendam rem priorum temporum memoria repetenda sunt, ea opportuno loco intertexit. Vid. e. c. II. 11. sq. 18. sqq. Neque tamen in re summatim exponenda præterit, quicquid haud nescire lectoris interest: a quibusnam scilicet personis, quo loco, quo tempore, quibus de causis, quibus consiliis, viribus et auxiliis, qua ratione aliquid peractum sit. Vid. v. c. II. 15. sq. In quo ita est diligentior atque copiosior, quo graviora sint, in quæ incidit, tempora. Vid. v. c. II. 48.-56. 84.-86. 110.-116. 117. sqq.

Cum Noster res narrandas perpetua oratione, omnibus partibus aptissime inter se connexis, persequendas sibi proponeret; his transitione idonea jungendis, oratorio more, studuit. Præter enim solennes transeundi et copulandi particulas formulasque, in transitu *vel* rei subsequentis cum præcedente, quæ causæ instar habenda sit, nexum notat (v. c. II. 2. 15. 100.); *vel* acta, cum sequentibus in unum tempus incidentia, in memoriam revocat (v. c. II. 29. 74. 88. 112.); *vel* judicio de rei narrandæ magnitudine, quam operis modus paucis tantum comprehendere jubeat, præmisso (II. 41. 67. 123. 29. 86. 119.), eodemque nonnunquam per sententias, interrogationes, exclamationesque, animi affectu plenas, proposito (II. 106. 110. 114. 122.), legentium animos præparat atque intendit.

Animis lectorum ita præparatis, incipit plerumque a viris summis, sive civibus, sive barbaris (II. 18. 108. 118.), aut virtute claris, aut turpitudine famosis (II. 45. 48. 68.), qui primas rei partes egerunt, atque ad genus eorum et cognationem (II. 2. 3. 17. 29. sq. 41. 59. sq.), ad corporis eorum animique dotes, indolem, mores, studia literarum, fortunamque (v. ll. ll. et II. 11. 45.), ad juventutem et ad vitam, antequam ad rempublicam accesserunt, actam (II. 29. 41. sqq. 59. sq. 108. 117. sq. &c.) digreditur; quibus ex omni-

bus indoles horum virorum, actionum, susceptorum et rerum gestarum causæ, quantum in personis insunt, perspiciantur. Quo in genere, ut quis est nominis gloria major, ita diligentior et copiosior est Velleius in ejus indole moribusque describendis, sibique ita in hoc genere placuisse videtur, ut fere nunquam, ubi in homines ex utraque parte insignes inciderit, imaginem eorum ob oculos ponere prætermittat. Hæ morum notationes, quæ, opportuno loco insertæ, lectoris judicium de his personis mire adjuvant, veritate et orationis brevitate admodum se commendant, insigne operis sunt ornamentum et delectamentum, varietate narrationem distinguunt, legentibusque sunt velut diverticula, ubi animus ex longo et festinante transcursu rerum breviter propositarum requiescere queat.

Deinde ubi ad res ipsas accedit, ita, partibus prudenter seligendis, summam rei conficit, ut, quicquid lectoris ad eam perspiciendam plurimum interesset, minime desideretur. Pro exemplis sit inter alia belli socialis (II. 15. et 16.) et Catilinariæ conjurationis brevis et apta expositio. Sed non solum intelligentiæ lectorum, verum etiam affectuum animi movendorum rationem habuit, iis quidem partibus deligendis, quæ rerum et personarum magnitudinem ob oculos ponant, admirationem excitent, metum injiciant, aut depellant, et lætitiam de exitu instillent, dolorem miserationemque commoveant. Itaque legentium animos sæpius tenet, pericula discutienda oculis objiciendo (v. c. II. 2. 6. sq. 18. sq. 109. et 110. sq.), vires adversarias juste exigendo (v. c. 2. 49. 51. sq. 84. 109. 110. sqq. coll. 111.), impedimenta consiliis et rebus agendis objecta exponendo (v. c. II. 51. sq. 55. sq. 79. sq.), consiliorum, quibus disjecta sunt, rationem, et prudentiam, agendique fortitudinem persequendo (v. II. II. et II. 88. coll. I. 111. 112. sqq.), et tandem ad exitum vel haud speratum, vel deplorandum (v. c. II. 28. 66. 67.), perducendo.

In rebus autem sic tractandis et causis et effectibus rerum brevitatem suam instruxit, quod genus vocant pragmaticum. Quippe causas vel rei universæ, ejusdemque

magnæ, statim initio narrationis uberius subjicit (v. c. II. 2. 6. 13. 44. 48. &c.), vel easdem partium et rerum singularium expositioni interniscuit (v. c. II. 21. 48. 63. 82.); neque solum rationem habuit earum, quæ certo constabant, vel tales sibi videbantur, sed etiam, quæ sive plures circumferebantur, sive quas conjectando assequi licebat. V. c. II. 2. 6. 48. Has vero causas vel e rebus antecedentibus recte derivat (v. ll. ll.), vel ex humani animi indole hominumque moribus, perversis etiam, quorum vis, communi rerum experientia alias comprobata, re ipsa, a scriptore narrata, confirmatur. Hoc ipso in genere placet Velleio plerumque sententiosa proponendi ratio, per locum communem causam comprehendentem ad rem effectam transiens. V. c. I. 9. II. 30. 31. 53. &c.

Ad effecta autem rerum gestarum quod attinet, ea sunt primum res ipsæ novæ, ad statum publicum pertinentes, ex præcedentibus sive exortæ (v. c. II. 2. 15. 22. sqq. 103. &c.); quippe quæ connectendi operis partes, et subsequentia cum prioribus copulandi, magnam præbent opportunitatem. Deinde alia notavit Velleius, vel ad disciplinam morum publicam (v. c. I. 18. II. 1. sq. 3. sq. 22.), vel ad instituta publica, eaque sacra (v. c. II. 25. 27.), vel ad singulorum hominum personas, fortunam (2. sqq. 71. 77. 86.), et mores, ex eventu rerum susceptarum assumtos (v. c. II. 25. 28. sq. 52. 91. &c.), pertinentia.

Etiamsi vero Velleio, brevitatem sequenti, in gravissimis maxime rebus, iisque publicis, versandum erat, tamen varia rerum singularium, et antiquitate, et novitate, et magnitudine lectores afficientium, notitia opus suum distinxit. Hoc ex genere sunt, quæ admiscuit, *aut* de singulari virorum clarorum in re quadam administranda gerendi sese ratione (v. c. II. 37. 45. 55. 114.); *aut* de laudabiliter, turpiterve factis, sive eorum, qui partes rerum secundas egerunt (v. c. II. 16. 51. 63. 85. 87. 116. 119. 120. &c.), sive eorum, qui in fortunæ societatem venerunt (v. c. II. 26. 71. 76. 88. 120.); *aut* de eorundem horum fortuna, facto vel casu quodam singulari nobilitata (v. c. II. 7. 74. extr. 116. sq.

119.); *aut* de virorum summorum vel honeste, vel fortiter, vel scite dictis, virtutem et indolem eorum declarantibus (v. c. I. 10. II. 4. 14. sq. 27. 33. 77. 86. &c.); *aut* de gentium familiarumque, inprimis adhuc Velleii ætate nobilissimarum, fortuna insigniori (v. c. I. 11. sq. II. 10. coll. 72. 11.); *aut* de rebus omnino ad antiquitatem pertinentibus, sive de dignitatum et imperiorum vicissitudinibus (v. c. 2. 30. 32. 16. 89.), *sive* de legum consuetudine in viris eximiis deserta (v. c. II. 12. 30.), *sive* de antiqua severiorique disciplina, vel publica, tam domestica (I. 10. extr. 15. II. 8. 10.), quam militari (II. 5. 78.), vel privata (II. 14. 114. 126.), *sive* de ædificiorum celeberrimorum monumentis, ad Velleii usque tempora perdurantibus (I. 11. sq. II. 1. 8. 48. coll. 130. 31.), *sive* de rerum in pretio habitarum initio. V. c. II. 7.

Præter hæc variavit opus suum Velleius, qui, quicquid scitu dignissimum atque utilissimum erat, sequebatur, digressionibus, quibus genera quædam talium rerum, e singulis ætatibus decerptarum, una specie contracta comprehendit, et post longam continuamque rerum ævi cujusdam gestarum enarrationem, ubi subsistere licebat, legentibus requiem et diverticula parat, generisque harum rerum ipsius notitiam altius inhærentem suppeditat. Cujus rei consilium ipse exponit I. 14. Duo autem maxime sunt rerum genera, quæ a perpetua atque recta narrationis via digrediens perlustravit: alterum ad literarum per diversas ætates inter Græcos Romanosque statum; alterum ad fines imperii civitatisque Romanæ propagatos pertinens. Sic tum ad colonias conditas et civitates civium Rom. jure donatas, narratione ad Carthaginem deletam perducta (I. 14.); tum ad provincias Romani imperii, a Syria, Pompeii virtute subacta, opportunitatem nactus, (II. 38. et 39.) excurrit, incipiens quidem ab harum rerum initiis, sed procurrens ulterius ad extrema, ubi desierunt tempora, ut, quicquid coloniarum conditum, quicquid provinciarum ad suam usque ætatem factum sit, his duobus locis comprehenderet. Ad literas vero Græcas ac Romanas quod attinet, primum

post Macedonici regni exitum, Carthaginisque et Corinthi excidium, ex quo inde illæ deflorescere, hæ vero increscere cœperunt, lectorum mentes Velleius ad eam rem, quæ suum animum vehementer percellebat, intendit, qui scilicet factum sit, ut summa literarum artiumque cujuscumque generis perfectio inter utrumque populum angusto temporis spatio finiretur? Quod ita evenisse in singulis generibus docet, causasque indagat, adjicitque, quod non minus mirandum erat, Græcorum ingenia atque artes unis Athenis fere esse inclusas. Vid. I. 16-18. Deinde post Gracchanas seditiones, circa quas initia literarum Romanarum efflorescentium, inprimis oratoriæ artis, incidunt, summa ingenia oratorum, poëtarum, et historicorum hujus et proximi ævi, brevi cum judicio, enumerat. Vid. II. 9. Neque minus, postquam narratio ad Ciceronis consulatum, a quo inde Augusti ætas, et eloquentiæ literarumque Romanarum ceterarum summa perfectio incipit, hujus ævi excellentia ingenia ad sua usque tempora recenset. Vid. II. 36.

Jam videamus, quomodo et oratoris quasi partes egerit historicus noster. Ipse enim rerum varie afficientium delectus incendere debebat animum scribentis, eumque sensibus varie ita commovere, ut facile affectionem verba sequerentur, eandem lectorum animis instillantia. Hic gravior rerum enarratarum sensus, et animus, vel admiratione, vel indignatione, vel miseratione, vel lætitia ceterisque perfusus ubique spirat, et variis propositionum et orationis formis, quas figuras appellant, quæque naturaliter animum vehementer affectum sequuntur, interrogationibus, exclamationibus, apostrophis, anaphoris, polysyndetis, asyndetis, &c. sese patefacit. Itaque et omnino majorem quasi sonum vocis addidit historiæ, et maxime in ultima operis parte, in qua penitus admiratione et pietate in Augustum Tiberiumque perfusus est, ad panegyricam fere orationem ascendit. Cf. inprimis II. 126. 129. sq. Ubique etiam aperit se studium magnitudinem sensus sui verborum magnitudine exæquandi, quod nonnunquam modum excedere, et in majus augere vel res vel personas videtur; ubique studium,

prouti quæque senserat, orationis luminibus distinguendi, omnique ornamentorum, troporum efficacium, epithetorum gravissimorum, &c. genere instruendi. Eorundem affectuum modum naturaliter sequitur vel brevitas orationis, vel copia, inter se mixtæ.

Frequentes quoque apud Velleium sunt sententiæ, et sententiosum dicendi genus, quod prorsus oratorium est. Non solum enim, quæ finite de certis personis, rebus, temporibusque pronuntianda erant, ea infinita oratione proponit, et singula sub genere universo comprehendit, v. c. I. 12. II. 3. 128. &c. sed etiam sæpius immiscet propositiones universas, s. pronuntiata de universo quodam rerum genere, vel ex ipsa re narrata et similium experientia hausta, vel in re singulari in animum scribentis revocata. His sententiis, quæ quidem lectoris animum acuunt atque instruunt, ita creberrime utitur Velleius, ut, cum simul aciem ingenii et mentis sapientiam scriptoris aperiant, nonnunquam, ingenii acuminis ostentandi causa, avide eas captasse videatur; quod tamen ætatis potius, quam scriptoris unius, erat. Hæ sententiæ occurrunt legentibus, *vel* in fine rei cujusdam narratæ, ut judicia de re exposita acuantur, regantur, et sapienti quodam præcepto animi instruantur, v. c. I. 2. 11. II. 10., *vel* in transitione ad rem novam, eamque magnam miramque, sive ad talis rei novum eventum, tum ut præparet quasi animum, v. c. II. 53. 75. &c. tum ut de causis earum communibus, sive in communi rerum, hominumque natura, sive in fortunæ arbitrio sitis (v. c. I. 12. II. 30. 57. 118.), erudiat. Quo autem hoc genus sententiarum maxime commendatur acumine, id quæsivit inprimis Velleius in antithetis, in quibus illud contraria sibi invicem, et quidem non cujusvis oculis obvia, deprehendendo, perspiciendo, et concinnando sese prodit. Eadem hæc antitheta regnant quoque in toto scriptoris narrandi genere. V. c. II. 1. 5. 49. sq. 84. 117. Quod vero scriptoribus acumina nimis captantibus accidere solet, ut nonnunquam argutentur, adeoque in frigus putidum et puerile incidant, id quoque Velleio obvenit. Vid. I. 16. 18. II. 4. 22. Contra concin-

nitas orationis, membrorumque congruentia, quod genus est ornamenti oratorium, cuique naturalis comes est oratorius numerus, a Velleio, in sententiis antithetisque maxime, observata, veræ ei laudi ducitur.

Dictionem præterea sectatur Velleius, non solum gravissimam, sed quoque exquisitam, a vulgari recedentem, et insolentia ac novitate lectores afficientem, quam et oratores vel delectandi, vel animi sensus plenius et fortius exprimendi gratia, quærunt. Quasi enim vulgaris dictio impar esset magnitudini sensuum atque vehementiæ, vel nova vocabula et dicendi formulas invenit, v. c. I. 6. II. 35. 64. vel frequentativa verba prætulit, vel ad poëticam dicendi rationem ascendit. V. c. I. 16. 18. II. 4. 21. 59. 66. 69. extr. Ut vero dictionis insolentia suaviter afficeret lectores, qui nove dicta tum forte amabant, captavit vel vocabula non admodum frequentata, adeo antiquiores aliorum formas, vel rariores nec vulgo obvias significationes, vel insolentiorem verborum vel cogitatione, vel grammatica ratione jungendorum modum. Neque contentus in sermonis Romani vestigiis institisse, in Græcorum quoque ditionem evagatus est, decerpens inde non solum nominum propriorum formas, scripturam, et flexionem; sed etiam loquendi et construendi verba rationes Græcas affectans. Quod tamen non sine priorum exemplis, sed nimium magis caventium, fecit.

Quanquam oratoris est, pro sensuum et affectuum modo, vel brevitatem vel copiam dicendi adhibere, easque Velleium quoque in opere commiscuisse diximus; magis tamen breve dicendi genus ei placuit, seu festinatione et velocitate cogitationis ad constringendam orationem adactus, seu Sallustii exemplo, quem omnes historiam conscribentes a Velleio inde admirari et exprimere cœperunt, invitatus. Oratio enim ejus ita parca est atque concisa, ut vix salvo sensu demi aliquid verbis possit. Contra quicquid incolumi sententia facile abesse poterat, vel quicquid a lectore intelligente et docto facillime poterat mente suppleri, id relegavit ab oratione; et, quantum pro Romani sermonis, maxime Græca (v. c. in frequente genitivorum usu) imitantis,

ingenio fieri poterat, vel plures notiones, earumque inter se rationem, paucissimis verbis constringit, vel plures sententias uno verborum complexu concludit. Ut igitur apud Sallustium, ita apud Velleium frequenter obviæ sunt verborum cujuscumque generis, particularum, nominum, substantivorum æque ac adjectivorum, verborumque ellipses, sed optimorum scriptorum exemplo comprobatæ. Nonnunquam adeo, quod commune est omnibus brevitatis studiosis, vocabulum ex præcedente cognato, sed diversæ formæ, repetendum assumi jubet; v. c. II. 17. 'consul' ad 'factus est' ex 'consulatum petens.' II. 39. 'stipendiaria' ad 'facta est Numidia' ex præcedente 'stipendium.' Plures deinde notiones vel sub adjectivorum neutris, v. c. II. 84. 'meliora et utiliora' pro *partes meliores et u.* (cf. II. 49.) vel sub epithetis nominibus adjectis, v. c. II. 24. 'externus metus' pro *m. ab hoste externo.* II. 50. 'arma principalia' pro *bellum inter principes civitatis*, complexus est. Pari ratione enuntiationem, pluribus verbis absolvendam, uno vel duobus constringit, ut 'civium voto major,' II. 40. 'in id' s. 'hoc,' pro, *eo consilio*, quod e contextu explicandum est, v. c. II. 27. 114. 'imperio nostro et suo quærens orbem,' scil. novum, II. 46. h. e. *q. o. n. cui nos imperemus, et ipse imperet.* Nonnunquam eadem dictionis parsimonia rem actam quandam declarat, ut non nisi lectoribus rerum non ignaris perspicuus esse possit, v. c. II. 46. 'invictum par consulum,' scil. in contentione de consulatu cum competitoribus; et mox: 'consulatus Pompeii et Crassi non honeste [h. e. per vim] petitus;' II. 49. 'cum Lentulus salva rep. salvus esse non posset,' scil. ob æs alienum gravissimum contractum. Pluribus denique propositionibus una verborum comprehensione concludendis admodum inserviebat patrius sermo, elegantem et frequentem usum participiorum, adjectivorum participii loco usurpandorum, ablativorum absolutorum gerundiorumque; quorum auxilio Velleius egregie est usus.

Etsi vero brevitas dicendi regnat in Velleii opere, auctor tamen ei non ita se addixit, ut, ubi animus commotus orationis angustias respueret, in arctum cogeret sensus; contra,

ubi et perspicuitas rei declarandæ, et gravitas atque magnitudo rei inculcandæ copiam requireret, vim eloquentiæ, quæ hac re continetur, patefecit. Hæc copia inest vel in rebus enarrandis, vel in verbis. Illud genus persecutus est, id, quod caput rei erat, per partes, quæ sensus animumque movendi vim habebant, explicando, ut res eo clarius perciperetur atque ponderaretur. Vid. v. c. II. 22. 66. 70. 106. 120. &c. Eadem animi sensus commotio, quæ illa progenuit, protulit quoque ejusdem sententiæ, quæ graviter scriptorem afficiebat, exaggerationem per novam pluresve similes. V. c. II. 14. 22. 28. extr. 89. Pariter in dictione copia ex eodem animi commoti fonte orta est, cumulatis synonymis seu similibus. V. c. II. 6. 52. 103. In aliis locis, ubi uno verbo defungi poterat, abundantiori dictione numeris et perspicuitati consuluit; huic quidem, *vel* adjecto vocabulo, præcedens magis declarante, v. c. II. 27. 'ferri gestariique,' *vel* proprio, tropicam dictionem explanante, v. c. II. 110. extr. 13. 2. 113. *vel* tropico, altero ejusdem generis clariori, v. c. II. 11. 16. extr. *vel* proprio, altero graviori, II. 18. I. 17. *vel* effectum declarante, v. c. II. 17. 19. *vel* adjuncto vel verbo alio, vel participio modum rei declarante, v. c. I. 9. 12. 15. II. 4. *vel* circumscribendo, v. c. I. 17. 18. II. 55. 94. 125.

Ad numerum orationis quod attinet, eum Velleius concinnitate membrorum, inprimis in morum notationibus, sententiis, antithetisque probe consecutus est. Vid. e. g. II. 1. 18. 29. 46. 48. 65. 73. 85. 89. 126. &c. Sed huic concinnitati adversantur nimis longæ periodi, disparibus antecedentibus, quibus multarum rerum, ad unum caput pertinentium, ambitum una verborum comprehensione constrinxit, cum consequentibus brevioribus junctis, vel contrario modo. V. c. II. 18. Ingratum quoque est, deprehendere orationem atque periodos, easque longiores, parenthesibus longioribus discissas (v. l. l. et II. 13. 28. 58.), quo fit, ut lectori a rerum nexu et summa distracto, iterata lectione, ad initium sit recurrendum. Sed ut illa membrorum periodi ratio dispar excusationem habet in festinatione

scribentis; ita dilaceratio hæc sententiarum per parentheses condonanda vigori memoriæ, res vel temporis, vel causæ, vel effecti ratione connexas advocanti, neque minus studio in summa parsimonia et brevitate notabilia plurima, nihilque, quod lectorum interesset, rebusque intelligendis illustrandisque prodesset, prætereundi. Numeros quoque auriumque sensum offendit nonnunquam vel earundem literarum, et syllabarum, vel similiter sonantium recursus, qui Herelii inprimis elegantem sensum insuaviter affecit in locis II. 20. et 35. Sed in ejusmodi locis non semper aurium nostrarum judicium valere videtur, cum, quid veterum pronuntiandi declamandive ratio in his voce viva correxerit, minime pateat. Deinde etiam scriptori, velociter et cum graviore quodam sensu res volventi, nec satis vacanti verbis et numeris, aliquid indulgendum esse videtur et in his, et in iisdem vocabulis post breve intervallum iteratis. Nam Velleio id quoque genus negligentiæ obrepsit (v. c. I. 2. sq. 4. sqq. II. 4. 22. 79. 109. &c.), etiamsi sæpius facillimo negotio variare poterat dictionem, neque, ut nequiret, dicendi tam inops erat. Nam in rebus simillimis declarandis sæpius variandæ dictioni operam dedit, v. c. I. 9. II. 13. 50. 68. coll. 49. 89. 88. coll. 98. et 105. 110. coll. 113. et 115. inprimis in morum et ingenii descriptionibus. Sed præter excusationem festinationis, supra dictam, fit nonnunquam, ut jam paulo ante usurpato nullum melius aptiusque occurrat. Nonnunquam vero iterationum ejusdem vocabuli culpa grammaticis et librariis, ut in aliis scriptoribus breviter dicentibus, ita in Velleio danda est. Illi enim vel vocabulum modo descriptum, quod animo obversabatur, repetebant (v. c. I. 9. II. 16. 116. coll. 3.), vel, interpretationis causa, margini ascribebant, sive vocabulum e contextu animo repetendum, ut I. 4. extr. sive integram sententiam, vocabulum vicinum continens, ut II. 7. Quæ denique iterationes ejusdem vocis gravitati consulunt, eæ per se habent excusationem, adeo laudem, ut I. 12. II. 35. 98. extr.

Fuerunt, qui Latinitatem Velleii reprehenderent, tanquam inelegantem et a munditie ævi Augustei recedentem; sed

dictione ejus cum optimorum scriptorum exemplis comparata, facile refutantur. Alii contra, iique elegantiæ arbitri locupletissimi, ut B. Rhenanus, G. I. Vossius et Muretus, Velleium 'nulli inter Latinos secundum, castum ac nitidum in dicendo; dictionem ejus plane Romanam atque elegantem; historiam ab eo terse inprimis atque eleganter esse explicatam' judicarunt; quibus astipulatur Ruhnkenius.

Quodnam priorum historicorum exemplum exprimere studuerit Noster, idem Ruhnkenius in præf. sub fin. primus verissime observavit. Etiamsi enim ingenium habebat optimorum auctorum elegantia nutritum, ut adeo eorum sententias, colorem atque ornatum nonnunquam fere expresserit; tamen, deserto Livio eloquentissimo, cui forsitan novitas sua obstitit, Sallustii æmulationi studuisse, ab hoc, ut Ruhnkenii verbis utar, artificium indolis humanæ describendæ didicisse, hujus imitatione efficacem esse et brevitate nervosum, ab hoc denique totum pendere cum in verbis, tum in orationis structura, est manifestum. Sallustius enim omnibus historiarum scriptoribus inde ab Arruntio, Augusti æquali, scriptore belli Punici deperdito, tam mire placuit, ut, in quæ hic ultro inciderat, studiose et temere quærerent, et amputatas sententias, verba ante expectatum cadentia et obscuram brevitatem pro cultu haberent. V. Senec. Ep. 114. Ex his Sallustii æmulis forsitan et Trogus Pompeius fuit, quem sententiarum et brevitatis studium ad nimium acuminum argutiarumque aucupium abduxit, qui istud genus, Ruhnkenio judice, ut Ovidius in ligatam, ita in prosam orationem invexit, et Velleio in eo quoque dux fuit atque exemplum.

Addendum quoque est aliquid de chronologia Velleii, ejusque tempora rerum notandi studio. Etiamsi enim oratoriis sensibus et diserti oris sono concinnavit historiam suam præcisam, tamen cujuscumque facti, vel ejus, in quo rerum summa vertebatur, vel, quod præcipua memoria dignum habebat, annos, erudiendi lectores causa, adjecit. Quo in negotio Varronis, antiquitatis Romanorum doctissimi, æram secutum esse, patet ex 1. 8. Sed, ut decet di-

sertum enarratorem, in tempore signando, variat, vel consules anni, in quem res memorabilis quædam incidit, nominans, vel annum talem retro numerans inde a Vinicio, ad quem scribebat, consule, h. e. inde ab anno U. C. 783. vel addens nonnunquam etiam in rebus maximi momenti et præcipua memoria dignis ætatem Urbis. Præterea, in transitu quoque ad nova rerum capita, eorum tempus, vel breviter repetitis rebus, in idem spatium incidentibus, vel numeratis annis sive ante, sive post rem modo enarratam præterlapsis, notare solet. Uti vero nobis memoriter narrantibus solet accidere, ut verus annus rei gestæ non succurrat, sed nobis fluctuantibus, in eo, qui a vero non multum aberret, acquiescendum sit, adeo memoria decipiamur; ita Velleio quoque, fastos et rerum annales evolvere non vacanti, memoria frustrato, rerum nonnullarum tempus definire accuratius non licuit. Quo factum est, ut, annorum numeris notatis, quasi cavens sibi, frequenter addat illud 'ferme,' ubique fere obvium, ut nonnunquam numeris, quos vocant rotundos, acquiescat, utque a vero, qui aliunde constat, anno, ubi hoc fiat, non multum aberret. Sed magnam partem numerorum, qui scriptorem erroris arguunt sive in annorum, sive aliarum rerum computo, librariorum, quos nulla alia re magis aberrasse constat, vitio corruptam esse, facili negotio probatur.

Jam habes, benevole lector, opusculi Velleii, ejusque virtutum vitiorumque, descriptionem, non quidem perfectam, scriptorisque indolem satis explanantem, (nam sensui tuo, familiaritate cum eo contracta, multum relinquendum est,) attamen judicium tuum de Nostro aliquantum moderaturam. Habuit is inter recentiores eruditos, qui vel virtutes vel vitia ejus altius inspexerunt, et laudatores suos, et vituperatores: æquioribus tamen et sapientioribus, iisque longe pluribus, probatus est. Inter Franco-Gallos autem præcipuum admiratorem et felicissimum imitatorem nactus est virum elegantissimum Henaultum, lectione Velleii indefessum, et opusculi, *Abrégé chronologique de l'Histoire de France* inscripti, et ad exemplum Velleii concinnati, auc-

torem, Nostri opus 'inimitabile operis historici praecisi exemplar' vocantem. Vid. Memoir. de l'Acad. des Inscr. et Bell. Lettr. T. XXVIII. p. 611. sqq.

III.

DE VELLEII INGENIO, MORIBUS, ET FIDE.

Opus Velleii vindicat sane auctori primum ingenii quendam vigorem, et in cogitando omnino, et in sentiendo, quicquid in quaque re insit non solum magni, grande, animumque percellens, sed etiam quid pulchri atque honesti, idque cum quodam affectu. Deinde haud inconspicuum est ingenii acumen auctoris, quo, quæ multitudinis oculos animumque fugiunt, penitius perspexit, cui vero nonnunquam nimium indulgens ad argutiarum vitia abreptus est. Hanc ingenii vim ipse tam rerum experientia, vel ex antiqua, vel ex sua memoria hausta, quam doctrina, ex antiquiorum omnis generis scriptorum lectione hausta, nutriverat. Quarum illa quidem sese aperit vel consiliorum, causarum, et effectorum perspicientia, vel sententiarum, quibus instruit, sapientia: hæc vero elucet ex antiquitatis, sive domesticæ, sive exteræ, non universæ solum, sed etiam in partibus minutioribus, adeo philosophematum (vid. II. 69. 123.), unde orationis colorem duxit, cognitione, neque minus ex oratione ad optimorum scriptorum vestigia expressa. Ex his omnibus enata quoque est auctoris prudentia tam apte seligendi et componendi historiæ suæ argumenta, eaque ad commovendos delectandosque lectores enarrandi, sed etiam circumspiciendi de periculo ex opere suo, inprimis e judiciis de rebus personisque propositis, sibi exorturo, cavendique, ne Tiberium aulicosque offendat atque irritet.

Ad animi vero indolem auctoris quod attinet, hominis sane probi, omnisque honestatis studiosi mores præ se tulit. Odit omne nefas, ac turpitudinem, severaque nota animadvertit in homines magnis morum vitiis et flagitiis infames; in Sardanapalos, Marios, Syllas, Cinnas, Clodios

atque Curiones, Antonios Plancosque. Contra in virorum magnorum personis non solum magnas virtutes, publice patefactas, sed etiam mitiores, animi humanitatem et liberalitatem spirantes, in lucem protraxit. Mores et disciplinam Romanam luxuria, avaritia, potentiæ insatiabili cupiditate corruptam, indeque bellorum cædiumque civilium mala, summa cum detestatione deplorat. Pius est erga majores atque cognatos, pius erga patriam, pius et gratus erga omnes, qui de se bene erant meriti, inprimis erga Augustum Tiberiumque, qui ad honores ipsum evexerant.

Qui cum animi pii gratique erga bene de nobis meritos sensus facile nos arripiat ad eorum admirationem studiumque, ut cum gravi affectu in laudem eorum effusi, extollamus eos, vitia eorum autem vel taceamus, vel obumbremus, vel adeo expurgemus; fieri solet, ut in adulatorum numero habeamur. Idem accidit Velleio, Imperatores suos, quorum beneficiis obstrictus est, admiratione et laude prosequenti. Inde apud doctos in adulationis, et quidem abjectæ, crimen incurrit, cum aliorum scriptorum auctoritas hos Cæsares, inprimis Tiberium ejusque amicos, quam severissime notaverit. Horum vituperatorum Nostri princeps est I. Lipsius, et in præfatione et in animadversionibus passim eum carpens. Primus contra ejus defensionem suscepit Ruhnkenius in præf. Editionis suæ, deinde majori cum cura Jacobsius in Versionis vernaculæ Velleii præfamine, denique quam diligentissime Car. Morgensternius, una cum examine locorum de adulatione suspectorum, in Comment. critica de fide historica Velleii P. inprimis de adulatione ei objecta, quæ Editioni nostræ majori præfixa est.

In adulandi autem studium Velleio vertitur non solum, quod Cæsares, domum Augustam, Cæsarumque amicos, præter aliorum historicorum fidem, qui illorum malas artes et nequitiam testantur, vel a vitiis humanis immunes, vel, prætenta ipsis his vitiis honesti specie, humana natura longe superiores ostendat, et, fictis falsis, speciosissima laude exornet; sed etiam quod iniquus sit in eos, qui invisi erant Cæsaribus aulicisque, quodque personarum laudem vitu-

perationemve suam ex gratia odioque, quibus aula eos prosequeretur, temperet. V. c. II. 116. 125. II. 101. coll. 103. sq. 100. sq. 129. 130. Quam maxime autem offendit Tiberii Sejanique, fœdissimorum hominum, laus; illius quidem adeo per totam imperii Augusti enarrationem ita dissipata, ut potius Tiberii, quam Augusti, memoria tradatur.

Sed ad diluendum hoc adulationis crimen auctori nostro objectum, multa in promtu sunt. Primum si Velleius Cæsarum potentiorumque aulicorum laudem adulanter et cum admirationis sensu prædicaverit, id magis sæculi, quam ipsius, vitio dandum esse videtur. Etenim omnes fere, qui Romani nominis erant, vel beneficiis Imperatorum obstricti, vel metu dominationis adacti, inde ab Augusti initiis ad infimam adulationem delapsi sunt. Ea quoque est scriptorum poëtarum principum, poëtico quidem spiritu excusabilium, æque ac prosaicorum per tempora dominationis imperatoriæ vox perpetua et ita communis, ut servilis animus, quem istæ voces spirabant, vix ab ipsis, vix ab æquâlibus sentiretur.

Qui deinde penitius intellexerunt illos scriptores, et ipsum Velleium, eos non fugit liberalis quidam animi istorum spiritus, sed prudenti arte mire temperatus. Velleius enim bene multa dedit, in priori maxime operis parte, liberioris spiritus documenta, quibus a veri æquique sensu et a partium studio alienum se præstitit. Cum enim optimatium causæ ac partibus addictum se patefecerit, tamen, vel vitiis adversariorum earum partium castigatis, virtutes horum non reticet, potius egregie collaudat; contra in optimatibus etiam mores pravos, temeritatem, sævitiam, impotentiam, aliaque vitia agnoscit et vituperat. Id adeo facere non dubitavit, ubi ad Cæsaris et insequentia tempora pervenit, de quibus, ipse post extinctam libertatem sub unius auspiciis natus, cum prudentioribus sensit, qui rem Rom. ad eam temporum necessitatem esse redactam putarent, ut unius imperium communi saluti quam maxime conduceret. Catones adeo, Brutos, et Cassios admiratur, eorumque virtu-

tem, fortitudinem, ingenium, inprimis M. Bruti, insigniter celebrat, fortunamque eorum cum gravi sensu enarrat, vid. II. 35. 58. 69. 72. neque tamen, quæ vituperanda erant in Catone, reticet (vid. II. 45. 49.), et percussorum Cæsaris ingratum animum atque causam improbat. Cæsaris adeo errores et imprudentiam tangit (II. 35. 44. 45. 56. extr.), neque ea, quæ Augusto imputari poterant, et a nonnullis vere imputabantur, silentio prætermisit. Vid. II. 66. 74. Sed in his rebus tractandis ea arte usus est, primum ut in adversariis Cæsaris nimiam caveret laudem, quamque iis tribueret, eam haud immerita vituperatione temperaret; deinde ut Cæsarum errores lenissime tangeret (vid. II. 35.); tum ut eorum, quæ hi deliquerant, culpam in alios relegaret (vid. 50. 56. extr. 66. 74.); denique in his omnino famam judiciaque aulæ sequeretur. Certissimum enim est, Augustum imprudenter facta Julii Cæsaris improbasse, seduloque cavissè. Sequens ita aulæ famam atque judicia Velleius duces quoque habuit scriptores, maxime poëtas, ævi Augustei; neque unquam sane magis consilii erat, eorum prudentiam imitari, quam sub Tiberii, suspicacissimi et sævissimi hominis, imperio. Huic vero rei se studuisse, inprimis in virorum personis, invisis Tiberio, dijudicandis ipse prodit (II. 93. sq. 97. 102. 121.), ne igitur dubitandum sit, eum in reliquis etiam ex aulæ sententia suam temperasse. Id sane in Sejani laudibus perspicuum est; cujus gratia apud Tiberium florentis tempora cum enarraret, recedendum non erat prudenti scriptori a Principis de hoc homine judicio, ex indolis morumque ejus specie temperato. Cf. Tacit. A. IV. 1. et 2.

Metus sane Tiberii atque aulæ rexit Velleium in scribendo, sed non prorsus corrupit ad infimam adulationem, et veræ historiæ depravationem; potius intendit quam maxime ejus prudentiam atque calliditatem, ut, cum semel otium ac silentium, opere suo (incertum, qua ratione ad scribendum compulsus sit) suscepto, fugisset, periculo suo evitato, fidei historicæ, quam posset fieri, satisfaceret. Ubi enim ad Tiberii initia pervenit, primum maxime in iis vir-

tutìbùs laudandis versatur, quas nemo, neque æqualium, neque scriptorum serioris ævi, qui gravissime eum castigant, denegare ei ausus est, v. c. ingenii dotes, virtutem bellicam, res præclare fortiterque bello gestas, singularem laborum patientiam et officiorum curam, duriorem vitæ disciplinam, mollitiei luxuriæque fugam, prudentiam ducis, humanitatem erga milites, severitatem erga eosdem miti clementia temperatam, modestiam, civilem animum, libertatisque, quantum sub unius auspiciis fas erat, studium. Vid. Sueton. Tib. 18. 24. 26-30. Neque, quæ de Sejano prædicat (II. 127. sq.), a veritate abhorrent. Cf. Tacit. A. IV. 1. et 2. Deinde vero cum uterque multas virtutes simulanter fingeret, quarum vanitas postea deprehensa est, Velleius vel pravitatem animi eorum obvelatam, pietate erga Principem præpeditus, haud perscrutatus perspexit, vel perspectam haud aperire, potius, et vulgi specie occœcati, et aulæ Imperatori faventis, judicia sequi maluit, cum Tiberius, quem sive colebat, sive metuebat, nihil ægrius ferret, quam recludi quæ premeret arcana pectoris. V. Tacit. A. IV. 71. Abhorret igitur Velleius a recentioribus scriptoribus maxime eo, quod ille in externa magis rerum specie honesta acquieverit; hi vero, ultimam maxime Tiberii vitam moresque, postea patefactos posterisque traditos, intuentes, nullo periculo tum, cum scribebant, sibi imminente, internos istius sensus, animique fœditatem in lucem protraxerint. Tum ne incideret in acta Tiberii vituperanda, utque offensionem, in quam descendendo ad singula facilius incurrere poterat, evitaret, summam tantum imperii ejus persecutus est, excusationem hujus consilii in viva æqualium memoria habens; vid. II. 126. Ita sane fas erat scriptori multa omittere, multa, quæ præterire periculosum erat, breviter attingere, atque honestatis specie ab aula ipsa prætenta obtegere.

Denique non prætereundum est, oratoriæ amplificationi et exornationi, cui Velleius studet, aliquid concedendum esse, ubi adulatoris personam induisse videtur. Illa enim

effectum est, ut multa os adulatorium resonent, quibus, ornatu detracto, nil nisi mera veritas subsit.

Neque in vitium verti potest Velleio, quod in Tiberii gratiam justo iniquior esse videatur erga exteros hostes, inprimis erga Germaniæ populos, a Tiberio debellatos, ita, ut eos, qui nunquam Romanis obedierint, armis captis, rebelles dicat, eosdem perterritos tantum, repulsos et dissipatos, pro fractis penitus, victis, atque deditis habeat, omninoque eorum decori multum detrahat. Hoc sane arrogantiæ Romanæ est, qua omnes scriptores hujus populi laborant.

Quæ omnia cum ita sint, animus et voluntas ejus profecto adulandi vitio ita corruptus non fuit, ut exueret subito veritatis studium, quod in superiori operis parte prodiderat. Idem potius studium in extrema quoque particula e rerum selectu et callida ratione eas tractandi elucet.

In æstimanda igitur Velleii fide voluntas ejus vera narrandi in dubium vocari nequit; in quantum vero obsecutus ei fuerit, facile ex ejus animi indole, sensibus erga Tiberium et domum Augustam, ex Principis, quem enarrabat, ingenio et moribus, temporumque ex conditione, comparatis aliorum auctorum testimoniis, exigi potest.

Idem vero veritatis studium patet quoque in antiquiori historia tradenda ex ratione quam minime temeraria, qua, quæ tradita acceperat, retulerit. Nullius enim, neque celeberrimi auctoris testimonium temere sequitur, sed potius examinat tradita e rei temporumque ratione, quæque veritati vel consentanea sunt, vel proxima, amplectitur; cujus rei luculentum exemplum extat I. 7. Deinde aliorum scriptorum, qui vero eruendo, cum possent, operam nullam dederunt, levitatem castigat. II. 53. Denique in scriptorum de eadem re, eaque non manifesta, discrepantia, ne præcipiti judicio suo fallat lectores, diversitate sententiarum notata in medio rem relinquit, Vid. II. 21. 27. 48. Quæ omnia sunt scriptoris probi et veritatis studiosi; neque, talem se in reliquis, quæ tradita ab auctoribus retulerit, gessisse, im-

probabile est, ut in iis, quæ a scriptorum adhuc extantium testimoniis dissona tradiderit, aliorum deperditorum narrationem bene exploratam sibique probatam secutus esse videatur.

Si vero fides Velleii ex vera tradendi facultate æstimanda est, alia sane ejus est ratio in antiquiori rerum memoria, alia in ævi sui historia. Ad hanc enim quod attinet, æqualis est rerum gestarum inde a Caii Cæsaris, Agrippæ filii, initiis (II. 101.), earumque plurimis interfuit. Cf. supr. Vitam Velleii. Quas vero res ipse non vidit, eas cognitas habere potuit ab iis, qui temporibus interfuerunt, neque exiguas rerum partes egerunt, v. c. a Viniciis, aliisque, qui in bello Delmatico et Germanicis militaverunt, ore traditas. Quo factum est, ut Velleius, his narrandis, multa singularia, quæ aliis non innotuerunt, solus referat. Proximorum vero Augusti temporum, quæ ætatem ipsius superabant, memoriam pernoscere ei licuit, vel ex eorum, qui rerum tum gestarum socii, adjutores, et spectatores fuerunt, viva narratione, vel ex eorundem talium operibus, v. c. ex Augusti ipsius de vita sua libro, quem laudat II. 59. ex Mæcenatis de rebus Augusti opere, ex Asinii Pollionis bellorum civilium historia, vel ex historicis huic ætati proximis, qui has res pertractarunt, v. c. ex Livio, qui ad Drusi Neronis obitum historiam suam persecutus est, et ex Cremutii Cordi, qui sub Tiberio scripsit (Tacit. A. IV. 35.), annalibus. Ex illorum æqualium Augusto, eique deditissimorum, operibus haud dubie magna pars laudis, qua principem illum ornat, famaque aulæ in Velleii libros promanavit, nonnullaque inde fluxisse videntur, quæ apud alios haud tradita, vel aliter, inveniuntur.

In antiquiorum autem temporum memoria fides Nostri constat ex auctorum, quos secutus est, probitate. Hos autem nusquam monstravit, præter Catonem, quem de re Italica et ætate Capuæ urbis confutat I. 7. et Hortensium, ad cujus annales relegat, II. 16. Sed alienum a probabilitate non est, Velleium in rebus Romanis, quos in opere suo (II. 9. et 36.) laudet historicos populares, eos habuisse cognitos atque consuluisse, v. c. Sisennam, Cœlium Antipa-

trum, Rutilium Rufum, Claudium Quadrigarium, Valerium Antiatem, præ ceteris Sallustium et Livium; illum quidem non solum de Catilinaria conjuratione et de bello Jugurthino, sed etiam de reliquis rebus, quas deperditum illius opus complectebatur. Nam utrumque principem historicorum Romanorum sæpius ad verba fere usque expressit. Præter hos etiam alios auctores, qui rerum ævi sui partes egerunt, et acta a se literis consignarunt, adhibuisse in usus suos videtur, v. c. Ciceronis scripta, inprimis orationes, ejusdemque et æqualium epistolas; forsitan quoque et acta tabulasque publicas, saltem ab aliis jam scriptoribus publici juris factas. Ut enim nonnunquam Ciceronem ipsum expressit, ita quoque in pace cum Mithridate per Syllam facta (II. 23.), et in Bruti Cassiique edicto (II. 62.), verba ipsa talium actorum publicorum secutus esse videtur. In Græcorum exterorumque autem historia quosnam auctores habuerit Velleius, ipso tacente, nusquam apparet in prioris libri parte superstite; qui si totus superesset, conjectura forsitan aliquid assequi liceret. E Thucydide sane, quem Sallustii magnum exemplar (II. 36.) laudat, in Græcorum historia multum proficere potuit, ne tamen eum reliquorum historicorum Græciæ fuisse expertem dicere ausim. Multa quoque rerum Græcarum barbararumque e Trogo Pompeio haurire potuit, et fortasse hausit, attamen non perpetuo. Statim enim ab initio recedit a fama quam secutus est Trogus de Metaponti conditore. Vid. Addenda Edit. nostræ majoris ad I. 1. Ibi enim et aliis in locis passim, ubi a vulgari memoria recedere videtur, aliam famam a bonis scriptoribus servatam Nostrum secutum esse, eruditorum meaque opella demonstratum est; vid. v. c. Ruhnk. ad I. 4. et Add. nostra ad I. 3. &c.

Firmissimum autem fidei Velleii argumentum est perpetuus fere consensus ejus cum aliis auctoribus, quos consulere de rebus, quas tractat, fas est, quique memoriam rerum haud vulgarem sibi traditam servarunt. In his cum Velleio comparandis et Editores jam ante me operam suam posuerunt, et ipse in Editione paranda denuo hac de re labo-

ravi, nondum usus Cl. Morgensternii diligentia, qui in Commentatione sua supr. laud. hoc in genere multus fuit. Ita factum, ut multis in locis vel malæ fidei vel adulationis macula, a Lipsio maxime aspersa, a Velleio abstersa sit, utque, si iniqui esse nolimus, Nostrum in reliquis quoque, quibus desint aliorum testimonia, haud improbum esse auctorem, judicandum sit, maxime cum, consideratis temporibus, locis, rebus, ac personis, interna, quam vocant, narrationis Velleianæ probabilitas emergat.

Videamus denique, quid damni ista fidei suspectæ et adulationis criminatio, qua ne apud æquales quidem, et proximi ævi homines, temere judicantes, caruisse probabile est, ejus opusculo attulisse videatur. Vidit hoc primus Herelius in krit. Beobacht. üb. d. Velleius, p. 7. not. qui inde causam sibi reperisse videtur, cur nomen scriptoris nostri jam inter veteres obscuratum, ejusque opus haud celebratum fuerit. Apud æquales enim, qui aulæ auram captabant, haud dubie laus eximia Sejano scelestissimo homini tributa post ejus supplicium famæ Velleii obfuit, sique inter participes consiliorum istius morte luit, auctorem sane talis encomii una cum opere suo detestati sunt. Alia sane pars æqualium, Tiberio infensorum, sprevit scriptorem Principem detestabilem serviliter adulantem. Neutra pars neque legendi, neque describendi operis cupida fuit. Qui æquius judicabant, sed pauciores profecto, hi soli occultasse, lectitasse, et descripsisse Nostrum videntur, ne in Principis sævissimi suspicionem et invidiam inciderent. Ita inter paucos tantum divulgatum Velleii opus, atque posteris, liberius severiusque de Tiberio judicantibus, traditum; neque his vel ob adulationem, vel ob veritatis, Tiberii metu corruptæ, speciem placere potuit. Ita profecto factum esse videtur, ut Noster infrequentius lectus, descriptus, et nulla dignus memoria sit habitus, etiamsi novam scriptionis formam, virtutibus suis non carentem, invenerit. Attamen insequens ævum haud ignorasse eum, docet haud infrequens aliorum, vel in concinnandis historiæ compendiis, iisque jejunis, vel in dictione ingeniosa, arguta, atque intumes-

cente, Velleii imitatio. Inter quos studiosissimum præ ceteris, sed longe inferiorem æmulum habuit Sulpicium Severum. Sed Lucanum quoque poëtam dictionem et sententiarum colorem a Nostro mutuatum esse, facile ex utriusque comparatione cognoscitur.

Tali e contemtu, quo laboravit Velleius, eque codicum ejus raritate intelligitur, cur, præter unicum, idque exiguum fragmentum apud Priscian. VI. p. 706. 'Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon,' nullum aliud repertum sit. Nam fragmentum de Sueverum e Romanis victoria, quod e Velleii Historia Gallica excerptum vulgavit Wolfg. Lazius Comm. de Rep. Rom. I. 8. non Nostri, sed Galli cujusdam, qui Caroli M. ætate scripserit, docuit jam, præter alios, G. J. Vossius de Histor. Lat. I. 24. cf. Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 22. sq.

JO. CHRIST. HEN. KRAUSE.

C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ

AD M. VINICIUM COS.

LIBER I.

1. *** tempestate[1] distractus a duce suo Nestore,[a] Metapontum[b] condidit. [a. Chr. n. 1190. p. Troj. capt. 1.] Teucer,

1 *Qua tempestate* leg. Cludius, qui et *Epeus* addidit post *Nestore* ex con-

NOTÆ

***] Antea Velleius enumerabat, ex Græcis ducibus ad bellum Trojanum profectis, quam quisque urbem, everso Ilio, rediens condidisset. At de quo hoc initium? Certe de Metaponti conditore. Quis ille autem, non admodum constat. Tradunt Stephanus et Salmasius fuisse Metabum, Sisyphi filium. Lipsius Epeum, adductus maxime auctoritate Justini, qui XX. 2. refert Metapontinos in Templo Minervæ ostentare ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit. Utriusque tamen mentio apud Homerum nulla: maxime Iliad. B. ubi recenset nominatim eos, qui Trojam cum imperio navigaturi erant. Aliunde Strab. lib. VI. scripsit a Pyliis conditam fuisse Metapontum. Tu sequere in explicando quem voles: non errabis, modo intelligas unum ex iis qui Nestoris auspiciis classi Pyliorum imperabant.

[a] *Nestore*] Nestor rex Pyli in Triphylia Elidis regione; ut Strabo definit lib. VIII. Jam senior ad Trojam, quo quinquaginta navibus venerat, Græcorum res adeo suis consiliis promovit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, se Ilium brevi expugnaturum fuisse, si decem Nestoras habuisset. Cicer. de Senectute.

[b] *Metapontum*] Urbs ad sinum Ta-

non receptus a patre Telamone, ob segnitiam non vindicatæ fratris injuriæ,[c] Cyprum appulsus, cognominem[2] patriæ suæ Salamina[d] constituit. Pyrrhus,[e] Achillis filius, Epirum[f] occupavit: Phidippus[3] Ephyram[g] in Thesprotia. At rex regum[h] Agamemnon, tempestate in Cretam insulam rejectus,[4] tres ibi urbes statuit: duas a patriæ nomine,[i] unam a victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum. Idem mox scelere patruelis[k] fratris Ægisthi, hæreditarium[l] exer-

[c] *Quia, præ desidia, non erat ultus injuriam fratris.*

jectura.—2 Ita Ed. Basil. Bipont. Ruhnken. et al. *Cognomine* Ed. pr. it. Lips.—3 Ita Aldus Nep. Ed. Lugd. Bat. 2. et Ed. Bipont. Ed. pr. *Philippus.*—4 Maluerunt Drakenborch. ad Liv. 23. 24. Ruhnken. et Recens.

NOTÆ

rentinum inter Heracleam ad Austrum, et Tarentum ad Boream; in ea Italiæ parte, quæ Magna Græcia vocata est. Clara est morte Pythagoræ insignis Philosophi. Nunc *Petelicore*, teste Barrio: cui fido magis, quam Leandro et Ananiæ, quibus dicitur, *Torre di mare.*

[c] *Fratris injuriæ*] Occiso Achille, Ulysses a judicibus prælatus fuerat Ajaci, promissa sibi Achillis arma repetenti: Ajax autem Teucri frater fuit.

[d] *Salamina*] Telamonis, Ajacis, et Teucri patria fuit Salamis, insula inter Peloponnesum et Atticam. Huic insulæ cognominis urbs in Cypro, de qua hic sermo, postea, teste Stephano, dicta est *Constanza:* teste Nigro, *Famagosta.*

[e] *Pyrrhus*] Neoptolemus cognominatus est, quod adolescens primum in bello Trojano tirocinium militiæ posuisset.

[f] *Epirum*] Græciæ regio inter Ionium mare et Thessaliam, ac inter Macedoniam et Achaiam. Nunc Albania inferior a multis dicitur.

[g] *Ephyram*] Urbs Thesprotorum in Epiro, ad sinum Glycym: deinde, teste Strabone, dicta *Cichyrus.*

[h] *At rex regum*] Dux ducum, quia consensu omnium, qui cum aliquo imperio erant, exercitus imperator electus.

[i] *Duas a patriæ nomine*] Hic hærent, quorum extant in Velleium notæ. An, inquiunt, Agamemnoni duplex patria fuit? Alii corruptum locum putant, de Tegea, quid illa ad Agamemnona, nescientes quicquam. Alii ex Stephano docent Tegeam non ab Agamemnone quidem, sed a Talthybio ejus præcone exstructam: et sic Agamemnona dici non immerito potuisse hujus urbis fundatorem. Hujus ego loci sensum esse putem: Agamemnona in Cretam insulam tempestate rejectum, tres urbes ibi exstruxisse, Mycenas, Tegeam, Pergamum; duas a nomine totidem urbium Peloponnesi patriæ suæ; alteram a captæ Trojæ memoria.

[k] *Scelere patruelis*] Vocantur patrueles, vulgo, *Cousins germains*, qui sunt fratrum filii. Erant autem Ægisthus et Agamemnon, ille Thyestis, iste Atrei filius.

[l] *Hæreditarium*] Thyestes pessime semper oderat Atreum fratrem. Cau-

centis in eum odium, et facinore uxoris[m] oppressus occiditur. Regni potitur Ægisthus per annos VII. Hunc Orestes, matremque, socia consiliorum[n] omnium sorore Electra, virilis animi fœmina, obtruncat. Factum ejus a Diis comprobatum, spatio vitæ et felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC. regnavit LXX.: qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Nam quod pactæ[o] [ejus],[5] Menelai atque Helenæ filiæ, Hermiones, nuptias occupaverat, Delphis[p] eum interfecit.[b] Per hæc tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia,[q] sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit. (Is[6]) pervectus in Italiam, et loco et incolis, et mari, nobile ac

[b] *Nam quia prius duxerat uxorem Hermionen, filiam Menelai atque Helenæ, sibi promissam, eum occidit Delphis.*

Berol. *devectus*.—5 Hottingero suspectum. Aldus corrigit *ei*, probante Ruhnken. Cludius conj. *sibi*.—6 *Is* addidit Munckerus, non improbante Ruhnken. qui tamen in textum suum non recepit. Deest quoque in Burm. Ed.

NOTÆ

sæ odii, tum quod Atreus fratrem in exilium ejecisset; merito quidem; nam uxori suæ stuprum intulerat; tum quod illi, ab exilio revocato, susceptum ex adulterio filium epulandum apposuisset.

[m] *Facinore uxoris*] Clytæmnestræ. Nimirum cum Ægistho in viri cædem consenserat: immo etiam parato convivio, quo suum consilium melius tegeret.

[n] *Socia consiliorum*] Electra Oresti necem parari prævidens, eum clam materno odio subduxerat, educandumque Strophio, Phocensium principi, Pyladis patri, crediderat. Apud quem Orestes aliquot annos moratus, et Argos rediens grandior, sorore reditus fraterni participe, cum sub specie Phocensium, quos Strophius mittebat Orestis mortem nuntiaturos, intromissus esset ad Clytæmnestram, hanc una cum adultero in vindictam patris occidit. Ob id scelus Furiis agitatus esse dicitur.

[o] *Pactæ ejus*] *Pactus* passive, pro *promissus*. Cic. ad Att. l. v. ep. 21. 'Nec dubitat Deiotarus, cujus filio pacta est Artavasdis filia.' Ovid. Trist. l. v. el. 2. 'Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.'

[p] *Delphis*] In templo Apollinis. Delphi tam pro oppido quam pro oppidanis, plurali tantum numero. Urbs Phocidis in Achaia ad Parnassum: nunc viculus, *Salona*, teste Nigro.

[q] *Lydia*] Asiæ minoris regio, inter Ioniam ad occasum, et Phrygiam magnam ad ortum.

perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum, filii ejus, Penthilus[7] et Tisamenus, regnavere triennio.

2. [a. Chr. n. 1111.] Tum, fere anno octogesimo post Trojam captam, centesimo et vicesimo, quam Hercules ad Deos excesserat, Pelopis progenies,[r] quæ omni hoc tempore, pulsis Heraclidis,[s] Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperii fuere, Temenus,[8] Cresphontes, Aristodemus;[t] quorum abavus[9] [u] fuerat. Eodem fere tempore Athenæ[v] sub regibus

Bipont. et aliis recentioribus. Cludius *Sors T. contigit, qui, &c.*—7 Ed. pr. *Penthelus.*—8 Ed. pr. *Teminus.*—9 Ita ex correctione Meursii et Sca-

NOTÆ

[r] *Pelopis progenies*] Pelops Tantali filius fuit. Hic cum hospitio Deos excepisset, experiundi causa an essent Dii, discerptum membratim Pelopem in convivio comedendum iis apposuit. Sed a nefandis epulis abstinnere omnes præter Cererem, quæ humerum pueri voravit. Vitam Pelopi pariter, et humerum eburneum Jupiter reddidit: Tantalum vero detrusit ad Inferos. Cum postea Pelops adolevisset, in Elidem se contulit, ubi Hippodamiam Œnomai filiam uxorem duxit; ac demum regno potitus, universæ regioni Peloponnesi nomen dedit. Peloponnesus enim quasi Πέλοπος νῆσος: hodie, *la Morée*.

[s] *Pulsis Heraclidis*] Id non interpretandum quasi Pelopidæ primi ejecissent Heraclidas e Peloponneso; hoc enim tribuendum Eurystheo Mycenarum regi, sub quo Hercules vixit: sed eo sensu, quod Heraclidas postea Peloponnesum repetere conantes repulerint.

[t] *Aristodemus*] Nonnulli Velleium erroris reprehendunt, cum tradunt ex Apollodoro Aristodemum, dum apparabatur reditus, fulmine tactum periisse, ac in ejus locum venisse liberos Eurystheum et Proclem. At immerito: atque ex reconditiore scientia Velleius, cum quo sic Herodotus docet lib. VI. Lacedæmonios, nemini Poëtarum assentientes, tradere, se ab Aristodemo regnante, qui fuit Aristomachi, qui Cleodæi, qui Hylli, in hanc regionem, quam nunc obtinent, fuisse reductos; non autem ab Aristodemi liberis.

[u] *Abavus*] Sic puto legendum, nec posse probari, *atavus*; nam hujusmodi stemma est, quod ex Herodoto, Pausania, et Diodoro petivimus. Aristomachus pater, Cleodæus avus, Hyllus proavus, Hercules abavus fuit. Nec vero ferendi nonnulli, qui *abavus* et *atavus* nullo discrimine usurpari posse dicunt. Nam diversi omnino sunt isti cognationis gradus. Abavus quartum gradum, atavus quintum signat.

[v] *Athenæ*] Hodie *Setines*, omnium disciplinarum inventrices, in ea Achaiæ parte, quæ, quod littoralis est, olim Acte, nunc Attica quasi Actica nuncupatur. Hanc Cecrops primus condidit, a quo Cecropia dicta est: ac postmodum a Minerva Athenæ. Quod sic contigisse ferunt. Cum Neptunus et Minerva de hujus urbis no-

esse desierunt: [a. Chr. n. 1053.] quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. Quippe, cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius,[w] quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores; deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium, de industria rixam injiciens,[10] imprudenter[11 x] interemtus est.[c] Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui his artibus mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita quæri solet? Hujus filius Medon primus Archon[y] Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ; sed ii,[12] insequentesque Archontes usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant. Peloponnesii, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem,[d] condidere. [a. Chr. n. 1052.] Ea tempestate et Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in[1] extremo nostri orbis

[c] *Jurgium movens dedita opera, interfectus est, non agnitus.*
[d] *Urbem æque distantem Corintho et Athenis.*

---

lig. Ed. pr. *atavus*.—10 Cod. *rixam ncies*. Ed. pr. *rixanicies*. Burer. *rixam cieus*, et ita Lips. Voss. Cellar. Ruhnken. Burm. Ed. Basil. et Ed. Bipont. *rixam injiciens* Rhenan. Junt.—11 Ita, transposita voce *imprudenter*, quæ in Edd. plurimis ante *rixam* legitur, distinguit Acidal. quem secutus est Ruhnken. probante Heins.—12 *Hii* Ed. pr. *hi* Ed. Clud.—1 *In* damnat

NOTÆ

mine contenderent, ita tandem inter se convenerunt, ut, qui utilius hominibus donum edidisset, urbi nomen imponeret. Neptunus equum, oleam Minerva edidit. Vicit Minerva: eoque urbem suo nomine appellavit. Nam Græcis Ἀθηνᾶ Minerva dicitur.

[w] *Pythius*] Apollinis cognomen, quod alii ducunt a Pythone: Python autem dictus est serpens, ex putredine terræ, post Deucalionis diluvium, natus, quem sagittis Apollo adhuc puer interemit. Alii ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *a consulendo*: unde et Pythiarum Phœbi sacerdotum nomen. Alii ἀπὸ τοῦ πύθειν, *a putrescendo*, quod nihil nisi vi caloris putrescat.

[x] *Imprudenter*] Hæc imprudentia Lacedæmoniorum est. Non enim Apollinis responsum ignorabant. Ac præterea lege cautum fuerat, ne quis Codrum appeteret telo, aliave ratione. Audita Codri morte, Lacedæmonii, non ausi pugnare, recesserunt.

[y] *Archon*] Summus Athenis magistratus, ut Suffes Carthagine, Romæ Dictator, et Consul. Novem erant Archontes, nempe Rex, Archon, Polemarchus, et Thesmothetæ sex, id est, legislatores. Omnis auctoritas penes eos erat. Judiciis, Comitiis, Sacris, reique bellicæ præerant.

termino, insulam[2] circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto,[z] Gades[a] condidit.[e] Ab iisdem post paucos annos in Africa Utica[b] condita est. [a. Chr. n. 1106.] Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, jactatique cum variis casibus, tum sævitia maris, quinto decimo anno sedem cepere contra[3] Lesbum insulam. [a. Chr. n. 1096.]

3. [a. Chr. n. 1110.] Tum Græcia maximis concussa est motibus: Achæi ex Laconica pulsi, eas occupavere sedes,[c] quas nunc obtinent: Pelasgi[d] Athenas commigravere: acerque belli juvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia[e] appellatur, ante[4] Myrmidonum[f] vocitata civitas.[g] Quo nomine mirari convenit

[e] *Illo tempore et classis Tyriorum, multum mari potens, condidit Gades* in *insula circumdata oceano, separata a terra parvo freto, in ultimis oris Hispaniæ, in extremis finibus nostri imperii.*

Ruhnken.—2 *Insula* Ed. pr.—3 Ita Jani. *Circa* Ed. pr. Ruhnken. Burm. Lugd. Bat. 2. Ed. Bipont. et Clud.—4 Ita Ruhnken. Cellar. Burm. et

NOTÆ

[z] *Freto*] Angustior est maris locus. Hoc Europa ab Africa dirimitur. Est septingentorum non amplius pedum: ac dicitur Gaditanum, *Gibraltar*. Aliter Herculeum, aut Columnarum fretum, ab Herculis columnis: quæ nihil aliud sunt in sententia communi, quam duo promontoria quæ Hercules excidit, aut etiam aggesta humo excitavit.

[a] *Gades*] Urbs primaria insulæ cognominis. Vulgo *Cadis*. Insulæ nomen multiplex. 1. Gadira, quasi γῆς δειρὰ, *collum terræ*. 2. Erithia. 3. Cotinusa ab oleastris. 4. Tartessus. Hodie vero *Cadiz*. Illic regnasse fertur Geryon notissimus ex fabulis. Postea Tyriis, deinde Pœnis, denique Romanis cessit, quibus Columellam rusticæ rei scriptorem dedit.

[b] *Utica*] Urbs Africæ, clara morte Catonis, Uticensis dicti, quod sibi mortem in ea consciverit.

[c] *Eas sedes*] Peloponnesi regionem intellige, quam nunc Achæi incolunt, id est, Achaiam.

[d] *Pelasgi*] Gens vaga. Dicti sunt vel a Pelasgo rege: vel, ut quibusdam placet, quasi πελαργοὶ, id est, *ciconiæ*. Quod, ut ciconiæ, turmatim Græcas et barbaricas per urbes quondam erraverunt.

[e] *Thessalia*] Achaiæ ad Meridiem, et Epiro ad Occasum confinis, ad sinum Pelasgicum, et Maliacum.

[f] *Myrmidonum*] Æginæ insulæ populi. Quorum nomen ductum est a nomine Græco, μύρμηκες *formicæ*. Inde enim Μυρμιδὼν, sive, ξυνουσία τῶν

eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut Thessalia, commemorant.[f] Quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt; quibus minime id concedendum est. Nihil enim ex persona poëtæ,[h] sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerant,[5] dixerunt.[6] Quod si quis a Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet; reddenda erit ei ratio, cur nunquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit. Paulo ante Aletes,[i] sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum,[k] quæ antea

[f] *Qua de causa æquum est mirari eos, qui, describentes res Trojanas, loquuntur de ea regione* sub nomine *Thessaliæ.*

Ed. Bipont. *antea* Lips. Voss. et Clud.—5 Ita Jani, et Ed. Bipont. *vixerunt* Ed. pr. Burm. Ruhnken. Lugd. Bat. 2. et Clud.—6 *Dicunt* Ed. Clud.

NOTÆ

μυρμήκων, formicarum contubernium; hoc est, multitudo formicarum una domicilium et sedes habentium. Hesychius autem Doriensibus Μυρμηδόνας ait esse *τοὺς μύρμηκας, formicas.* Unde Æginetæ dicti fuerunt Myrmidones, quoniam formicarum modo terram eruentes locis petrosis inspergebant, ut colere ea possent, necnon in foveis habitabant, lateribus parcentes, ut Strabo docet lib. VIII. ubi rejicit fabulam quæ Μυρμηδόνας vult ex eo dictos esse, quod olim sublato peste populo, Æaci precibus, formicæ in homines mutatæ sint.

[5] *Civitas*] Dicitur pro tota regione, cujus incolæ iisdem legibus utuntur, vulgo, *l'Etat de, &c.* Sic civitas Allobrogum, Helvetiorum, apud Sallustium, et apud Cæsarem. Interdum sumitur pro jure civium. Hinc passim apud auctores, civitate donare, civitatem promittere, usurpare civitatem. Id præterea observandum est ex Cicerone, civitatem nonnunquam accipi pro incolis, et urbem pro ædificiis. Ita IV. Academic. 'Aristoteles et Xenocrates non dubitavissent, quin et prætor ille esset, et Roma urbs, et eam civitas incoleret.'

[h] *Nihil enim ex persona Poëtæ*] Affert causam, propter quam minime ferendi sunt tragici poëtæ, in quorum tragœdiis res aguntur, ut sunt poëtæ tempora, non ut eorum quos dat in scenam. Et sane hæc causa præcepti loco esse potest. Tragicis igitur dicendum nihil est tanquam ex se, sive secundum mores, quibus suo tempore vivitur. Sed in illorum poëmatis oportet omnia fieri et dici ex persona, atque ex more tum vivendi, tum loquendi eorum qui eo tempore vixerunt, quo acta sunt quæ exhibentur. Cujus rei rationem istam Plato attulit, quod Comœdiæ et Tragœdiæ sola constent imitatione, et actione personarum, quibus conveniens sermo tribui debet.

[i] *Aletes*] Hoc nomen cum Græcis sine aspiratione scripsimus. Aletem vero cum iis non sextum, sed quintum ab Hercule facimus. Quod recte Lipsio observatum est ex Apollodoro, et ex Pausania lib. II.

[k] *Corinthum*] Hodie *Coranto.* Urbs

fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem,[7] in Isthmo[l] condidit.[s] [a. Chr. n. 1081.] Neque est, quod miremur, ab Homero nominari Corinthum. Nam ex persona poëtæ et hanc urbem et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post Ilium captum conditæ.

4. [a. Chr. n. 1039.] Athenienses in Eubœa[m] Chalcida et[8] Eretriam colonis occupavere; Lacedæmonii in Asia Magnesiam.[9 n] Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle et Megasthene[10] ducibus, Cumas[o] in Italia condiderunt. [a. Chr. n. 1036.] Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris sono,[p] qualis Cerealibus

s Restituit in Isthmo Corinthum, appellatam antea Ephyram, quæ claudit aditum Peloponnesi.

—7 Burm. et Ruhnken. malunt *claustra Peloponn. ac Continentis* i. e. Hellados.—8 Ed. Basil. quem seq. Cellar. Bipont. inserunt *et*, quod abest ab Ed. pr.—9 Ed. pr. *Asiam ac Nesiam.*—10 Ed. pr. *Megesthene.*—11 Was-

NOTÆ

Peloponnesi in ea parte quæ ab ea Corinthia dicta fuit, et nunc, *Duché de Clarence:* totius Græciæ lumen, in Isthmi faucibus sita. Unde dicta Peloponnesi porta, et bimaris, quia Ionio mari per Corinthiacum sinum, et Ægæo per Saronicum, alluitur.

l *Isthmo*] Isthmus est angustia terræ inter duo maria. Isthmo opponitur porthmus, id est, fretum inter duas continentes. Isthmorum celeberrimus est Peloponnesiacus, duarum tantum leucarum spatio Ægæum mare ab Ionio summovens. Hunc quatuor principes suffodere conati sunt, Demetrius, Julius Cæsar, Caligula, Nero, atque etiam Herodes Atticus privatus homo: sed irrito conatu. Unde triviale istud, *isthmum perfodere*, quando quis molitur quidpiam multo, sed irrito conatu.

m *Eubœa*] Insula Ægæi maris, vulgo *Negrepont*, angusto admodum Euripi tractu a Bœotia divisa, hodie *Le detroit de Negrepont.*

n *Magnesiam*] Magnesia duplex: una Cariæ ad Mæandrum fluvium; altera Lydiæ ad montem Sypilum in Asia minore, Sardibus proxima. Quam intelligendam esse puto.

o *Cumas*] Urbs Campaniæ ad mare, juxta Puteolos. Hanc Strabo docet appellari Cumas ab Cuma Æolidis urbe, ex qua profectus est Hippocles, qui Megastheni Chalcidensi in ea condenda adjutorem se præbuit, hac inter utrumque conventione facta, ut coloniæ quidem jus penes Chalcidenses, imponendi vero nominis potestas penes Cumæos esset.

p *Nocturno æris sono*] Hæc Cereris sacra noctu fiebant, cum clangore, et clamore præcipue matronarum. Instituta fuerant a Triptolemo, Eleusii,

sacris cieri solet.[h] Pars horum[11] civium magno post intervallo Neapolim[q] condidit. Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas. Sed aliis[12] diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos Osca[r] mutavit vicinia.[i] Vires autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat mœnium.[k] Subsequenti tempore magna vis Græcæ[l] juventutis, abundantia virium, sedes quæritans, in Asiam se effudit. [a. Chr. n. 1051.] Nam et Iones,[s] duce Ione profecti Athe-

[h] *Alii nocturno sonitu* instrumenti *ænei, qualis excitari solet in sacrificiis Cereris.*
[i] *Sed alii servaverunt diligentius morem patriæ: Cumani mutati sunt ob propinquitatem Oscorum.*
[k] *Amplitudo murorum harum urbium ostendit etiam nunc* earum *antiquam potentiam.*

senberg. *Cumanorum* malnit.—12 *Illis* conjecit Ruhnken. et ita Ed. Bipont.

NOTÆ

vel juxta Pausaniam, Celei Eleusini oris fœditate, spurcarumque libidinum usu. Unde obscœna verba, quasi *oscena.*

[s] *Nam et Iones*] Hic Velleius erroris arguitur ab aliquibus, cum in personis, tum in tempore. Non enim Ion hujus coloniæ dux fuit. Ita Strabo, Pausanias, Plutarchus, Ammianus. Neque vero esse potuit: cum Ion, Xuthi filius, ducentis pæne annis major hac demigratione fuerit. Ergo historiæ veritatem ex Strabone petimus l. VIII. ubi duas Ionum demigrationes distinguit pro duobus diversis temporibus. Primum est, quo Ion, Xuthi filius, Athenis imperans, Ionum coloniam in Peloponnesum emisit. Unde Ægialeæ nomen in Ioniæ appellationem transivit. Alterum est post Heraclidarum reditum, quo Iones pulsi ab Achæis, et Athenas redire coacti, rursus Athenis Ionicam coloniam in Asiam, duce Nileo cum Codri filiis, deduxerunt: ubi tot urbes statuerunt, quot antea in Peloponneso obtinuerant.

[q] *Neapolim*] *Naples*, regni cognominis caput, cum hoc epitheto, *la noble*: quod in ea commoretur totius fere regni nobilitas. Antea Parthenope: deinde dicta Neapolis, quasi *nova urbs.* Cum enim eversa esset a Cumanis, ne Cuma desereretur, ab iisdem, jubente Apollinis oraculo, splendidius restituta est ibi, ubi nunc Neapolis. Nihil tota plaga, quæ Campania *felix*, seu terra Leborina dicitur, *cælo mollius*, nihil uberius solo, quod bis in anno floribus vernat.

[r] *Osca vicinia*] Osci antiqui sunt in Italia populi, qui maritimum Campaniæ tractum tenuerunt: sic dicti ab

nis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia; urbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, (Teum,)[2] Erythram, Clazomenas, Phocæam; multasque in Ægæo atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Parum,[3] Delum, aliasque ignobiles. Et mox Æolii, eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenenque, et alias [urbes,][4] quæ sunt in Lesbo insula. [a. Chr. n. 1070.]

5. Clarissimum deinde Homeri[t] illuxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari poëta meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum,[u] quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est. Neque quenquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum et Archilochum,[v] reperiemus.[1] Hic longius a temporibus belli, quod com-

[1] *Nec inveniemus ullum alium, præter Homerum et Archilochum, qui perfectissimus fuerit in eo opere, cujus fuerit inventor.*

—1 Ita Cod. *Græciæ* Ed. pr.—2 *Teum* inserendum censet Voss. deest vero Edd. plurimis.—3 Ita Ed. Basil. Lips. Ruhnken. et al. Ed. pr. male *Pharum*. —4 Repetitionem *τοῦ urbes* damnant Gruter. et Ruhnken.—5 Hanc vocem

NOTÆ

[t] *Homeri*] De ejus patria, ac parentibus nihil certi traditur. Fecit vero claritas ejus nominis, ut quem vivum ob inopiam agnoverit nemo, nunc certatim sibi vendicent septem Græciæ urbes, 'Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.'

[u] *Quod neque ante illum*] Id verum Lipsius putavit. Ego (pace ejus dixerim) non item. Nec Petavius dissentit mihi. Si enim Æliano fides est aliqua XIV. 21. constat non Orpheum modo et Musæum antiquiores Homero fuisse; sed extitisse etiam post eos quendam poëtam, nomine Syagrum, qui primus bellum Trojanum cecinit, maximum argumentum ausus carmine tractare. A nonnullis additur ad historiam suppressum ab Homero opus Syagri, tanquam proprium atque suum belli hujus argumentum cuperet, aut sua furta deprehendi a posteris nollet. Verum istud postremum cum Petavio facile crediderim ad Homeri invidiam a malevolis confictum.

[v] *Archilochum*] Poëta Lacedæmonius est, inprimis mordax. Inventor

posuit, Troici, quam quidam rentur, abfuit. [a. Chr. n. 920.] Nam ferme ante annos DCCCCL. floruit, intra mille natus est. Quo nomine non est mirandum, quod sæpe illud usurpat,[w] *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*.[6] Hoc enim ut hominum,[x] ita sæculorum notatur differentia. Quem si quis cæcum genitum[y] putat, omnibus sensibus orbus est.

6. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX.,[z] translatum est ad Medos, abhinc annos ferme DCCCLXX.[7] [a] [a. Chr. n. 840.] Quippe Sardanapalum, eorum regem, mollitiis fluentem, et nimium felicem malo suo, tertio et tricesimo loco[8] ab Nino et Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut

post *maximum* leg. Clud.—6 Desunt hæc in Ed. pr. quæ recte restituit Ursinus.—7 Ita corrigit Lipsius, probante Scalig. In Ed. Lugd. Bat. et al. vetustioribus *DCCLXX*.—8 Ita Burerius. In Ms. *tertio et tricensimo*, et in

NOTÆ

Iambici carminis, quod Archilochium ab eo vocatur. Hoc mordaci carmine Lycamben ad suspendium adegisse creditur, eo quod promissam sibi filiam non tradidisset. De quo Horat. in Art. Poët. 'Archilochum proprio rabies armavit iambo.' Hinc Cicer. Lib. II. Epist. ad Attic. Archilochia edicta dixit pro contumeliosis, mordacibus, injuriosis: 'Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita jucunda sunt, ut eum locum, in quo proponuntur, præ multitudine eorum qui legunt, transire nequeamus.'

[w] *Illud usurpat*] Lacunam in ed. pr. optime Ursinus supplevit hoc hemistichio, quod Homerus in Iliade ter usurpat: *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*. hoc est, *quales nunc mortales sunt*. Quod etiam Virgilius sic expressit Æn. XII. 'Qualia nunc hominum producit corpora tellus.'

[x] *Hoc enim ut hominum*] Antiquiora sæcula ævo suo opponit: atque ex diversitate staturæ corporum, quæ olim vastiora procreabantur, significat etiam virtute præstantiores olim Trojanis temporibus homines fuisse, quam sua ætate essent.

[y] *Cæcum genitum*] Ubi illi qui Homerum sic dici ob cæcitatem tradiderunt, invenisse beati quod Cumæi Ionesque captos oculis *ὁμήρους* vocabant, tum quod Homerus Melesigenes prius diceretur? Certe Suidas sub historica fide tradidit, totum istud congenitæ cæcitatis figmentum inde natum esse, quod Homerus cupiditatis, quæ animum per oculos subit, tota vita victor extiterit.

[z] *MLXX.*] Lectio *mille septingentis* manifestum habet errorem. Quare Justinum sequor, qui mille trecentos assignat, mediam sententiam tenens.

[a] *DCCCLXX.*] Hic quoque locus errore non caret. Lipsius scribit 870. Nos vero, computatione nostra cum reliquis Velleii computationibus composita, quatuor et nongentos annos numeramus.

semper successor regni paterni foret filius, Arbaces[9b] Medus imperio vitaque privavit. Ea ætate [a. Chr. n. 876.] clarissimus Graii nominis Lycurgus,[c] Lacedæmonius, vir generis regii,[d] fuit severissimarum justissimarumque legum auctor, et disciplinæ convenientissimæ [vir];[10e] cujus quam diu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit.[m] Hoc tractu temporum, ante annos quinque et sexaginta, quam urbs Romana conderetur, [a. Chr. n. 819.] ab Elissa Tyria,[f] quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. [a. Chr. n. 813.] Circa quod tempus Caranus,[11g] [vir generis regii,][12] sextus

[m] *Cujus* disciplinæ *quamdiu Sparta fuit amans, altissime enituit.*

Ed. pr. *tertio et trecentesimo.*—9 Ita Ed. Basil. *Pharnaces* Ed. pr. Lips. Voss. Cellar.—10 *Vir* ejiciendum censet Acidal. probantibus Popma, Boecler., Gruner., et aliis. Lipsius, quem sequitur Gruter., *viris* conjicit: Heinsius *virtuti*. Burmann. *vindex*. Ruhnken. *Lycurgus, vir generis regii, Lacedæmoniis fuit...viribus*. Boecler. tamen, et cum eo Acidalius, si illud *Vir* retinendum sit, cum sequentibus connectere malit.—11 Ita Ed. Basil. et al. recentiores. *Taronus* Ed. pr.—12 Repetitionem hanc *τῶν v. g. r.* damnant Lipsius,

NOTÆ

[b] *Arbaces*] Sic cum eruditis scribe ex Strabone, Diodoro, Athenæo.

[c] *Lycurgus*] Eunomi filius, Polydectæ frater. Quo mortuo, cum ejus uxor filii nece, quem in utero gerebat, pacisci cum Lycurgo nuptias vellet; is, prudenter elusa fœminæ cupiditate, adhuc recentem a partu infantem destinavit principem, tutoris nomine deinceps contentus. Charilao (nomen infantis id fuit) jam adulto, ut affectati regni purgaret invidiam, peregre profectus, variorum ex usu populorum confectam legum ac civilis disciplinæ formam in patriam reportavit.

[d] *Vir generis regii*] Ducebat originem, non a Patrocle (qui error est in textu apud Plutarchum), sed ab Aristodemi, de quo supra, filio Procle, qui rex Spartæ fuit, et posteri ejus.

[e] *Convenientissimæ vir*] Lege *viris*, cum Lipsio et Grutero. Sensus enim est, Lycurgi disciplinam ac leges hujusmodi fuisse, ut viros valde decerent: vel, adeo rigidas fuisse, ut vere facetent viros.

[f] *Ab Elissa Tyria*] Pygmalionis soror erat, uxor Sichæi, quem cum Pygmalion vita privavisset, ejus opibus inhians, Dido, gaza omni clam in naves imposita, paucisque fugæ sociis comparatis, Tyro navigavit in Africam: ubi, ab Iarba Maurusiorum regulo agrum mercata, oppidum condidit, quod Byrsam primum, exinde Carthaginem, vocarunt. Hinc vide, quam parum consentanea sit Virgilii ratio, qui æqualem Æneæ Didonem statuerit, quam trecentis fere annis postea vixisse constat. Nam licet Carthaginis conditum ante captam Trojam quidam ex antiquis ascripserint, non hi tamen conditricem illius fuisse Didonem, Pygmalionis sororem, putaverunt.

[g] *Caranus*] Frater Phidonis, regis

decimus[h] ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit. A quo magnus Alexander cum fuerit septimus decimus,[i] jure, materni generis Achille[j] auctore, paterni Hercule, gloriatus est. [Æmilius Sura[1 k] de annis populi Romani: Assyrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persæ, deinde Macedones. Exinde duobus regibus, Philippo et Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus[l] et initium Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt anni MDCCCCXCV.]

7. [a. Chr. n. 800.] Hujus temporibus æqualis Hesiodus fuit, circa CXX. annos[m] distinctus ab Homeri ætate, vir

Gruterus, Ruhnken. et Jani; sed probat Boeclerus.—1 Hæc extrema usque ad verba, *ad pop. Rom. pervenit*, ab aliena manu esse obtrusa, primus vidit, teste Aldo Nepote, Petr. Delbenius, quem secutus est Acidalius, e contextu ea removendo. Sed, teste Boeclero, jam Rhenanus in Ed. pr. ea uncis incluserat. Insequentes vero Interpretes inde a Lipsio omnes totum verborum complexum usque ad finem h. c. præter Vossium patrem de Histor. Lat. p. 691. sq. Jos. Scaliger. Canon. Isag. l. III. p. 320. et Boxhornium, pro glossemate recte habent, quibus adde Salmasium ad Tertullian. Pall. p. 160. Uncis etiam inclusit hæc *Æmilius* usque ad *pervenit* Ant. Thys. in Ed. Lugd.

NOTÆ

Argivorum.

[h] *Sextus decimus*] Cum Scaligero lege, *undecimus ab Hercule*. Vide Freinshemium, cap. 5. ad Q. Curt.

[i] *Septimus decimus*] Justino duodecimus est; Eusebio vigesimus quartus; sed Velleium sequere.

[j] *Materni generis Achille, &c.*] Per Olympiam, genus ad Neoptolemum, sive Pyrrhum, Achillis filium, referebat.

[k] *Æmilius Sura*] Dubitatur a doctis, an hæc Velleiana sint. Sunt, qui affirment in margine libri ascripta ab antiquario, postea autem a librariis recepta esse. De Æmilio Sura nihil, quod sciam, habemus. Plinio quidem laudatur Manlius, aut Manilius Sura. Verum consensus librorum jubet *Æmilium* retineri.

[l] *Inter hoc tempus*] Ne illud intelligas, quo Philippus et Antiochus devicti sunt; sed quo mors illorum contigit; a qua Macedonia et Syria sic jacuerunt, ut Romanis utramque funditus evertere facile fuerit. Ab eo vero tempore sursum ad Ninum computando, optime Velleii calculus congruit. Quanquam nonnulli ne hæc quidem verba Velleiana esse censent.

[m] *Circa CXX. annos*] Quidam Hesiodum Homero coævum faciunt: alii, priorem illo, ut Lipsius et Scaliger. Eo quod alterum ab altero sumpsisse versus constet; in Hesiodo vero major simplicitas, et rudior antiqui-

pérelegantis ingenii, et mollissima dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus, ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate proximus.[n] Qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret:[o 2] patriamque[n] et parentes[o] testatus est; sed patriam,[p] quia multatus ab ea erat, contumeliosissime. Dum in externis moror, incidi in rem domesticam, maximique[3] erroris et multum discrepantem auctorum opinionibus.[p] Nam quidam, hujus temporis tractu [a. Chr. n. 801. a. U. c. 47.], aiunt, a Tuscis Capuam, Nolamque conditam, ante annos fere DCCCXXX.: quibus equidem assenserim. Sed M. Cato quantum differt? qui dicat, Capuam[q] ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam:[r] stetisse autem Capuam,[q] antequam a Romanis

[n] *Qui, ut primus fuit tempore post tantum virum, ita primus quoque præstantia carminum.*

[o] *Qui cavit, ne incideret in eandem* incuriam, in *quam Homerus* inciderat.

[p] *Dum hæreo in historia peregrina, occurrit mihi res patria, in qua valde erratum est, et opiniones scriptorum multum dissentiunt.*

Bat. et eadem usque ad finem cap. in Ed. Bipont. omnino desunt.—2 Ita Ed. Basil. Ed. Bipont. et Ed. Lugd. Bat. *inciderat* Ed. pr.—3 Ita Rhenanus;

NOTÆ

tas appareat. Verum id e longinquo petitum, et critici Grammatici magis, quam diligentis Chronologi est. Crede Velleio, cum quo Eusebius et plerique Chronologi consentiunt, qui Hesiodum Carani temporibus cœvum docent.

[n] *Patriamque*] Natus est Cumis Æolicis. Unde ejus pater, propter æs alienum, solum vertens, Ascram Bœotiæ vicum migravit: ubi educatus Hesiodus, Ascræus dictus est, quamvis esset vere Cumæus.

[o] *Et parentes*] Pater, Dius, Ampelidis filius: mater vero Pycimede.

[p] *Sed patriam*] Ascram intellige, ubi educatus est. Unde exulare quoque, ob æs alienum, coactus fuerat. Ecce quos versus in eam conscripsit, Ἔργων Β. Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος, ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ, Ἄσκρῃ, χείμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ: *Habitavit autem prope Heliconem, misero in vico Ascra, hyeme malo, æstate molesto, nunquam bono.*

[q] *Capuam*] Quam incertum tempus, quo Capua condita est, tam ambigua ejus nominis est ratio. Livius lib. IV. ait quidem Capuam a Tuscis conditam, sed olim dictam esse Vulturnum: postea vero a Samnitibus captam, ab ipsorum duce Capy, vel, quod propius vero esse putat, ab agro campestri, Capuam esse appellatam. Sita est in Campania felici, ad Vulturnum fluvium, et ad radices Tifatæ montis, inter ipsam et Nolam extensi.

[r] *Nolam*] Urbs pariter ac Capua regni Neapolitani. Sic hodieque dicta. Ubi adhuc multa vetustatis monumenta visuntur.

capescetur, annis circiter CCLX. Quod si ita est, cum sint a Capua capta anni CCXL.; ut condita est,[f] anni sunt fere D. Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

8. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, et ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum, Olympiorum[s] initium habuit, auctorem[t] Iphitum[u] Elium. [a. Chr. n. 884.] Is eos ludos mercatumque[v] instituit[w] ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, DCCCCXIII.[4 x] Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos ferme MCCL. Atreus,[y] cum Pelopi[z] patri[5] funebres ludos faceret. Quo quidem in ludicro,[6*] omnisque generis certa-

[f] *Ex quo ædificata est.*

maximeque Ed. pr.—4 Ita corrigit Krause. Ed. pr. *DCCCXXIII.* Burm. *DCCCIV.*—5 *Patris* Ed. pr.—6 *Lucta* excidisse putat Ruhnken. ante cer-

NOTÆ

[s] *Olympiorum*] Ludorum. Quod nomen ductum est ab Olympia Elidis urbe, circa quam hi ludi primum celebrati sunt. Horum celebritas quinquennalis erat: per quam exercebat se juventus quinque gymnasticis certaminibus; cæstibus, cursu, saltu, disco, et palæstra. Qui victor erat, olea coronabatur; domumque, non per urbis portas, sed per mœnium ruinas, sublimis curru, revehebatur.

[t] *Auctorem*] *Initium habuit auctore* est Aldi lectio, cum in editione prima legeretur, *initium habuit auctorem Iphitum*. Istam secutus est Lipsius: ad quam Acidalii conjectura accedit, *initium habuit, et auctorem Iphitum*. Quomodocumque legatur, id erit semper accipiendum, quatenus Iphitus Olympios ludos iniit longo post eorum institutionem intervallo.

[u] *Iphitum*] Iphitus, Praxonidæ filius, rex Elidis fuit, unde dictus Elius. Hæc porro Iphiti Olympica periodus celebris est: et ab ea initium est verioris, certe distinctioris, apud scriptores historiæ.

[v] *Mercatum*] Id aptissima voce, πανήγυριν, appellant Græci, hoc est, *Conventum, Assemblée*. Interdum mercatus accipitur pro nundinis, *la Foire*. Interdum pro foro, vel emporio, *le Marché*.

[w] *Instituit*] Si hoc verbum ad *ludos* referatur, legendum est potius, *restituit*. Si ad *mercatum*, retinendum est, *instituit*. Si ad utrumque, tolerari utcumque potest, hoc sensu: instituit perpetuos, et statos, ut quinto quoque ineunte anno recurrerent.

[x] *DCCCCXIII.*] Scribe octingentos quatuor. Nam prima Olympias Iphitæa præcedit duntaxat urbis natalem (ex Velleii sententia mox subtexenda) annis 22. Sunt autem ab illo ad Vinicii consulatum 792. Itaque clarum est scribi debere 804.

[y] *Atreus*] Vide supra cap. 1.

[z] *Pelopi*] Vide supra cap. 2. Ce-

minum Hercules victor extitit. Tum Athenis[a] perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon, cœperuntque in denos annos[b] creari [a. Chr. n. 754. Ol. 6. 3.]; quæ consuetudo in annos LXX. mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryxias;[7] ex annuis, primus Creon. Sexta Olympiade, post duos et viginti annos, quam prima constituta fuerat [Ol. 6. 3. a. Chr. n. 754.], Romulus[c] Martis filius, ultus injurias avi,[d] Romam urbem Parilibus[e] in Palatio[f] condidit; a quo tempore ad vos[g] Consules anni sunt DCCLXXXIII.[8] Id actum

nisque. Lips. Voss. et al. *omnis* sine copula leg.—7 *Erix*. Ed. pr.—8 Ita ex æra

NOTÆ

terum quod ad ludos Olympicos pertinet, valde dubius est illorum auctor. Ecce Petavii sententia, quæ reliquas facile conciliat. Supponit, quod inter omnes constat, multos extitisse Herculis nomine insignes. Ex quibus, qui inter Idæos Dactylos (nomen id fuit Cybeles Sacerdotum) censetur, is ludos primus istos instituit. Quos ab aliis subinde repetitos Pelops, necnon Atreus, ac deinde Hercules, Alcmenæ filius, celebravit. Ab Iphito demum stati ac perpetui esse cœperunt.

[a] *Tum Athenis*] Id est, annis post aliquot: nisi quis hiatum hic esse cum Lipsio velit, ac periisse quæ a prima Olympiade ad sextam Velleius interseruit. Tantum enim Olympiade quinta exeunte desierunt Archontes.

[b] *Cæperuntque in denos annos*] Hinc erroris argue Justinum, qui l. II. c. 7. tradiderit, administrationem reipublicæ, post Codrum, annuis magistratibus esse commissam.

[c] *Romulus*] Natus est ex Sylvia, Numitoris filia, anno secundo exeunte Olympiadis secundæ. Adhuc a partu recens, jussione Amulii regis, cum fratre Remo expositus, clam a Faustulo pastore educatus est.

[d] *Ultus injurias avi*] Numitoris, in quem geminam injuriam Amulius frater intulerat. 1. Invaserat regnum, quod ad ipsum ætatis jure pertinebat. 2. Sylviam ejus filiam, ne qua spes posteritatis esset, Vestalem fecerat. Utramque Romulus ultus est. Cum enim adolevisset, occiso Amulio, avum in regnum restituit. Deinde Romam condidit, anno Amulii regni secundo, qui juxta Varronem, quem sequitur Velleius, incidit in annum tertium Olympiadis sextæ: juxta alios, in secundum ejusdem Olympiadis.

[e] *Parilibus*] Aut Palilibus? hoc est, die festo Palis Deæ, quem idcirco Palilia patres dixerunt. Hic porro dies celebrabatur a pastoribus, tum pro pecoris partu, tum ad lupos arcendos, morbosque a pecore depellendos. Prima Romuli Palilia incidunt in annum mundi 3961.

[f] *In Palatio*] In Palatino monte, qui unus est ex septem Urbis collibus, sic dictus a Palantia, Evandri filia. Etiam nunc Romæ dicitur, *Monte Palatino*.

[g] *Ad vos*] Ad tuum, Vinici, et Cæ-

post Trojam captam annis CDXXXVII.[9] [h] Id gessit Romulus, adjutus legionibus Latinis[10] avi sui.[i] Libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim: cum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Veientibus, aliisque Etruscis ac Sabinis, cum imbelli et pastorali manu vix potuerit; quanquam eam,[11] asylo[j] facto inter duos lucos, auxit.[k] Hic centum homines electos, appellatosque Patres, instar habuit consilii publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus[12] virginum Sabinarum*** [l]

9.***[1] quam timuerat hostis, expetit.[m] Nam biennio[n]

Varron. reposuit Krause. Ed. pr. *DCCCCLXXXL.*, quod Schegkius æram Caton. sequens, correxerat *DCCLXXXII.*—9 Pro glossemate hæc habet Vir D. Goettingensis in Ephemer. lit. a. 1779. Addit. p. 120.—10 Ita Lipsius, et Ed. Bipont. *Latini* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat.—11 Ita Heins. probante Ruhnken. *quamquam jam* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat. *quamquam etiam* Jacobs.—12 *At raptus* conj. Krause.—1 Priora hujus cap. verba sic explere et corrigere tentavit

NOTÆ

sii Longini consulàtum.

[h] *CDXXXVII.*] Qui largissime computant, annos efficiunt tantum 432. immo plerique reperiunt paciores. Quare e textu tollenda est, meo judicio, septenarii nota.

[i] *Latinis avi sui*] Alii *Latini*; nam visus est quibusdam Velleius sentire cum Dionysio Halicarn. qui tradidit natum esse Romulum ex Electra, Latini filia. Sed hæc sententia paucorum est. Sequimur eos, qui avum Romuli fuisse Numitorem dicunt. Non tamen Lipsium audimus legentem, *legionibus Latinis*, id est, e Latio. Nam quid vetat Numitorem, ab suo Principatu, Latinum vocari? quod certe fit inter principes.

[j] *Asylo*] Asylum templum est, alinsve quivis locus, ad quem qui confugiant, sunt in tuto. Asylum, quasi ἄσυρον, Servius deducit a verbo σύρω, *traho*, quod avelli inde quenquam nefas esset. Primum Asylum Athenis statuerunt sibi Herculis posteri, veriti vim eorum quos Hercules vivens vexavisset. Hos deinde Romulus imitatus est. Sed deinde Asylorum jus ac morem abolevit Tiberius Imperator. Suet. in Tib. c. 37.

[k] *Auxit*] Intellige tum manum illam pastoralem, tum Romuli potentiam, quæ, ab initio exigua, mirum in modum, constituto asylo, crevit.

[l] *Raptus virginum Sabinarum*] Ingens hic hiatus, qui Romanos omnes Reges, omnes Consules, Tribunosque militum absorbet, usque ad annum 582. Hunc hiatum, et aliquot alios, accurate replevit V. C. J. Doujat in Velleio Paterculo, quem edidit Gallice ann. 1672. cum diligenti Chronologia ad Velleii historiam, usque ad annum decimum sextum Imperii Tiberii.

[m] *Quam timuerat hostis, expetit*] Sermo erat de Perseo rege Macedonum, qui grave in Romanos bellum gerebat. Cum enim hujus belli initia prospera Perseo fuissent, ait Velleius eum multo graviorem hostem fuisse, quam populus Romanus expectasset. Itaque recte, meo judicio, Lipsius legit, *extitit*, pro *expetit*: quasi Vel-

adeo varia fortuna cum consulibus[o] conflixerat, ut plerumque superior foret,[p] magnamque partem Græciæ in societatem suam perduceret. Quin[a] Rhodii[q] quoque, fidelissimi antea[3] Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt,[r] et rex Eumenes[r] in eo bello medius [fuit][4] animo,[s] neque fratris initiis, neque suæ respondit consuetudini. Tum senatus populusque Romanus Æmilium Paullum, qui et prætor et consul triumphaverat,[s] virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest,[t] consulem creavit [U. c. 586. a. Chr. n. 167.], filium ejus Paulli, qui ad Cannas,[t] quam tergiversanter perniciosam reipublicæ pugnam inierat, tam fortiter in ea

[r] *Considerantes* quo *fortuna* se verteret, *visi sunt proclivieres in causam regis.*
[s] *Animum partitus est.*
[t] *Virum dignum tantis laudibus, quantis virtus* ipsa *intelligi potest* digna.

Lipsius: *gravior, quam timuerat, hostis exstitit*: unde Voss. ex mente Lipsii: *Perses populo Romano gravior, quam timuerat, hostis exstitit*, quod probat Ruhnken. Jani: *In Macedonia Perseus pacem, contra quam timuerat hostis* (sc. Romani), *expetit*.—2 Ita Ed. Basil. Ed. Bipont. et Ed. Lugd. Bat. *Quibus* Ed. pr. *Ex quibus* (sc. Græciæ civitatibus s. populis) Herel.—3 Ita Cod. *ante* Ed. pr.—4 *Fuit* tollendum esse censet Heinsius, probantibus Ruhnken. et Jani.—

NOTÆ

leius diceret: Perseus populo Romano gravior, quam timuerat, hostis extitit.

[a] *Biennio*] Quadriennium tenuit Macedoniæ bellum. Recte tamen, *biennio*. Nam ex his quatuor annis, duobus tantum postremis Romani paulo meliore fortuna usi sunt.

[o] *Cum consulibus*] Licinio Crasso et Appio Claudio.

[p] *Foret*] Alii *fuerit*: Acidalius legit, *foret*: Gruterus vero delet, *foret*, et copulam, *magnamque*, expungit. Uterque bene.

[q] *Rhodii*] Incolæ Rhodi. Insula est inter Asiaticas tertia, in mari Carpathio, et Cariæ adjacens, cum urbe cognomine, quæ toti insulæ nomen fecit. Rhodii a Colosso, qui illic erat, etiam vocati sunt Colossenses. Ad eos D. Paulus epistolam scripsise vulgo falso creditur.

[r] *Eumenes*] Eumenem secundum intellige, Attali primi ex Apolloniade filium natu maximum, regem Pergami. Is in bello Macedonico animum inter Romanos et Perseum partitus est. Nam licet se Romanorum amicum profiteretur, tamen veriore studio in Perseum ferebatur. Sic neque respondit tractatis rebus ab Attalo, fratre suo minore, qui, initio belli Romam missus, illum Senatui de occulti in Perseum favoris suspicione purgaverat; neque suæ consuetudini semper amplectendi reipublicæ partes.

[s] *Triumphaverat*] In prætura de Hispanis; atque, si Livium audimus, de Lusitanis. In priore consulatu, de Liguribus, *des Génois*.

[t] *Ad Cannas*] Vicus est in Apulia.

mortem[5] obierat.[u] Is Persam[v] ingenti prælio, apud urbem, nomine Pydnam,[v] in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit [U. c. 587. a. Chr. n. 166.]; deletisque ejus copiis,[w] destitutum omni spe, coëgit e Macedonia profugere: quam ille linquens, in insulam Samothraciam[x] perfugit,[6] templique[y] se religioni supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius prætor, qui classi præerat, pervenit, et ratione magis, quam vi, persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno et Octavii, prætoris, navalis,[z] et Anicii, regem Illyriorum[a] Gentium ante currum agentis,[7] triumphi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis fortunæ comes invidia, altissimisque adhæreat, etiam hoc colligi potest, quod, cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui[b] Paulli impedire obniterentur: cujus tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie

[u] *Qui mortuus erat in pugna Cannensi tam fortiter, quam invite eam commiserat*, utpote *damnosam reipublicæ* futuram.

5 *Morte* Cod.—6 Ita Jani: *profugit* Ed. pr. Ruhn. Burm. Ed. Bipont. et Ed. Lugd. Bat.—7 Ita Ed. Basil. Ed. Bipont. et Ed. Lugd. Bat. *agentium* Ed. pr.—

NOTÆ

[v] *Persam*] Erat Philippi filius natu major. Ultimus rex Macedoniæ fuit: a Carano, qui primus illic regnavit, undequadragesimus.

[v] *Pydnam*] Hodie *Chitro*, prope ostia Aliacmonis, et sinum Thermaicum.

[w] *Deletis ejus copiis*] In eo prælio Macedonum cæsa sunt ad viginti millia, capta undecim: Romanorum autem non plus centum cecidere.

[x] *Samothraciam*] Est Thraciæ, in mari Ægæo, contra Hebri ostia; inclyta religionibus, atque, Plutarcho et Livio testibus, inviolati soli insula, ubi nobilissimum Junoni templum fuit.

[y] *Templique*] Sensus est: In insulam Samothraciam profugit, ubi templi sanctitate se defendit, ratus securum se fore propter loci reverentiam.

[z] *Navalis*] Qui triumphi, gestis mari feliciter rebus, decernebantur, ii dicebantur navales: ut terrestres, a rebus terra feliciter gestis.

[a] *Regem Illyriorum*] *Des Esclavons.* Gentius, a Perseo in periculi societatem per fraudem inductus, hujus triumphi L. Anicio prætori materiam dedit.

[b] *Fuere, qui*] Sulpitius Galba tribunus militum, et Æmilius privatim inimicus. Criminabantur optimum ducem, ut *imperiosum*, ob militaris disciplinæ observantiam: ut *maligum*, ob prædam parcius, quam cupiditas militum speraverat, distributam.

simulacrorum,[c] vel modo pecuniæ,[w] ut bis millies[d] centies HS. ærario contulerit,[e] ut[8] omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.

10. [U. c. 586. a. Chr. n. 167.] Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum[9] inchoavit,[x] tum rex[10] Syriæ, Ptolemæum[f] puerum Alexandriæ[g] obsideret; missus est[h] ad eum legatus M. Popilius Lænas, qui juberet incepto desistere. Mandataque exposuit; et regem, deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgula, jussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito arenæ circulo.[y] Sic cogitationem regiam Romana disjecit constantia:[z] obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnæ[11] victoriæ[i] compoti,[12] quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna majestate præter speciem nominis, vigoremque eloquentiæ, retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo: duos minores natu, prætextatos,[k] quo tempore

[w] *Cujus* triumphus *adeo superavit priores, sive* propter *potentiam regis Persei, sive* propter *pulchritudinem simulacrorum, sive* propter *copiam pecuniæ, ut, &c.*
[x] *Qui incepit Athenis templum* Jovis *Olympici.* [y] *Descripto circulo arenæ.*
[z] *Sic constantia Romana dissipavit cunctationem regis.*

8 Ita Jani: *et* Ed. pr. Bipont. et Lugd. Bat.—9 Ita Sylburg. et Ed. Bipont. *Olympicum* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat.—10 Ita Ald. Nep. cum Ed. Bipont. et al. *regem* Ed. pr.—11 *Macedonicæ* suspicatur Ruhnken.—12 *Com-*

NOTÆ

[c] *Simulacrorum*] Præter solita spolia, urbium etiam devictarum, montium, ac fluminum simulacra præferebantur.

[d] *Bis millies*] *Deux cent dix millions de sesterces*: qui si ad usum nostratis pecuniæ subducantur, erunt *six millions d'or, et trois cent mille écus.* Sestertius apud Romanos erat moneta argentea. Vide Budæum, De asse.

[e] *Ærario contulerit*] Tradidit Plinius l. XXXIII. populum Romanum ab eo tempore pendere tributum desiisse.

[f] *Ptolemæum*] Ægypti regem, Ptolemæi Philometoris fratrem natu minorem, qui Physcon etiam dictus est.

[g] *Alexandriæ*] Urbs est Syriæ, et emporium celebre, vulgo *Alexandrette.*

[h] *Missus est*] A Senatu, rogatu Evergetis, et Cleopatræ sororis, qui Romam legatos ante miserant opem Senatus contra Antiochum imploraturos.

[i] *Magnæ victoriæ*] Quam ex Macedonibus retulerat.

[k] *Prætextatos*] Qui gerebant togam prætextam, id est, quam circum prætexta purpura erat. Hac toga utebantur, 1. pueri nobiles usque ad decimum septimum annum. 2. Magistratus omnes urbani. 3. Omnes

victoriam adeptus est, (domi)[1] habuit. Is cum in concione extra Urbem, more majorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, Deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunæ suæ, in ipsum potius sævirent, quam in rempublicam. Quæ vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui. Nam alterum ex suis,[2] quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi,[3] alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa hæc tempora censura Fulvii Flacci et Postumii Albini fuit. [U. c. 580. a. Chr. n. 173.] Quippe Fulvii censoris frater, et quidem consors,[m] Cn. Fulvius, senatu motus est ab iis censoribus.

11. Post victum captumque Persen, qui quadriennio[4] post in libera custodia[n] Albæ[o] decessit, Pseudophilippus,[p] a mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philippum,

---

pote Ed. pr. sed *Compoti* omnes recentiores.—1 *Domi* supplevit Ruhnken. probante Jani: deest in Ed. Lugd. Bat. et al.—2 Ruhnken. Ed. Bipont. *ex his* Ed. Lugd. Bat. et Ed. Basil. probantibus Ruhnken. et Jani. *ex iis* Burm. —3 *Paucos ante triumphum* malit Hottingerus.—4 *Quadriennium* Ed. pr.—

NOTÆ

Senatores, cum sacros Diis celebrabant dies. 4. Collegiorum Magistri, (ut Paul. Manut. observavit in orat. pro Sext.) dum ludos agebant compitalitios, id est, in compitis fieri solitos. Prætexta porro erat quoddam vestimenti genus oblongum, ac talare. Hinc pueri prætextati dicti sunt. Annos etiam pueritiæ, per quos usus erat prætextæ, prætextatos vocavit Plinius l. XXXIII. sed observandus est omnino alius hujus vocis usus, cum tribuitur moribus: ut apud Juven. Sat. II. 'Sic prætextatos referunt Artaxata mores.' Intelliguntur enim mores lascivi et obscœni.

[l] *Ante paucos triumphi*] Quarto ante triumphum die. Alter vero in triumpho conspectus post tertium diem obiit.

[m] *Et quidem consors*] Lipsius interpretatur, *κοινόβιος*, hoc est, *ejusdem mensæ, atque ejusdem tecti.*

[n] *In libera custodia*] Ubi non adimitur libertas eundi, redeundi, et quibuscum libet congrediendi.

[o] *Albæ*] Urbs Latii est. Nunc jacet in ruinis: sed ei adjacet Albanum; quæ urbs ex alterius ruderibus crevit, et nunc *Albano* dicitur.

[p] *Pseudophilippus*] Falsus Philippus, a nomine Græco ψεῦδος. Ubi tamen observabis, hac voce, si nominibus propriis jungatur, non tam falsitatem, quam omnimodam similitudinem significari. Hic Pseudophilippus a Floro *Andriscus* nominatur. Causa fuit belli Macēdonici tertii, quod an. U. C. 606. confectum est ingenti clade Pseudophilippi exercitus, occisis ex ejus copiis viginti quinque millibus.

regisque stirpis ferebat, cum esset ultimæ, armis occupata Macedonia, assumtis[5] regni insignibus, brevi temeritatis pœnas dedit. Quippe Q. Metellus prætor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum erat,[6] præclara victoria ipsum gentemque superavit, et immani etiam Achæos, rebellare incipientes, fudit acie. [U. c. 605. a. Chr. n. 148.] Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ[7] duabus ædibus[a] sine inscriptione[q] positis, quæ nunc Octaviæ porticibus[r] ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit.[b] Cujus turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse[8] a Lysippo,[s] singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum[t] flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, et ipsius quoque iis interponeret.[c] Hic idem, primus omnium Romæ ædem[u] ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel[9] magnificentiæ vel luxuriæ

[a] *Duobus templis.*

[b] *Et qui deportavit ex Macedonia hanc multitudinem statuarum equestrium, quæ respiciunt frontem templorum, etiam nunc maximum ornamentum hujus loci.*

[c] *Ut effingeret ad vivum equites suæ turmæ, qui cæsi fuerant apud flumen Granicum, et se quoque* Alexandrum *poneret inter eos.*

---

5 *Adsumti* Ed. pr.—6 Ed. Basil. delet *erat*, quod deest etiam in Ed. Lugd. Bat. Jani emendat *est*, quem seq. Clud.—7 Heinsius: *porticus, circumdatas, &c.* deletis *quæ fuere.*—8 Freinshem. ad Curt. III. 11. 27. *imperasse Lysippo...auctori*, probantibus Heinsio et Burmanno, Ruhnkenio recipiente in contextum.—

NOTÆ

[q] *Sine inscriptione*] Hominis, non numinis. Horum enim templorum alterum Jovi, alterum Junoni inscriptum erat: sed sine inscriptione, quæ notaret vel artificum, vel ejus qui dedicaverat, nomen.

[r] *Octaviæ porticibus*] Duæ porticus sic Romæ vocabantur. Quarum alteram Octavia, Augusti soror, fecit: alteram Cn. Octavius, filius Cnæi illius prætoris, qui navali triumpho de rege Perseo triumphavit.

[s] *Lysippo*] Clarissimus erat statuarius, patria Sicyonius.

[t] *Granicum*] Phrygiæ minoris fluvius est, ex Ida monte in Propontidem se exonerans.

[u] *Ædem*] Interpretor, *templum*, cum Lipsio: non autem, *privatam domum*, cum Grutero. Ædes enim pro *privata domo* vix aliter usurpatur, quam numero multitudinis. Cum Lipsio tamen haud putem, hoc templum ipsi urbi Romæ, veluti Deæ, dedicatum;

princeps fuit. Vix ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam præter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium,[d] extentumque[10] vitæ spatium, et acres innocentesque pro republica cum inimicis[v] contentiones, quatuor filios sustulit,[e] omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt[x] quatuor filii:[f][11] unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus[y] consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori.

12. Universa deinde, ut prædiximus, instincta[g] in bellum Achaia, cujus pars magna ejusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta[12] erat, maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis,[z] instigantibus,[h] destinatus ei bello gerendo consul Mummius. [U. c. 608. a. Chr. n. 145.] Et sub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginensibus diceretur,[1] credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore

[d] *Et primum gradum in republica.* [e] *Genuit.*
[f] *Post ejus mortem quatuor* ejus *filii* extra *tulerunt ad rostra lectum*, ubi jacebat.
[g] *Incitata.* [h] *Impellentibus.*

9 *Hujus* excidisse putat Ruhnken.—10 *Extenuatumque* Ed. pr.—11 G. Cuperus Syllog. Epist. Norimb. p. 540. tolli vult *quatuor filii*, probante Ruhnken.—12 Ita Aldus Nep. *tracta* Ed. pr. et al. ex ea.—1 *dicebatur* Ed. pr.—2 Ruhn-

NOTÆ

non vero in urbe extructum dici.

[v] Cum *inimicis*] Cum Scipione Africano, ceterisque urbis optimatibus.

[x] *Pro rostris sustulerunt*] Ex quo loco mortui filius, aut alius ex ipsius genere, quæ in vita præclare gessisset, oratione laudabat. Rostra dicebatur locus seu templum in foro, navium rostris adornatum, ex quo ad populum concio haberi solebat.

[y] *Candidatus*] Sic dicebantur, qui magistratus petebant, a toga candida, quam per id tempus induebant. Inde rerum etiam aliarum petitores candidati vocati sunt.

[z] *In Romanos contumeliis*] Dubium est, an manu, at certe oratione ipsorum legati violati sunt, et Achæorum furorem antevertere fuga coacti sunt.

[U. c. 607. a. Chr. n. 146.] P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus,[2] ingeniique ac studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, ac sensit,[3] quem, Paullo genitum, adoptatum a Scipione Africani filio, diximus, ædilitatem[a] petens consul creatus est. (Is[4]) bellum Carthagini, jam ante biennium a prioribus consulibus[b] illatum, majore vi intulit: cum ante in Hispania murali[c] corona, in Africa obsidionali donatus esset; in Hispania vero etiam ex provocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset.[i] Eamque urbem, magis invidia imperii, quam ullius ejus temporis noxiæ[d] invisam Romano nomini, funditus sustulit, fecitque suæ virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus[5] clementiæ. Carthago diruta est,[e] cum stetisset annos DCLXXIII.,[6] abhinc annos CLXXV.,[7] Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio consulibus. [U. c. 608. a. Chr. n. 145.] Hunc finem habuit Romani imperii Carthago æmula; cum qua bellare majores nostri cœpere, Claudio et Fulvio con-

[i] *Præterea in Hispania interfecisset, in singulari prælio, hostem immodicæ staturæ, ipse mediocrium virium.*

---

ken. *omnibus belli togæque artibus ingeniique ac studiorum dotibus eminentissimus s. s.* Hottinger. Mus. Turic. Vol. I. T. 2. p. 349. post *dotibus* excidisse putat *ornatus*, vel simile quid.—3 Aldus Nep. *aut sensit*, probante Ruhnkenio.—4 *Is* deest in Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat. Heins. et Voss. deletis *est*. *Is*, continuant periodum.—5 *Ejus* ejecit Junt. *avitæ* conj. Heins.—6 *DCLXVII.* Ed. pr.—7 *CCLXXVII.* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat. *CLXXVII.* Ms. Vale-

NOTÆ

[a] *Ædilitatem*] Dignitas erat Romana, primus ad alias gradus. Ædilis hæ partes erant, urbem tueri, curare annonam, exhibere ludos, publica et privata ædificia procurare. Curulis dicebatur, a sella Curuli, qua soli Ædiles utebantur.

[b] *A prioribus consulibus*] Manilio et Censorino.

[c] *Murali*] Quod murum urbis obsessæ prior conscendisset. *Obsidionali*, quod obsessas cohortes Romanas liberasset: hæc erat graminea; inde decerpto gramine, ubi obsessæ tenebantur. Erat omnium longe nobilissima.

[d] *Ullius...noxiæ*] Lipsius *ullis...noxis*, i. e. ullis noxis, quæ objici illi tum possent, cum adversus eam bellum decretum est.

[e] *Carthago diruta est*] Incendio, quod, teste Floro, per septemdecim dies extingui tamen vix potuit.

sulibus, ante annos CCXCIII.,[8] quam tu, M. Vinici, consulatum inires. [U. c. 490. a. Chr. n. 263.] Ita per annos CXVIII,[9] aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit. Neque se Roma, jam terrarum orbe superato, securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis. Adeo odium, certaminibus ortum, ultra metum durat, et ne in victis quidem deponitur: neque ante invisum[f] esse desinit, quam esse desiit.

13. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor,[k] L. Censorino, M'. Manilio[10] consulibus, mortem obiit. [U. c. 605. a. Chr. n. 148.] Eodem anno, quo Carthago concidit, et[11] Mummius Corinthum, post annos DCCCCLII., quam ab Alete,[12] Hippotis filio, erat condita, funditus eruit. Uterque imperator, devictæ a se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus: Nec quisquam ex novis hominibus[g] prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit.[l] Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia. Quippe Scipio[h] tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ et auctor[i] et admirator fuit, ut Polybium[j] Panætium-

[k] *Continuus suasor illius subvertendæ.*

[l] *Nec ullus inter novos homines sibi tribuit, ante Mummium, cognomen acquisitum fortitudine.*

---

sius ad Excerpt. Peiresc. p. 32. emend. *CLXXIV.*—8 *CCXCVI.* Ed. pr.—9 *CXV.* Ed. pr.—10 Ita ex Fastis corrigit Aldus Nep. *M. Manlio* Ed. pr. Ed. Lugd. Bat. et al. vett.—11 Ita Herel. *a. Mummius* Ms. *A. Mummius* Ed. pr. *L. Mummius* Rhenan. Ed. Lugd. Bat. et Ed. Bipont.—12 *a belete* Ed. pr.

NOTÆ

[f] *Ante invisum*] Lipsius legit, *invisa*. At id necesse non est. Hunc enim textus efficit sensum, qui verus est: Adeo quod semel invisum fuit, non ante invisum esse desinit, quam omnino esse desiit.

[g] *Ex novis hominibus*] Novi dicuntur, quorum majores obscuri fuerunt, sed qui incipiunt ipsi clari esse per se, et magistratus in civitate assequi.

[h] *Quippe Scipio*] Sensus est: Scipio adeo liberalia studia atque omne doctrinarum genus coluit, ut scripserit ipse elegantissime: tantique fecit doctos viros, ut semper habuerit secum, tam in urbe quam in castris, Polybium et Panætium, viros præstantissimi ingenii.

[i] *Auctor*] Lipsius existimat hanc laudem pro Scipione esse nimiam: unde scribi vellet, *fautor*. Verum ea laus videri nimia non debet; cum

que,[k] præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit,[m] semperque aut belli aut pacis serviit artibus:[l] semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut, capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas, in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas esse[2] reddituros. Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi,[n] et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

14. Cum facilius cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæreat; statui priorem hujus voluminis posterioremque partem, non inutili rerum notitia in arctum contracta, distinguere, atque huic loco inserere, quæ, quoque tempore, post Romam a Gallis captam, deducta sit colonia[1] jussu Senatus. Nam militarium[m] et causæ[3] et auctores[n] ex ipsarum præfulgent no-

[m] *Nam nemo melius, quam hic Scipio, distinxit otio spatia vacua negotiis.*

[n] *Tamen*, ut *puto, non dubitabis, Vinici, quin utilius futurum fuisset reipublicæ mentes* nostras *adhuc manere ignaras* operum *Corinthiorum, quam adeo peritas esse in his æstimandis.*

—1 Ruhnken. expungenda censet *Semperque—artibus*: Herelius *Serviens artibus, corpus periculis, animum, &c.* Krause etiam *inter arma ac studia versatus* vèlit ejicere.—2 Ita Heinsius probante Freinshem. recipientibus Ruhnken. et Jani: *eos* pro *esse* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat.—3 *Causæ* Ms. abraso

NOTÆ

Scipio is sit, ad quem Terentii scripta (insigne elegantioris doctrinæ monumentum) teste Fabio, a veteribus referantur. Quam tamen opinionem a Donato impugnari scio.

[l] *Polybium*] Insignis est historicus, ex Megalopoli Arcadiæ urbe. Historiam Romanam libris quadraginta conscripsit.

[k] *Panætium*] Stoicæ sectæ Philosophum, patria Rhodium.

[1] *Colonia*] Coloniæ oppida fuerunt, quo populus Romanus suos cives ad incolendum ab urbe deduxit. Qui plura scire de colonis velet, adeat Sigonium de antiq. jure Italiæ l. II.

[m] *Militarium*] Militares coloniæ vel fuerunt agri bello capti, qui inter veteranos milites dividebantur; vel etiam oppida, quo iidem mittebantur, ut præliorum diuturnitate fessi aliquando præmium laborum suorum

mine.[o] Huic rei per idem tempus civitatem propagatam,[4][o] auctumque Romanum nomen communione juris, haud intempestive subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli Urbem ceperunt, Sutrium[p] deducta colonia est; et post annum Setia[5][q] [U. c. 372. a. Chr. n. 382.]; novemque interjectis annis Nepe:[r] deinde, interpositis duobus et triginta, Aricini[s] in civitatem recepti. Abhinc annos autem CCCLXII.,[6] Sp. Postumio, Veturio Calvino consulibus, Campanis[t] data est civitas, partique Samnitium,[u] sine suffragio[v] [U. c. 420. a. Chr. n. 333.]: et eodem anno Cales[x]

[o] *Nam de militaribus coloniis, nota sunt et ipsarum nomina, et causæ, et auctores.*

---

apiculo, quo fit diphthongus. *Causa* Ed. pr.—4 Ita Lipsius et Ed. Bipont. *civitates propagatas* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat.—5 *Setina* Ed. pr. et Ed. Lugd.

NOTÆ

caperent. Quod autem Velleius facturum se negat, ut pluribus colonias militares persequatur, studiose Sigonius executus est de antiq. jure Italiæ l. III. ubi de militaribus coloniis fuse disserit.

[n] *Et auctores*] Intelligit L. Syllam, C. Cæsarem, Dictatores: M. Antonium, M. Lepidum, et C. Octavianum, Triumviros: ipsummet imperatorem Augustum: qui omnes, parta civili victoria, hostium agros militibus, per quos vicerant, diviserunt.

[o] *Civitatem propagatam*] Hujus loci sensus est: Huic rei subtexturi videmur oppida, quibus per idem tempus civitas data est; quæ idcirco totidem sunt veluti Romæ propagatæ in provincias, ubi Romanum nomen auctum est communione juris.

[p] *Sutrium*] *Sutri*, in Etruria: ditiopia Pontificiæ.

[q] *Setia*] Ita lege cum Manutio, cæterisque Geographis; hodie *Sezza* in Latio.

[r] *Nepe*] Ita lego cum multis: etsi Cluverius vult legi *Nepete*. Nunc *Nepi* in Etruria.

[s] *Aricini*] Pro *Aricia* in Latio; nunc *La Riccia*.

[t] *Campanis*] Idem narrat Livius l. VIII. sed discedere a Velleio videtur. Nam, 1. id narrat tantum de equitibus Campanis. 2. id refert ad L. Furii et C. Mœvii consulatum, quadriennio ante Velleii notam. Verum componi cum Livio Velleius potest, si dicatur, datam esse civitatem primum equitibus Campanis, deinde Campanis universis, seu urbi Capuæ, Campaniæ capiti: eo quod rebellare cum Latinis noluisset.

[u] *Parti Samnitium*] Pars illa nunc dicitur, *Duché de Benevent*.

[v] *Sine suffragio*] Id est, ea conditione, ut in comitiis nec suffragium ferrent, nec magistratus adipiscerentur. Honoris tamen causa iis concedebatur, ut tanquam cives Romani in legione, non in auxiliariis copiis, velut socii, militarent. Quibus autem civitas cum suffragio dabatur, primum cives Romani fiebant: ac præterea poterant magistratus aut alieno suffragio consequi, aut suo alteri obtinere.

[x] *Cales*] *Calvi* in Campania, *Dans la terre de Labour*.

deducta colonia. Interjecto deinde triennio Fundani[7] et Forminiani in civitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria[a] condita est. Insequentibusque consulibus, Sp. Postumio,[7] Philone Publilio censoribus, Acerranis[a] data civitas [U. c. 423. a. Chr. n. 330. Ol. 112. 2.]; et post triennium Tarracina[8 b] deducta colonia: interpositoque quadriennio, Luceria:[c] ac deinde, interjecto triennio, Suessa Aurunca:[d] et Saticula, Interamnaque post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacaverunt.[f] Tunc Sora atque Alba deductæ coloniæ, et Carseoli[e] post biennium. At quintum Fabio Quinto, Decio Mure quartum consulibus,[9] quo anno Pyrrhus[f] regnare cœpit [U. c. 459. a. Chr. n. 294.], Sinuessam[g] Minturnasque missi coloni: post quadriennium Venusiam[h] [U. c. 464. a. Chr. n. 289.]: interjectoque biennio, M'. Curio et Rufino Cornelio consulibus, Sabinis sine suffragio data civitas. Id actum ante annos ferme CCCXX. At Cosam[10 i] et Pæstum abhinc annos ferme CCC., Fabio

[f] *Decem annis consequentibus hæc cura cessavit.*

Bat.—6 *CCCL*, Ed. pr.—7 *a Sp. Posthumio, Philone Publio* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat.—8 Ita Lips. *Tarracinam* Ed. pr.—9 Lectio hæc Rhenano et Burerio debetur. *ad quintum* vulg. *Ad qntum Fabioque Decio Mure Cons.* Ms. *Ad quintum Fabioque Decio Mure quarto Cons.* Ed. pr. In Ed. Bipont. et Ed. Lugd. Bat. deest *Quinto*.—10 Ita Ed. Basil. *Cosa* Ms. *Cossa* Ed. pr. *Cos-*

NOTÆ

[7] *Fundani*] *Fondi*. Formiani, *Mola*: quibusdam *Formiæ*.

[a] *Alexandria, &c.*] Ab Alexandro magno, in Ægypto.

[a] *Acerranis*] *La Cerra* in Campania.

[b] *Tarracina*] Volscorum oppidum in Latio. Antea dicebatur *Anxur*: nunc *Terracina*.

[c] *Luceria*] *Lucera*, urbs Apuliæ Daunïæ, *dans la Pouille, ou Capitanate*.

[d] *Suessa Aurunca*] *Sezza* in Campania. *Saticula*: *Caserta*, ibid. *Interamna*, nunc *Torre di Termine*; quibusdam, *l'Isola* prope Vulturnum fluvium.

[e] *Carseoli*] *Arsoli* in Latio.

[f] *Pyrrhus*] Rex Epirotarum, is, cui de bello adversus Romanos Apollinem consulenti, responsum est vulgatum illud propter ambiguitatem Oraculum: 'Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.'

[g] *Sinuessam*] Quibusdam *Sezza*; sed error est. Aliis *Rocca di Mondragone* non procul a Liri fluvio. *Minturnas*, ibidem: nunc *La Barca del Garigliano*, quod ibi Liris scapha trajiciatur.

[h] *Venusiam*] Nunc *Venosa*, Horatio alumno nobilis.

[i] *At Cosam*] Ita Sigonius et Cluverius recte emendaverunt. Nunc *Au-*

Dorsone et Claudio Canina consulibus [U. c. 491. a. Chr. n. 272.], interjecto quinquennio, Sempronio Sopho et Appio Cæci filio[k] consulibus, Ariminum,[l] et Beneventum, coloni missi [U. c. 486. a. Chr. n. 267.]; et suffragii ferendi jus Sabinis datum. At initio primi belli Punici Firmum[m] et Castrum colonis occupata: et post annum Æsernia:[n] postque XVII.[11] annos Æsulum et Alsium; Fregenæque[12] post biennium; proximoque anno, Torquato Sempronioque consulibus [U. c. 510. a. Chr. n. 243.], Brundisium, et post triennium Spoletium, quo anno Floralium[o] ludorum factum est initium. Postque biennium deducta[1] Valentia,[p] et sub adventum in Italiam Hannibalis, Cremona[q] atque Placentia. [U. c. 536. a. Chr. n. 217.]

15. Deinde, neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere,[r] cum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus, et post bellum vires refovendæ magis, quam spargendæ. Cn. autem Manlio Volsone et[s]

[r] *Deinde, neque dum Hannibal constitit in Italia, neque primis annis post ejus discessum, integrum fuit Romanis deducere colonias.*

sam Ed. Lugd. Bat.—11 Ita Aldus Nep. *XXII.* Ed. pr. et Ed. Lugd. Bat. —12 Ita corrigit Sigonius. Vulgo *Fregellæque*. Ed. pr. *Fregellæque anno post biennium. Anno* expunxit Editor Basil. probantibus Gruner. Ruhnk. et Jani. —1 Ita Ed. Basil. *ducta* Ed. pr.—2 Ita Ed. pr. Ruhnken. Ed. Bipont. et

NOTÆ

sedonia, in Etruria: *Pæstum*, nunc *Pesti* in Lucania. Jacet in ruinis.

[k] *Appio Cæci filio*] Appii Claudii, cognomento Cæci, quod revera esset.

[l] *Ariminum*] *Rimini*, in Romandiola: *Beneventum*, *Benevent*, in agro Neapolitano.

[m] *Firmum*] *Fermo*, in Marchia Anconitana: *Castrum*, *Castro* in Tuscia.

[n] *Æsernia*] *Isergna*, in Samnio, *dans l'Abrusse*: *Æsulum*, lege cum aliis *Asculum*, *Ascoli*, in Piceno: *Alsium*, *Palo*, in Ducatu Braciani: *Fregenæ*, *Ponte Corvo*, in Campania: *Brundusium*, *Brindisi*, in agro Hydruntino, *dans la terre d'Otrante*.

[o] *Floralium ludorum*] In Floræ honorem institutorum: ob ingentem pecuniæ vim, quam hæreditate populo Romano reliquerat. Quod cum postea flagitiosum senatui videretur (nam eas opes meretricio quæstu Flora paraverat) pudendæ rei dignitatem quærere placuit. Ergo Floram Deam esse patres finxerunt, quæ floribus præesset, quæque esset placanda, fruges ut feliciter provenirent.

[p] *Valentia*] Nunc *Bivona* non procul a *Monteleone* ulterioris Calabriæ.

[q] *Cremona*] Non procul a Mantua: *Placentia*, *Plaisance*: utraque Galliæ Cisalpinæ ad Padum.

Fulvio Nobiliore consulibus [U. c. 565. a. Chr. n. 188.], Bononia[r] deducta colonia, abhinc annos ferme CCXVII.; et, post quadriennium, Pisaurum[s] ac Potentia; interjectoque triennio Aquileia[3t] et Gravisca, et post quadriennium Luca.[u] Eodem temporum tractu [U. c. 596. a. Chr. n. 157.], quanquam apud quosdam ambigitur, Puteolos,[v] Salernumque[4] et Buxentum missi coloni. Auximum[w] autem in Picenum, abhinc annos CLXXXVII., ante triennium, quam Cassius censor, a Lupercali[x] in Palatium versus,[r] theatrum[y] facere instituit. Cui id[5] demoliendo[z] eximia civitatis severitas et consul Scipio[6] restitere. [U. c. 599. a. Chr. n. 154.]

[r] *A Lupercali versus montem Palatinum.*

Clud. *M. Fulvio* Ed. Basil. Burm. Lugd. Bat. 2.—3 Ed. pr. *Aquilia.*—4 Ita jam Ed. Basil. correxit ex Liv. XXXIV. 35. Ed. pr. *Falernum.*—5 Ed. pr. et post eam Burm. Ruhnken. et Lugd. Bat. 2. *in demoliendo*, ex quo Ald. Nep. Lips. *in emoliendo* s. perficiendo. quos sequitur Clud. Riguez., probante Burm., *in eo moliendo:* Ruhnken. conj. *id emolienti* s. *molienti*. Gruner. Jani, et al. *id demoliendo*. Ed. Bipont. *inde moliendo.*—6 Ed. pr. *Cepio.*—7 Ed. pr.

NOTÆ

[r] *Bononia*] Sita est prope Rhenum amnem, in dominio Pontificio: pinguis soli, unde nobis dicitur, *Boulogne la grasse.*

[s] *Pisaurum*] *Pesaro* Ducatus Urbini, in ditione Pontificia, et in ora Adriatici maris: *Potentia*, urbs Piceni, excisa, cujus nomen superest in proxima Abbatia, quæ sanctæ Mariæ dicitur, non procul a portu Recitenensi, *Recanati.*

[t] *Aquileia*] *Aquilée*, alias perampla, nunc ob aëris inclementiam deserta: *Gravisca*, in Etruria: nunc excisa, cujus ex ruinis crevit Cornetum, *Corneto*, in provincia Patrimonii S. Petri.

[u] *Luca*] Urbs munitissima, nunc sui juris, et Respublica libera, *Lucques.*

[v] *Puteolos*] Incolis *Pozzuolo:* nobis *Ponzol.* In ora littorali Provinciæ Terræ Laboris, cum portu celeberrimo: *Salernum*, *Salerne*, in regno Neapolitano, Principatus Citerioris caput, cum arce et portu, in ora Tyrrheni maris: *Buxentum*, *Policastro*, ibidem.

[w] *Auximum*] *Osimo*, non *Osmo*, ut multi perperam scripserunt. Paret summo Pontifici.

[x] *Lupercali*] Locus erat, sub monte Palatino, Pani, Arcadiæ Deo, sacer. Hinc Sacerdotes Panis dicti sunt Luperci.

[y] *Theatrum*] Lapideum: cum antea theatra, quem admodum vocant temporaria, ex ligno struerentur.

[z] *Demoliendo*] Mendo non caret hic locus. Nam quod Boeclerus ait, *demoliri* sumi pro *moliri*, id dicit prorsus gratis, cum sine ullius exempli appositione dicat. Manutius locum, haud dubie corruptum, sic restituit: *in moliendo.* Adderem equidem, in *eo* moliendo, *de* mutatis in *eo*,

Quod ego inter clarissima publicæ voluntatis[a] argumenta numeraverim. Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Sallues[7] [b] apud Aquas, quæ ab eo Sextiæ[c] appellantur, devicit, consulibus [U. c. 630. a. Chr. n. 123.], Fabrateria[d] deducta est, abhinc annos ferme CLIII.,[8] et post annum, Scylacium,[9] [e] Minervium, Tarentum, Neptunia: Carthagoque in Africa, prima, ut prædiximus,[10] extra Italiam colonia condita est. De Dertona[f] ambigitur. Narbo autem Martius[g] in Gallia, Porcio Marcioque[11] consulibus [U. c. 636. a. Chr. n. 117.], abhinc annos circiter CLIII., deducta colonia est. Post tres et viginti annos[h] in Bagiennis[12] [i] Eporedia,[j]

Sallyes.—8 Lips. *CLII.* Ed. pr. *CLVII.*—9 Ita correxit Ed. Basil. *Scolatium* Ed. pr.—10 Hæc *ut prædiximus* ejicienda censent Voss. et Ruhnken. quia ejus mentio non sit facta.—11 Ita Ruhnken. Burm. Bipont. Clud. *Portio Marcoque* Ed. pr. *M. Porcio, Q. Marcio* Ed. Basil. Lugd. Bat. 2.—12 Ita Cod.

NOTÆ

quas literulas corrumpere pronum librariis fuit. Sic autem sensus optimus efficitur.

[a] *Publicæ voluntatis*] Propensionis ad veteres mores retinendos.

[b] *Sallues*] *Les Provençaux.* Salyi, et Salyes Plinio, Livio Salvii, Saluvii Marcelliano dicuntur.

[c] *Aquas, quæ ab eo Sextiæ*] Urbs est Galliæ Narbonensis, vulgo *Aix*, totius provinciæ Parlamenti sedes.

[d] *Fabrateria*] Nunc *Falvaterra*, Volscorum pagus in Latio, prope Lirim, in ditione Pontificia.

[e] *Scylacium*] Nunc *Squillace*, Calabriæ ulterioris: *Minervium, Minerbino*, aut *Monervino*, regni Neapolitani, in provincia Bariana, in ipso limite Basilicatæ, versus montes: *Tarentum, Tarente:* alias magnæ Græciæ, in Calabria: hodie vero regni Neapolitani, in terra Hydruntina: *Neptunia*, oppidum fuit magnæ Græciæ, apud Scylacium, ad montis Moscii radices. Verum illud video hodie ignorari.

[f] *De Dertona*] *Tortone.* Urbs probe munita, in Mediolanensi tractu, sub Hispanorum dominio.

[g] *Narbo Martius*] *Narbonne*, in Occitania provincia, juxta ramum fluvii Atacis *(de l'Aude)* manu ductum alias a Romanis, nunc *La Robine* dictum, non procul ab ora Mediterranei maris. At unde Martius dicitur? Ex eo, quod ex legione Martia Cæsar eo colonos deduxerit. Certe plurimæ coloniæ, a legionibus, quæ in iis erant collocatæ, nomen sibi pepererunt, ut sextanorum, secundanorum, Decumanorum, &c. Scribendum vero est *Martius*, non *Marcius*, ut apud Sigonium de Ant. jure Provinc. l. 1. c. 6. testatur vetus æræ inscriptio, PRO. COLONIS. INCOLISQUE. COL. JUL. PATERN. NARB. MART.

[h] *Post tres et viginti annos*] Aliter legit Vossius, auctoribus Pighio in Annal. Roman. et Philippo Cluverio in Italia Antiqua. Sic legit: *Deducta colonia, et post duo de viginti annos in Bagiennis Eporedia.* Quod distinctionem mutaverit, et pro *est* reposuerit *et*, facile probo: quod vero tollat

Mario sexiens,[1] Valerioque Flacco consulibus. [U. c. 654. a. Chr. n. 99.] Neque facile memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.[e]

16. Cum hæc particula operis velut formam propositi excesserit, quanquam intelligo, mihi in hac tam præcipiti festinatione, quæ me rotæ pronive gurgitis[f] [ac verticis][2] [k] modo nusquam patitur consistere, pæne magis necessaria prætereunda, quam supervacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem sæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, in eandem[3] formam, et in idem arctati temporis congruerint[4] spatium: et, quemadmodum clausa capso,[5] [l] aliove[6] septo, diversi generis animalia, nihilo minus separata alienis, in unum quæque[7] corpus congregantur, ita cujusque clari operis capacia ingenia in similitudine[8] et temporum et profectuum semet ipsa ab aliis separaverint?[9] [m]

[e] *Neque facile prodiderim scriptis, an ulla alia* colonia, *quam militaris, missa sit post hoc tempus.*

[f] *Et rapidi gurgitis.*

[m] *Tamen non possum me tenere, quin mandem scriptis rem, de qua sæpe cogitavi, et quæ* nondum *clare demonstrata est* ullo *argumento. Nam quis potest satis mirari, quod ingenia præstantissima in qualibet arte convenerint in idem spatium*

Ed. pr. *Baciennis*, ex quo Ald. Nep. *Vagiennis*: quem secuti sunt Lips. Voss. Cellar. A. Thys. Burm.—1 Ed. pr. *Eporedia sexies, Mario sexies.* Cod. *Eporedi, Mario sexiens.* Cludius conj. *sextum.*—2 Hæc de glossa suspectum habet Ruhnken. nec immerito. Cludius ascripsit 'Glossator, volens in margine vel inter lineam explicare *proni*, posuisse videtur *a vertice delabentis* s. *se præcipitantis*; ex quo, cum in Cod. sæpe *a* et *ac* permutatum fuisse constat, ortum sit *ac verticis*.'—3 Ita correxit Rhenan. Ed. pr. *in eam.*—4 Ed. pr. Ruhnken. Burm. Lugd. Bat. 2. *congruens:* Heins. *congruêre;* et ita Ed. Bipont. *congruerint* autem Voss. quod probat Recens. Berol.—5 Ed. pr. *capsa.*—6 Ita correxit Lips. probantibus Acidal. Voss. Gruner. Ruhnken. et Jani. Ed. pr. *alioque.*—7 Ita Lips. probantibus principibus criticorum. Ed. pr. *quoque.*—8 Ita emendavit Ruhnken. Ed. pr. et al. sqq. *similitudinem.*—9 Sic Voss. Ed.

NOTÆ

Vagiennis et *Eporædia*, ut reponat *Bagiennis* et *Eporedia*, tantum fero: nam utrumque dicitur.

[1] *Bagiennis*] Populi fuerunt Liguriæ montanæ, seu Galliæ Subalpinæ, prope fontes Padi.

[2] *Eporedia*] Nunc *Yurée*, in Pedemontio, ad Duriam fluvium.

[k] *Verticis*] Quintilianus lib. VIII. cap. 2. ait verticem esse, quicquid in se vertitur: explicandum tamen esse maxime de contorta in se aquâ: *un tournant d'eau.*

[l] *Capso*] Vossius profitetur, se restituisse *capso*, pro, ut alii legunt, *Capsa*, fide codicis Ms. Significat *capsus*,

Una, neque multorum annorum spatio divisa, ætas, per divini spiritus viros, Æschylum,[m] Sophoclem,[n] Euripidem,[o] illustravit tragœdias: una priscam illam et veterem sub Cratino,[p] Aristophane et Eupolide comœdiam. At[10] novam [comicam][11] Menandrus,[q] æqualesque ejus ætatis magis, quam operis, Philemon[r] ac Diphilus, et invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia,[w 12] omnium, quos

angusti temporis, et in eundem modum quærendi perfectionem suæ artis? *et, sicut animalia diversæ speciei*, licet *inclusa* eodem *capso, aut quolibet claustro, ita separantur inter se, ut una quæque* species *coëat in unum gregem: sic homines capaces præstantis alicujus operis, conjuncti inter se similitudine temporum et studiorum, segregaverint se ab aliis.*

[w] *Philosophi quoque, quos paulo ante recensuimus, profecti ex disciplina Socratis, &c.*

---

pr. *separaverunt*.—10 Ita correxit Aldus Nep. recipiente Ruhnken. *Ac* Ed. pr. et al. sqq.—11 Vocem hanc ejecit Acidal. probante Ruhnken. qui uncis inclusit. Heins. *nova comica*.—12 *ingenia...ore defluentia* damnat Clud. qui conj. *rore*

NOTÆ

vallum, claustrum, seu locum sudibus septum ac munitum.

[m] *Æschylum*] Athenis flornit Olympiade 70, juxta Eusebium: 60. juxta alios: vixit annos 65. Hieronis Siciliæ regis tempore, ac in ipsa Sicilia, ut perhibent, mortuus: sed miro fato. Ei prædictum fuerat, ipsum casu domus interiturum. Quare mediis in agris degebat. Non tamen vim fati declinavit. Nam cum forte aperto, quod calvum erat, capite sederet, aquilam hac prætervolare contigit: quæ testitudinem in Æschyli caput illisit, rata saxum esse propter ejus calvitiem. Quo ictu poëta interiit. Ita Ælian. et Valer. Maxim.

[n] *Sophoclem*] Sophili filium, Æschylo 17. annis juniorem. Annos natus 95. obiit, acino, teste Luciano, strangulatus.

[o] *Euripidem*] Hic natus est Salamine in Atticæ insula cognomine, quo anno Xerxes in Græciam irrupit. Ei Mnesarchus pater fuit; mater vero Clito. Obiit annos natus 75. diro mortis genere. Cum enim cœnatus ab Archelao Macedoniæ rege, a quo unice diligebatur, noctu rediret, a canibus laceratus est.

[p] *Cratino*] Atheniensi, Callimedis filio. Adeo amans vini fuit, ut ob ruptum vas, et effusum vinum, dolore perierit. *Aristophanes*, ex Lindo Rhodi oppido, *Eupolide*, Athenis, in patria sua, floruit. In mare dejectus est ab iis, in quos scripserat: dubitatur, an jussu Alcibiadis, quem versibus perstrinxerat. Certe tum Alcibiades edicto cavit, ne quis in alios fabulas scriberet. Ex quo factum est, ut apud Athenienses primum, ac subinde apud Romanos priscæ Comœdiæ acerbitas in leniorem formam mutata sit.

[q] *Menandrus*] Atheniensis: annos natus 55. submersus est, dum in Piræeo portu nataret.

[r] *Philemon*] Damone patre natus est Syracusis, juxta Suidam: Pom-

paulo ante enumeravimus, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post ejus auditores, eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo[1] quidem arctatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint.[x]

17. Neque hoc in Græcis, quam in Romanis, evenit magis. Nam, nisi aspera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, in Accio[s] circaque eum[2] Romana tragœdia est.[y] Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium[t] Terentiumque[u] et Afranium[w] suppari[3] ætate nituerunt. Historicos (ut

[x] *Certe* id totum *comprehensum fuit adeo exiguo spatio temporis, ut nullus fuerit memorabilis, quin potuerit videri alter ab altero.*

[y] *Nam nisi revoces inculta, et impolita, et* solum *laudabilia propter inventionem, Romana tragœdia continetur in operibus Accii, et illius coëtaneorum.*

---

diffluentia.—1 Acidal. Voss. *Adeo quidem artati;* Lips. *adeoque artati ii;* ed. pr. *adeo quidem artatum,* cui Ruhnken. præponit *id: Id adeo quidem artatum.* Ed. Bipont. audacius h. l. ex superioribus tractum *omnium q. p. a. e.* inserens, ita: *Adeo quidem omnium, quos paullo ante enumeravimus, avum, artatum angustiis temporum, ut nequiverint.*—2 Ita Burer. Ed. pr. *circaque eorum,* quod tuetur Hottinger. Cl. in Mus. Turicens. legens: *in Accio circaque, eorum* (scl. Romanorum) *tragœdia est,* ejecto *Romana.*—3 Ita Acidal. Ed. pr. *sub pari.*—

NOTÆ

peiopoli in Ciliciæ urbe, juxta Strabonem. Risu corruit exanimis, asinum ficos mandentem intuens: ita post Lucianum Valer. Max. *Diphilus* Sinopensis fuit, dictus κωμικώτατος, id est, maxime comicus. De Socrate, Platone, Aristotele, et Isocrate, multa passim traduntur apud scriptores, quæ afferre supervacaneum esset.

[s] *Accio*] Hic, Serrano et Mancino consulibus, jam sene Pacuvio insigni tragico, floruit. Cicero scripsit, eum ita Decio Bruto gratum fuisse, ut ejus solum versibus templorum aliorumque ædificiorum frontem exornari juberet.

[t] *Cæcilium*] Gallus Insuber fuit, Ennii contubernalis: genere servus. Unde dictus est Statius: quod apud antiquos nomen servile fuit.

[u] *Terentium*] Carthaginiensem, Terentii Lucani libertum. A quo cum propter ingenium ac formam liberaliter esset institutus, manuque mature missus, brevi in amicitiam venit nobilium: maximeque Lælii ac Scipionis. Quorum opera in scribendo usus esse, propter sermonis elegantiam, creditur. Cujus opinionis invidia illi in Græciam navigandi causa fuit. Unde cum rediret, naufragio periit, cum octo et centum Menandri fabulis, quas Latino sermone donaverat. Aliqui tamen eum Romam rediisse, sed tædio, propter amissas fabulas, extinctum esse prodiderunt.

[w] *Afranium*] Id unum de illo scitur, quod Cicero tradidit: eum in togatis, et attellanis scribendis excellaisse, hoc est, Comœdiis, in quibus humiles ac ridiculæ personæ inducebantur.

et[4] Livium quoque priorum ætati astruas[z] præter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus LXXX. annis circumdatum ævum tulit: ut nec poëtarum in antiquius citeriusve processit ubertas. At oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ[x] eloquentiæ decus; ut idem separetur Cato, (pace P. Crassi, Scipionisque, et Lælii, et Gracchorum, et Fannii,[5] et Servii[6] Galbæ dixerim,) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio,[a] ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis,[y] pictoribus, scalptoribus,[7] quisquis temporum institerit notis,[b] reperiet, eminentia[8] cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata. Hujus ergo recedentis in quoddam sæculum ingeniorum similitudinis, congregantisque se et in studium par, et in emolumentum,[9] causas cum semper requiro,[c] nunquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse veri similes: inter quas has maxime. Alit æmulatio ingenia; et nunc invidia, nunc admiratio imitationem[§ z] accendit: matureque,[10] quod summo studio

[z] *Etiamsi numerares Livium inter antiquos.*

[a] *Ita omnis extulit se sub Cicerone, peritissimo suæ artis, &c.*

[b] *Quisquis observabit tempora.*

[c] *Ergo cum investigo causas*, propter quas *hoc sæculo, et superiore homines amplexi sint* omnes *eadem studia, et eosdem progressus, &c.*

---

4 Ed. pr. *et ut.*—5 Ita Cod. Ed. pr. *Fauni.*—6 Ed. pr. *Servi.*—7 Cod. *scalptoribusque uisquisque temporum*, unde Burer. et Heins. *scalptoribusque, ut quisque.* Rhenani autem lectionem *scalptoribus quisquis* probat et recipit Ruhnken.—8 *Et eminentia.* Rhenan. Cod. *eminentia....circumdatam*, unde Rhenan. *eminentia...circumdata.* Ald. Nep. *eminentiam....circumdatam.*—9 Codex: *Hujus e. r. mg. seculum i. similitudines congregantesque se et in studium par et emolumentum.* Ed. pr. *H. e. præcedentisque seculi i. similitudines congregantis et i. s. p. et in emolumentum.* Ruhnken. ex sua conject. edidit: *H. e. p. s. i. similitudinis congregationisque, &c.* Jani, ut editum est, e Cod. vestigiis optime emendavit.—§ Ita Acidal. probante et in textum recipiente Ruhnken. Ed. pr.

NOTÆ

[x] *Prosæ*] Orationis liberæ, nullisque numeris astrictæ. Qua voce, præter Velleium, Quintilianus, Suetonius, et Ausonius usi sunt.

[y] *Plastis*] Statuariis. Nam inter alias statuariæ partes numeratur etiam Plastice, quæ argillam tractat.

[z] *Imitationem*] Ita legit Acidalius cum plerisque; sed, pace illorum, retinendum *incitationem.* Nam primum vox Latina est: deinde facilis ejus sensus: æmulatio alit ingenia: et nunc invidia, nunc admiratio accendit, quæ jam æmulatio incitaverat.

petitum est, ascendit in summum: difficilisque in perfecto mora est;[d] naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. Et, ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur, ita, ubi aut præteriri, aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et, quod assequi non potest, sequi desinit, et,[11] velut occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur,[12] conquirimus: sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum[1] perfecti operis impedimentum sit.[e]

18. Transit admiratio ab conditione[2]† temporum et ad urbium. Una urbs Attica‡ pluribus annis eloquentiæ, quam universa Græcia operibusque,[3] floruit: adeo ut corpora gentis illius separata [sint][4] in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem, aut dum vixit, auctoritate, aut post mortem, memoria dignum existimatum. Quæ urbes,‖ [et initalia],[5] talium studiorum fuere steriles, nisi

[d] *Et difficile est hærere in eo, quod perfectum est.*

[e] *Atque hinc fit, ut transitus creber ab una re ad aliam plurimum obsit perfectioni operis.*

---

incitationem.—10 Ita Acidal. recipiente Ruhnken. Ed. pr. *naturaque*: it. Burm. et Ed. Lugd. Bat.—11 Herel. placuit *sed.*—12 Ita Ed. pr. quod retinuit Ruhnken. Heins. vero *niteamus* mallit, quod probat Kraus.—1 Cludius *imitationis* addidit post *maximum* ex conjectura sua, quia, ut inquit, et sensus et contextus illud vocabulum postulat.—2 Ita emendavit Schegk. quem secuti sunt Lips. Ruhnken. et al. Ed. pr. *ad conditionem.*—3 *Que* post *operibus* omisit Vascos. idque abjiciendum putarunt Acidalius, Lipsius (qui tamen et tentavit *uberiusque*), Ruhnkenius et Hottingerus in Mus. Turic. Acidalius autem in prioribus conjecit: *U. u. A. pl. annis eloquentia, quam u. G. operibus* (h. e. rebus gestis) *floruit.* Ruhnkenius autem: *pluribus annæ eloquentiæ...operibus fl.* Equidem, ut supr. 8. Ruhnkenius, ita h. l. ante *operibusque* elapsam esse vocem, v. c. *ingeniis*, putarim. *Kraus.*—4 Ruhnken. *sparsa* conjecit. Gruterus tollit *sint.*—5 Uncis inclusa omiserat Ed. pr. probantibus Lipsio, Grunero, et

NOTÆ

† *Ab conditione*] Ita Lipsius et Schegkius scribunt: quod sane sensus postulat.

‡ *Una urbs Attica*] Vide Var. LL. ad hunc locum, et quam velis, elige. Sensus is esse mihi videtur: Solæ Athenæ diutius floruerunt, atque pluribus eloquentiæ operibus quam universa Græcia.

‖ *Quæ urbes, &c.*] Ms. lectio erat:

Thebas unum os Pindari[a] illuminaret: nam Alcmana[b] Lacones falso sibi vindicant.

Ruhnkenio. Codex: *et initalia;* unde Burerius conjecit: *et multæ aliæ*, vel *item aliæ*. Acidalius: *ut multæ aliæ*. Vossius: *diam ut aliæ*. Jani: *item ut aliæ*. Herel. Annot. crit. ad h. l. *tunctæ liberalium studiorum.*

NOTÆ

existimatumque urbes, et initalia talium studiorum fuere steriles. Unde Vossius legit: *existimatum. Quæ urbes etiam, ut aliæ, talium, &c.* Quam lectionem sic explico. Cujus rei causam putarem esse, quia istæ urbes, ut aliæ, nullos habuerunt, qui talibus studiis operam dederint; nisi Pindarus suis carminibus insignes Thebas redderet.

[a] *Pindari*] Thebani, Lyricorum principis. De quo tam eleganter Horat. lib. IV. carm. Od. 2. 'Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope Dædalea Nititur pennis, vitreo daturus Nomina ponto.' In eadem Ode Dircæus cygnus dicitur: cygnus quidem suavitate carminis: Dircæus autem a Dirce, fonte Thebano. Olympiade 76. floruit, Æschyli tempore. Obiit annum agens 55.

[b] *Alcmana*] Eum fere omnes ex Lydia Messenium fecerunt. Spartæ tamen educatus, usus est Dorica lingua, quæ Lacedæmoniorum erat: eoque nomine, Spartæ civis habitus est. Lyricorum poëtarum primus fuit.

C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ

AD M. VINICIUM COS.

LIBER II.

---

1. Potentiæ Romanorum prior Scipio[c] viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis in voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. Tum[d] Scipio Nasica[e] in Capitolio porticus, tum, quas prædiximus, Metellus, tum in circo Cn. Octavius multo amœnissimam moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Triste deinde, et contumeliosum bel-

NOTÆ

[c] *Prior Scipio*] Uterque dictus Publius Cornelius Africanus. Sed prior, Africanus major: posterior autem, Æmilianus, et Africanus minor; Pauli quidem Æmilii filius: at per adoptionem Scipionis Africani majoris nepos.

[d] *Tum*] Ante eversam Carthaginem annis ferme decem.

[e] *Scipio Nasica*] Erat Africani frater patruelis. Is est, ut infra videbitur, qui Vir Optimus a Senatu judicatus est. Has porticus Censor in Capitolio posuit: Metellus prope circum Flaminium: Cn. Octavius in hoc ipso circo, juxta Plinium. Quam Cn. Octavius posuit, invenies Corinthiam dici a structura; Macedonicam, ob

lum in Hispania, duce latronum Viriatho,[f] secutum est [U. c. 606. a. Chr. n. 147.]: quod ita varia fortuna gestum est, ut sæpius Romanorum gereretur adversa. Sed interemto Viriatho, fraude magis quam[g] virtute Servilii Cæpionis, Numantinum gravius exarsit. [U. c. 614. a. Chr. n. 139.] Hæc urbs nunquam plura quam decem millia[6] propriæ juventutis armavit: sed, vel ferocia ingenii, vel inscitia[7] nostrorum ducum, vel fortunæ indulgentia, tum alios duces, tum Pompeium magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera, (hic primus a Pompeiis consul fuit,)[8] nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium[h] consulem. Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia,[a 9] [quippe non recusando,][10] perduxit huc, ut per

[a] *Sed favor exemit Pompeium pœna; reverentia Mancinum.*

---

6 Ed. pr. *nunquam X. plura quam propriæ*, ubi Ald. Nep., quem secuti sunt Acidal. Putean. Lips. Ruhnken., verba ordinavit, et *millia* addidit. Pro *X.* in cod. *X.* fuit. *nunquam decem millibus plura* Burm. et Lugd. Bat.—7 Cod. *inscia*.—8 Hæc, ex Lib. II. c. 21. translata, e margine irrepsisse putat Kraus. Post *Pompeium* transponit Acidal. parenthesin: *hic primus....Cos. fuit.* Ruhnken. *tum Pomp. (h. p. e Pomp. magni nominis viris Consul fuit) ad turp.*, &c.—9 Ita interpunxit Jani. Ed. pr. et insequentes distinctionem maximam post *verecundia* habent.—10 Vir D. Goetting. in Ephemerid. lit. Goett. 1779.

NOTÆ

regem Perseum devictum.

[f] *Viriatho*] Ex venatore latro, ex latrone dux Lusitanorum factus adversus Romanos, eos cecidit non semel. Vicit prætores duos: Vetilium, quem etiam captum, ex Appiano, trucidavit, et Cn. Plancium.

[g] *Fraude magis quam, &c.*] Cum enim Q. Fab. Max. Servilianus a Viriatho circumventus opprimi posset, pacem præoptanti æquis conditionibus dedit. Qua postea neglecta, Q. Servilius Cæpio ann. 614. Viriathum repente adortus, corruptis ejus legatis, ipsum interemit. Atque hæc est fraus Cæpionis.

[h] *Mancinum Hostilium*] Eo duce triginta Romanorum millia fusa a Numantinorum millibus quatuor. Quam ignominiam consecuta pax erat adeo turpis, ut senatus eam habere ratam noluerit, tanquam sine sua auctoritate factam.

[i] *Verecundia*] Hic accipitur pro reverentia. Ita Livius l. XXXIV. 'nisi verecundia pudoris ac majestatis matronarum me tenuisset.' Ergo reverentia Mancini clarissimi viri, alioqui culpam agnoscentis, nec pœnam recusantis obfuit, ne puniretur a Senatu. At, inquies, si hostibus deditus, quomodo impunitus fuit? Hoc sensu ait Boeclerus; 1. quia non receptus: 2. quia restitutus in pristinam digni-

fetiales[k] nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus.[b] [U. c. 617. a. Chr. n. 136.] Quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Caudini[l] fecerant,[11] dicentes, publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.

2. Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem.[c] Quippe Ti. Gracchus, Ti. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel judicii vel poenae metuens discrimen, tribunus plebis creatus, (vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit,) P. Mucio Scævola, L. Calpurnio consulibus, abhinc annos CLXII. [U. c. 621. a. Chr. n. 132.] descivit a bonis, pollicitusque toti Italiæ civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus,[m] omnium statum concutientibus,[12 n] summa imis miscuit,[d] et in præruptum atque an-

[b] *Quippe consentiendo adduxit eo, ut traderetur hostibus per, &c.*
[c] *Traditio Mancini* hostibus *excitavit in urbe ingentem discordiam.*
[d] *Susque deque vertit omnia.*

Addit. p. 112. cum Krausio hæc pro glossemate habet. Ruhnken. se nihil hic intelligere fatetur, censetque, librarii culpa, quædam excidisse ad sententiam perficiendam necessaria. Ed. Bipont. ex sua conject. *culpæ poenam non recusando* leg.—11 Ita correxit Heins. probantibus Ruhnken. et Herel. Annotat. crit. ad I. 8. Ed. pr. *fecerunt*.—12 Ita Lips. probantibus Gruter.

NOTÆ

tatem: 3. quia admissus ad novos honores: 4. quia eam deditionis contumeliam ipse minime loco pœnæ habuit; quippe qui, teste Plinio, statuam sibi eodem habitu, quo erat deditus hostibus, erexerit.

[k] *Fetiales*] Vel *feciales*: vulgo, *Hérauts d'armes*. Sic dicti a faciendo: quod bello pacique faciendæ præessent. Bellum inprimis non licebat gerere, nisi fetiales illud et justa causa susceptum declaravissent, et prius indixissent.

[l] *Caudini*] Samnites. Sp. Postumium, quem vinctum Senatus ipsis dediderat, recipere noluerunt. Dicti sunt Caudini ab oppido Caudio, apud quod contra Romanos adeo pugnaverunt feliciter, ut eorum legiones sub jugum miserint. Unde Caudinæ Furcæ, aut Furcæ: nunc *Stette di Arpaia*.

[m] *Agrariis legibus*] Jubebant, ut agri, qui olim populi fuissent, nunc autem ad privatos pertinerent, iterum populo dividerentur.

[n] *Omnium statum concutientibus*] Lipsius sic emendavit, quia agrariæ leges jam diu possessos agros iterum vindicabant in publicum, et priscis

ceps periculum adduxit rempublicam; Octavioque collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogavit: triumviros agris dividendis coloniisque[1] deducendis creavit se, socerumque suum, consularem Appium, et Gracchum fratrem, admodum juvenem.

3. Tum P. Scipio Nasica, ejus, qui optimus vir a senatu judicatus[p] erat, nepos, ejus, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius, pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui,[q] is[2] privatusque et togatus,[r] cum esset consobrinus Ti. Gracchi, patriam cognationi præferens, et quicquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans[s] (ob eas[3] virtutes primus omnium absens

[s] *Et judicans non esse suum, quicquid non esset utile reipublicæ.*

Ruhnken. et ex parte Heins. qui dedit *omnem urbis statum concutientibus*. Ed. pr. *omnibus statim concupiscentibus*. 'Lipsii conjecturam *omnium statum concutientibus*, cum Ruhnken. recipiendam esse puto; nam *statum* non omnes, sed plebeii tantum cupiebant; at omnium et patriciorum et plebis *statum* graviter *concutiebant*, a. commovebant, turbabant leges agrariæ; illorum quidem, amissis agris, horum vero, acceptis. Præterea Velleius ejusmodi leges, civitatem vehementer commoventes, solet notare.' *Kraus. in Addend.* —1 Lips. *coloniisque* probantibus Freinsh. et Ruhnken.—2 Ita Aldus Nep. recipiente Acidal. Ed. pr. *patruus, privatusque*; Ed. Basil. *patrui, privatusque*. In Edd. plurimis *is* deest.—3 Aldus Nep. probantibus Acidal. et

NOTÆ

dominis auferebant. Verum hæc emendatio necessaria non est. Cum enim status sit conditio vitæ certa, atque stabilis, recte Velleius, cum Tib. Gracchum dicit agrariam promulgavisse legem, omnibus conditionem vitæ certam atque stabilem cupientibus. De hac lege Cicer. in Orat. pro Sext. 'Agrariam Tib. Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunæ tenuiorum constitui videbantur.'

[1] *Coloniisque*] Lego cum Lipsio *coloniasque deducendis*, i. e. mittendis divisorum agrorum cultoribus; non autem cum Grutero, *Coloniis*, contra Historiæ fidem. Nusquam enim legitur, deductas esse a Tib. Graccho colonias.

[p] *Optimus vir judicatus*] In eo, quod electus a Senatu fuisset, ut simulacrum matris Deum, e Phrygia allatum, domi suæ haberet, dum ei templum fieret.

[q] *Patrui*] Vulgo, *patruus*. Ita optime primus emendavit Erasmus. Sed quem Africanum intelliges? Africanum majorem, cujus patruus fuit Cn. Scipio, hic qui Velleio vir celeberrimus appellatur, abavus hujus Scipionis, quo auctore Tib. Gracchus interfectus est.

[r] *Et togatus*] Id est, qui cum Urbanarum dignitatum contemtor esset, tantum vulgarem et a populo gestari solitam induebatur togam. Toga porro id apud Romanos erat, quod apud

pontifex maximus factus est) circumdata[4] lævo brachio togæ lacinia, ex superiore[5] parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur. Tum optimates, senatus, atque equestris ordinis pars melior et major, et intacta perniciosis consiliis plebs,[f] irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et concientem pæne totius Italiæ frequentiam.[g] Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit.[h] Inde jus vi obrutum,[6] potentiorque habitus prior; discordiæque civium, antea[7] conditionibus[i] sanari solitæ, ferro dijudicatæ;[i] bellaque non causis[8] inita, sed prout eorum merces fuit.[u] Quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt; sed, quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: et, ubi semel recto deerratum est, in præceps pervenitur: nec quisquam sibi[9] putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

4. Interim, dum hæc in Italia geruntur, Aristonicus,[u] qui,

[f] *Et plebe, quæ non erat particeps* in his *exitiosis consiliis.*
[g] *Et concitantem multitudinem totius Italiæ.*
[h] *Tum primum in urbe Roma fusus fuit sanguis civium, et* cœperunt *arma sumi impune.*
[i] *Et dissensiones civium, quæ solebant antea pacari conventionibus, finitæ* sunt *gladiis.*

Ruhnken. correxit *quas.*—4 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *cum data.*—5 Ed. pr. *superiori.*—6 Ruhnken. malit *obtritum.*—7 Ita corr. Ed. Basil. Ed. pr. *ante a.*—8 Cludius conj. *justis de causis.*—9 In Ed. pr. *sibi* deest.—10

NOTÆ

Græcos pallium, vulgaris nimirum, et plebeia vestis.

[s] *Circumdata*] Mos erat repentinis in turbis Consulem, exerto brachio dextro, togæ laciniam in lævam et tergum ita rejicere, ut ipsum revocata cingeret. Atque hunc habitum *cinctum Gabinum* vocabant. Quo habitu Consul utebatur bellum indicturus. Ita Virgil. Æneid. VII. 'Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino Insignis reserat stridentia limina consul.'

[t] *Conditionibus*] Gallice, *par des accommodemens.* Conditionem sic definit Donatus in Andr. Pactio certam in se legem continens.

[u] *Aristonicus*] Eumeni ex pellice Ephesia, citharistæ cujusdam filia, genitus erat.

mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hæreditate[10] relicta erat, sicut relicta[11] postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupaverat:[12] is victus a M. Perperna,[1] ductusque in triumpho,[v] sed a[2] Manio Aquilio, capite pœnas dedit[w] [U. c. 624. a. Chr. n. 129.]; cum initio belli Crassum Mucianum,[x] virum juris scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem, interemisset. [U. c. 628. a. Chr. n. 127.] Et[3†] P. Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum consul, missusque in Hispaniam [U. c. 620. a. Chr. n. 133.], fortunæ virtutique, expertæ[y] in Africa, respondit in Hispania,[4] et intra annum ac tres menses, quam eo venerat, circumdatam operibus[z] Numantiam,[a] excisamque æquavit

[a] *Et explorata fortitudini.*

Ita correxit Aldus Nep. Ed. pr. *hereditati.*—11 Repetitio τοῦ *relicta* de glossa suspecta Krausio.—12 Post *occupaverat* Jani interpunctionem minorem posuit: Ed. pr. Ruhnken. et al. majorem habent.—1 Ed. pr. *Perpenna*, quod correxit Ducker. ad Flor. II. 20.—2 *a* deest in Edd. vett. sed correxerunt Ald. Nep. et Sigon. Fast. ad a. 624. Ursin. τὸ *sed* abundare, et ejiciendum esse putat, quod probat Boecler. Heins. corrigit *sub*, quod etiam pro *a* legendum censet.—3 Ita Ed. pr. *At* Voss.—

NOTÆ

[v] *Ductusque in triumpho*] Hic locus viros doctos valde vexavit. Sequor Vossium, qui illum sic distinguit, *ductusque in triumpho, sed Manio Aquilio, capite pœnas dedit.* Tria concurrunt, quamobrem hanc distinctionem probem. 1. Quia Perperna minime triumphavit, quippe mortuus in sua provincia. 2. Quia datus ei successor Man. Aquilius, confectis belli reliquiis, egit triumphum, quem Perperna meruerat. 3. Quia Velleius in verbis passivis sæpe reticet præpositionem *a*.

[w] *Capite pœnas dedit*] Jussu Senatus in carcere strangulatus est.

[x] *Crassum Mucianum*] Strabo et Florus eum prælio victum et interemtum esse narrant. Præterea Prætor a Floro nominatur: neque tamen cum Velleio pugnat, a quo Proconsul dictus est; nam, juxta Vossium, appellatio Prætoris et Proconsulis accipi promiscue solet.

[†] *Et*] Omnium consensu delenda est hæc copula, haud dubie repetita ex ultima vocis præcedentis syllaba.

[y] *Expertæ*] Participium sumtum aliquando passive. Tibull. lib. IV. 'Bella experta cano.' Plin. l. VI. c. 18. 'Experta prodimus,' id est, usu cognita. Tacit. lib. III. 'Proponit centuriones virtutis expertæ.' Hinc *inexpertus*, 'ne quid inexpertum moritura relinquat.' Virg. Æneid. IV.

[z] *Operibus*] Opera in re militari significant cuniculos, vallum, fossas, denique omne propugnaculorum ge-

solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariori[5] urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ. Quippe, excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Ti. Gracchi cæde sentiret? respondit, si is occupandæ reipublicæ animum habuisset, jure cæsum. Et, cum omnis concio acclamasset: 'Hostium,' inquit, 'armatorum toties clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia?'[l] Reversus in Urbem, intra breve tempus, Manio Aquilio, C. Sempronio consulibus, abhinc annos CLVIII.[6] [U. c. 625. a. Chr. n. 128.], post duos consulatus, duosque triumphos, et bis[7] excisos terrores reipublicæ,[m] manie in lectulo repertus est mortuus, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita est quæstio: ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Seu fatalem,[b] ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriæ, mortem obiit, vitam certe dignissimam egit, quæ nullius ad id temporis præterquam avito fulgore vinceretur.[n] Decessit anno ferme LIV.[8] De quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno XXXVI.: ita dubitare desinet.

5. Ante tempus excisæ Numantiæ præclara in Hispania

[l] *Quibus Italia non est mater.*

[m] *Et dirutas duas* urbes, quæ *reipublicæ terrori* erant.

[n] *Sane duxit vitam gloriosissimam, quæ huc usque nullius gloria superaretur, præterquam avi.*

---

4 Heinsius, probante Ruhnkenio, delenda censet *in Hispania*.—5 Ita Ed. pr. *clariore* malit Burer.—6 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *CL*.—7 Ruhnken. *binos* malit,

NOTÆ

mus, quibus defenduntur, aut expugnantur urbes. Vulgo, *des travaux, des ouvrages*.

[a] *Numantiam*] Urbs erat Hispaniæ Tarraconensis, ad Durium fluvium. Nunc ejus rudera *Puente Garay* dicuntur, et sunt in Castella veteri.

[b] *Fatalem*] Deducitur a *fatum*. Fatum autem pro natura sæpe accipitur. Sic fatalis mors dicitur, quæ ex fato seu natura accidit; vulgo, *mort naturelle*.

militia D.[9] Bruti[c] fuit[o] [U. c. 617. a. Chr. n. 136.]: qui, penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis,[d] quæ vix audita erant, Gallæci[10 e] cognomen meruit. Et[11] ante eum paucis annis tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit[p] [U. c. 612. a. Chr. n. 141.], ut, cum urbem Contrebiam[f] nomine [in Hispania][12] oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire juberet: facientibusque omnibus in procinctu[g] testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterrita[1] proposito perseverantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit.[q] Tantum effecit mixtus timori pudor, spesque desperatione quæsita. Hic virtute ac severitate facti, at Fabius Æmilianus, Paulli exemplo, disciplinæ,[2 h] in Hispania fuit clarissimus.[r]

[o] *Antequam Numantia diruta fuit, Aulus Brutus gessit præclare bellum in Hispania.*

[p] *Et paucis annis ante eum Quintus ille Macedonicus præfuit* exercitui Romano *in his regionibus cum tanta severitate, ut, &c.*

[q] *Cumque omnes jam jam pugnaturi testamenta facerent, tanquam iturí ad mortem inevitabilem, dux propterea non dejectus est a proposito; sed in* proposito *constans tandem recepit, &c.*

[r] *Hic insignis fuit in Hispania ob fortitudinem, et ob severitatem* hujus *actionis; at Fabius Æmilianus ob observantiam disciplinæ* militaris, *exemplo Æmilii Pauli.*

---

quod recipit Clud.—8 Ita Lips. Ed. pr. *LVI.*—9 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *A.*—10 Ed. pr. *Galleci;* vitiose.—11 *At* Ed. Clud.—12 Hic etiam, ut in initio cap. Heinsius expungenda censet *in Hispania.*—1 Ed. pr. *deterritus.* Burm. et Recens. Berol. *non deterrita perseverantia ducis,* quorum ille in ablat., hic, ut dictio oriatur poëtica, in nominat. sumit. Cum Davisio autem Ruhnken. damnat *perseverantia ducis.*—2 Qui comma ponunt post *Paulli exemplo,* quan-

NOTÆ

[c] *D. Bruti*] Non Aulus, sed Decimus a Cicerone et ab aliis nominatur.

[d] *Aditis*] Quod verbum passive usurpat etiam Cicero 2. Tuscul. 'Illa pericula adeuntur in prœliis.'

[e] *Gallæci*] A Gallæcia Hispaniæ regno, *Galice.*

[f] *Contrebiam*] *Tortosa,* teste Brietio, urbs est Carpetanorum supra Gualaiaram in Castella nova.

[g] *In procinctu*] Id est, cum instrueretur acies. Procinctus dicitur præparatio quævis ad agendum quidlibet, a verbo *procingo,* hoc est, *instruo, apparo.* Hinc procincta classis, pro armata ponitur: procinctus pompæ, pro apparatu: procincti milites, pro paratis ad pugnam, quod pugnaturi Gabino ritu prius cingerentur. Atque hinc testamenta in procinctu facta, id est, a militibus ad pugnam

6. Decem deinde interpositis annis, qui Ti. Graechum, idem Caium, fratrem ejus, occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori[i] similem, ingenio etiam, eloquentiaque longe præstantiorem. Qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandæ fraternæ mortis gratia, vel præmuniendæ regalis potentiæ, ejusdem exempli tribunatum ingressus, longe majora et acriora[k] repetens,[3] dabat civitatem omnibus Italicis [U. c. 631. a. Chr. n. 122.]; extendebat eam pene usque Alpes; dividebat agros; vetabat quenquam civem plus quingentis jugeribus habere (quod aliquando lege Licinia cautum erat); nova constituebat portoria;[l] novis coloniis replebat provincias; judicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare[4] instituebat;[5] nihil immotum,

[a] *Qui cum posset, in maxima tranquillitate mentis, primus esse urbis,* tamen *sive ut ulciscèretur mortem fratris, sive ut strueret sibi iter ad potestatem regiam* occupandam, *cum inivisset tribunatum, sequens* fratris *exempla, et renovans multo majora ac difficiliora, communicabat jus civitatis omnibus Italiæ oris, &c.*

tum quidem video, *disciplina* scribere deberent; sed comma ibi non erat ponendum. Ruhnken. cui addendum esse videtur *filius*, ita cum Lips. distinguere jubet, *At Fab. Æmil., Pauli f., exemplo disciplinæ i. H. f. clarissimus*, quæ interpunctio, addito *f.*, quam maxime facilitate commendatur. *Clud.*—3 Ruhnken. ex Liv. IV. 13. *altiora petens* leg. conj.—4 Ed. pr. *dari.*—5 Sic

NOTÆ

ituris. Inde etiam in procinctu facere aliquid, pro expedite et celeriter facere. Ita Ovid. II. ex Pont. eleg. 9. 'Hæc in procinctu carmina facta puta.'

[h] *Disciplinæ*] Aliqui cum Lipsio male sic distinguunt: *Fabius Æmilianus, Pauli, exemplo disciplinæ.* Nam præterquam quod veterum nullus in prosa oratione Latina dixit, Fabius Æmilianus Pauli, pro Pauli filius: accedit etiam quod vulgata lectio, *disciplinæ clarissimus*, multo magis ad gustum Velleii sit: apud quem passim occurrunt, 'lætus animi, acer belli, munificentiæ effusissimus,' &c. Quo modo etiam loquuntur Virg. Æn. IV. ubi 'furens animi:' et Terent. Eunuch. act. II. sc. 3. ubi 'falsus animi,' legitur: et Horatius passim.

[i] *Huic errori*] Error hoc loco significat Gracchi imprudentiam in eo positam, quod in urbe principatum assequi tumultuando vellet, ratus fore, ut ad se plebis sociorumque studia converteret, si, nova moliens, alias inconcessa permitteret. In quo valde aberrabat a recta civilium dignitatum via.

[k] *Et acriora*] Forte, quod notat Lipsius, *acrior:* id est, ardentiore studio.

[l] *Portoria*] Portorium naulum est,

nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuavit[6] tribunatum.[l] Hunc L. Opimius consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus armis [U. c. 633. a. Chr. n. 120.], unaque Fulviam Flaccum, consularem ac triumphalem virum, aeque prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, (et)[7] eum socium regalis assumserat potentiæ, morte affecit. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum, idque auro repensurum[m] proposuit.[m] Flaccus in Aventino, armatos[8] ad pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est. Gracchus profugiens, cum jam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo præbuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis Pomponii equitis Romani in Gracchum fides fuit: qui more Coclitis,[n] sustentatis in ponte hostibus [ejus],[9] gladio se transfixit. Ut Ti. Gracchi antea corpus, ita Caii, mira crudelitate victorum, in Tiberim dejectum est.

7. Hunc Ti. Gracchi[10] liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia,[o] Africani filia, viri opti-

[l] *Præterea prorogavit sibi tribunatum altero anno.*

[m] *Opimius id unum scelerate fecit, quod proposuit se remuneraturum eum, qui amputaret caput, non dicam Graccho, sed civi Romano, et se illud compensaturum auro.*

correxit Herel. Ed. pr. *instituerat.*—6 *continuabat* malit Herel.—7 *et* abest ab Ed. pr. *eumque* Ed. Basil. *eoque* Heins. *et socium*, omisso *eum*, Voss. sed Ruhnken. magis discedens a lectione Ed. pr. legendum censet, *quem Gracchus i. l. T. f. T. nominatum, socium, &c.*—8 Ita Ed. Basil. *armatus* Ed. pr.—9 Heinsius *ejus* e margine intrusum putat. Ed. pr. interpungit post *hosti*

NOTÆ

sive merces, quæ datur iis, qui viatores trans amnem vehunt. Vulgo, *le péage*. Hinc portitor dicitur, qui trans amnem trajicit.

[m] *Idque auro repensurum*] *Et qu'il la paieroit au poids de l'or.*

[n] *Coclitis*] Horatii, qui Porsennæ regi sublicio ponte Romam transire conanti solus restitit, hostiumque sustinuit impetum: donec a tergo pons frangeretur a sociis. Quo rupto armatus in Tiberim prosiliit, et ad suos redivit.

[o] *Matre Cornelia*] Non omittam fœmineæ constantiæ exemplum. Consolantibus, miseramque dicentibus, quod Tib. Gracchum et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, occisos et insepultos vidisset: Nunquam, inquit, non feli-

mis ingeniis malc usi, vitæ mortisque habuere exitum : qui si civilem dignitatis concupissent modum ; quicquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica.[n] Huic atrocitati adjectum scelus unicum.[o] Quippe juvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus[p] miserat, ab Opimio interemtus est. Quem cum haruspex[q] Tuscus, amicus, flentem in vincula duci vidisset, ' Quin tu hoc potius,' inquit, ' facis?' protinusque, illiso capite in postem[11 r] lapideum januæ carceris, effusoque cerebro, expiravit. Crudelesque mox quæstiones in amicos[s] clientesque Gracchorum habitæ sunt. Sed Opimium, virum alioqui sanctum et gravem, damnatum[s] postea judicio publico [U. c. 644. a. Chr. n. 109.], memoria ipsius sævitiæ, nulla civilis persecuta est misericordia.[t] Eadem Rupilium[12] Popiliumque, qui consules asperrime in Ti. Gracchi amicos sævierant, postea judiciorum publicorum merito oppressit invidia. [U. c. 622. a. Chr. n. 131.] Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponatur.[r 1] Hic est Opimius, a

[n] *Qui si* solum *ambivissent dignitates, quantum licebat in urbe* libera, *respublica obtulisset illis nihil laborantibus, quicquid acriter cupierunt consequi faciendo turbas.*

[o] *Huic immanitati accessit crimen singulare.*

[p] *Mox severe inquisitum est in amicos, &c.*

[q] *Sed Opimium, de cetero hominem probum et gravem, postea damnatum judicio publico, nemo prosecutus est miseratione propter recordationem ejus crudelitatis.*

[r] *Tantæ rei interseretur* alia *parum digna cognitione.*

---

bus.—10 Ita corr. Ald. Nep. Ed. pr. *C. Gracchi.*—11 Ita Ald. Nep. ex Valer. Max. IX. 12. 6. probantib. principibus criticorum. Ed. pr. *in pontem.* —12 Ita Putean. et Ald. Nep. Ed. pr. *Rutilium.*—1 Ed. pr. *interponetur.*—

NOTÆ

cem me dicam, quæ Gracchos peperi. Senec. de consolat. ad Martiam.

[p] *De conditionibus*] *Pour traitter d'accommodement.*

[q] *Haruspex*] Qui Harugis, id est, hostiis inspectis futura prædicit. Hostiæ sic dictæ sunt ab hara, in qua includuntur et servantur.

[r] *In postem*] Sic emendant Aldus et Vossius, ex Valerio Maximo, l. IX. c. 11. Vulgo legitur *in pontem.*

[s] *Damnatum*] Propter acceptas a Jugurtha pecunias: at indignissime damnatum, si Ciceronem audimus in orat. pro Sext.

quo consule celeberrimum Opimiani vini[t] nomen: quod jam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem, anni CLI. Factum Opimii, [quod inimicitiarum quæsita erat ultio,][2] minor secuta auctoritas: et visa ultio privato odio magis, quam publicæ vindictæ, data.

8. [Subinde, Porcio Marcioque[3] consulibus, deducta colonia, Narbo Martius.][4 u] Mandetur deinde memoriæ severitas judiciorum. Quippe C. Cato consularis,[5] M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia[v] damnatus est [U. c. 641. a. Chr. n. 112.], cum lis ejus[w] (HS.)[6] XVIII.[7] millibus æstimaretur. Adeo illius viri[8] magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum, facta-

2 Hæc, ut de glossemate suspecta, uncis inclusit Kraus. Ruhnken. ad evitandam repetitionem vocis *ultio*, hic leg. conj. *relatio*. Ex Ed. Clud. Parenthesis omnino expungitur.—3 Ed. pr. *Portio Martioque*.—4 Hæc verba uncis inclusa Burm: ex I. 15. huc translata putat. Equidem ea adhæsisse putarim initio c. 15. lib. II. quod statim, sive a Velleio sive ab interpolatore sit, seditionis Gracchanæ historiam olim excepisse videtur. Quod cum ex h. l. illuc migraverit, hæc ultima h. l. relicta videntur. *Kraus*.—5 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *Cos. Cato consularis*. Ed. Basil. *M. Cato consularis*.—6 *HS.* abest ab Ed. pr. Jos. Scalig. de Re Nummar. p. 79. et Sigon. de Judic. I. 27. *ei HS.*—7 Ita correxit Lipsius ex Cic. Verr. IV. 10. III. 8. Ed. pr. *IIII.*—8 Ita Herel.

NOTÆ

[t] *Opimiani vini*] Hoc vinum passim laudat Martialis. Verum Plinius audiendus est l. XIV. c. 4. et 14. 'L. Opimio consule,' inquit, 'ea cœli fulsit temperies, quam cocturam vocant, et qua optima vina nata sunt, habentia nomen consulis.' Opimiana vina adhuc ævo suo durare testatur ibidem, contra Velleii mentem. Sed cum Velleius, Plinio longe superior, asserat hoc vinum jam suo sæculo nullum fuisse; crediderim Plinii quidem ævo fuisse, qui se Opimiano vino jactarent, at falso; quod ingens temporum intervallum facile arguit.

[u] *Narbo Martius*] Vide supra l. I. c. 15. Not. g.

[v] *Repetundarum ex Macedonia*] Ob pecuniam quam, Macedoniæ præfectus, ab incolis acceperat. Repetundæ dicuntur pecuniæ a sociis et a provincialibus per magistratus exactæ, aut etiam acceptæ præter legem: Gallice, *des concussions*. Prima repetundarum lex a L. Pisone, cognomento Frugi, lata fuit: deinde, cum exolevisset, a D. Julio relata. Ea lege cautum erat, ne quis, in provinciam missus, in anno, doni loco, plus acciperet, quam quod esset aureorum centum.

[w] *Cum lis ejus*] Id est, cum summa, quæ causa litis erat, æstimaretur tantum quatuor millibus sestertiorum: qui, juxta Budæum, vix sunt ducentæ libræ nostratis pecuniæ.

ejus ad consilium dirigebant, et quid, non in quantum, admissum foret, æstimabant.[a] Circa eadem tempora duo [9]Metelli fratres[x] uno die triumpharerunt. [U. c. 641. a. Chr. n. 112.] Non minus clarum exemplum, et adhuc unicum Fulvii Flacci, ejus qui Capuam ceperat, filiorum,[y] sed alterius in adoptionem[z] dati, in collegio consulatus fuit.[10] [U. c. 675. a. Chr. n. 178.] Adoptivus in Acidini Manlii[11] familiam datus. Nam censura[12] Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit:[c] quod solis contigerat Scipionibus[a] ***[1] [U. c. 652. a. Chr. n. 101.] Tum Cimbri et Teutoni[b] transcendere Rhenum, multis mox nostris, suisque

[a] *Adeo illi homines spectabant magis voluntatem peccandi, quam magnitudinem* ipsius peccati: *et metiebantur actiones intentione* facientis, &c.

[c] *Exemplum filiorum Fulvii Flacci, ejus qui expugnaverat Capuam, non fuit minus illustre, et* est *adhuc unicum. Collegæ fuerunt in consulatu. Tamen alter datus fuerat in adoptionem, et adoptione transierat in familiam Acidini Manlii. Nam duo Metelli fuerunt* quidem *simul censores: at erant patrueles, non fratres germani.*

Annotat. crit. ad h. l. ut e *judiciorum* assumantur *judices.* Ed. pr. *illi.*—9 Ed. pr. *M. Metelli*, sed correxerant Sigon. et Ald. Nep. probantibus Stewech. Gruner. et Ruhnken. cui *M.* ex *II.* ortum esse videtur.—10 Qualis est hæc interpunctio debetur Ed. Basil. male Ed. pr. *dati. In collegio Coss. fuit adoptivus.*—11 Ita correxerunt Sigon. et Ald. Nep. Ed. pr. *Acidiani Manli.*—12 Ita Ed. Basil. probantib. omnibus. Ed. pr. *census.*—1 Lacuna manifesta, cum P. et M. Scipiones fratres eodem anno non censores, sed ædiles fuisse constet ex Polybio x. p. 578. ed. Casaub. Itaque expleo *in ædilitate* s. *ædili-*

NOTÆ

[x] *Metelli fratres*] Marcus et Caius a Vossio nominantur. Unde sic legit: *M. et C. Metelli fratres.* Alter ex Sardinia, alter vero ex Thracia triumphasse dicitur ab Eutropio: Marcus post annum, quam consul fuisset; Caius autem in ipso consulatu.

[y] *Filiorum*] Lucius et Quintus vocabantur. At in quo exemplum illorum unicum fuit? In eo, quod in consulatu collegæ fuerunt.

[z] *Sed alterius in adoptionem*] Langiæus semestr. 7. 3. disquirit: an fratribus in eodem Ædilium, Prætorum, Consulumve collegio esse licuerit apud Romanos? Negat autem. Quam fortasse ob causam Velleius subjecit, *sed alterius in adoptionem dati*, quod allati exempli minuit admirationem. Non enim amplius ejusdem familiæ censendus esse videtur, qui in aliam adoptione transierit.

[a] *Scipionibus*] Lucio et Publio, qui Hannibalem postea devicit. Ambo Ædilitatem eodem anno gesserunt.

[b] *Tum Cimbri et Teutoni*] Cimbri ex ea parte Daniæ venerant, quæ nunc Jutia dicitur, *Jutlande.* Teutoni, prope Cimbros, venerant ex insulis Fionia *(Fuinen)*; et Selandia, *Selande.* Cujus inter urbes est Hafnia *(Koppenhagen)* insulæ caput, totiusque regni Daniæ primaria, et re-

clarissimus nobilesque. Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, e Scordiscis[c] triumphus fuit. [U. c. 646. a. Chr. n. 107.]

9. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Lælliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.[2] Nec prætereundus Metellus Numidicus, et Scaurus. Quorum ætati ingeniisque successere C. Cæsar Strabo, P. Sulpicius.[3] Nam Q.[4] Mucius juris scientia, quam proprie[5][d] eloquentiæ nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem ævi spatium fuere ingenia, in togatis[e] Afranii, in tragœdiis Pacuvii atque Accii, usque in Græcorum ingeniorum comparationem evecti,[6] magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum;[7] adeo quidem, ut in illis limæ, in hoc pæne plus videatur fuisse sanguinis.[a] Celebre et

[a] *Per idem spatium temporis extiterunt insignes ingenio, Afranius in Togatis, in Tragœdiis Pacuvius atque Accius, qui* in his *adeo excelluit, ut comparetur cum Græcis, et inter eos ejus scripta teneant honorificum locum; adeo quidem, ut illi videantur habuisse plus elegantiæ, hic pæne plus roboris.*

---

bus. Kraus.—2 Hæc *et ante omnes...Antonius* huc transferenda putavit Ruhnken. In Ed. pr. leguntur post, *et Scaurus.*—3 Excidisse *et C. Cotta* post *P. Sulpicius* suspicatur Kraus.—4 Sic correxit Ald. Nep. probantibus Accidal. Lips. Putean. Heins. et Ruhnken. Ed. pr. *Namque.*—5 Ita Lips. Ed. pr. *propriæ.*—6 Ed. pr. *ejus ætatis.* Cod. *evectis*, unde Ed. Basil. *evecti*, quod et Lips. Voss. et Ed. Bipont. expresserunt. Heins. quem secutus est Ruhnken. *evecta*, ut referatur ad *ingenia.*—7 Post hanc vocem Heins. inserendum putat *Ennii*, quod præeuntibus Ruhnken. et Jacobs. olim recepi, quod vero nunc reprobo, cum ingenia æqualia ætatæ, et quidem, quæ inde a Carthagine deleta ad Gracchorum certe tempora floruerunt, h. l. enumerentur, Ennius vero multo sit antiquior, et jam a. U. c. 585. mortuus. Itaque Ed. Basil. et

NOTÆ

gia sedes. Quanquam Germani hodie Teutoni vocentur: Cimbros tamen ac Teutonos apud Sallustium reperies appellari Gallos. Haud dubie quod Celtarum nomine Gallos pariter ac Germanos antiqui intellexerint.

[c] *E Scordiscis*] Populi sunt origine Galli. Nunc Illyriæ et Thraciæ finibus incolunt.

[d] *Proprie*] Alii legunt *propriæ*, quod sic explicetur: Etsi Mucius jurisperitorum eloquentissimus habitus est, (ita Cicer. in Brut.) tamen longe clarior fuit ipsa juris cognitione, quam nomine eloquentiæ, quæ juris peritiæ propria esse potest, vel, quæ ipsi Mucio singularis erat.

[e] *Togatis*] Comœdiis Romanis. Sic dictæ sunt a Romana aeterum toga: quemadmodum suas Græci Palliatas dixerunt, a pallio.

Lucilii nomen fuit,[x] qui sub P. Africano, Numantino bello, eques militaverat. Quo quidem tempore juvenes[8] adhuc, Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quæ postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis; sed opus belli civilis, Syllanique post aliquot annos, ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Cœlius: æqualis Sisennæ Rutilius,[f] Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponium,[g] sensibus celebrem,[y] verbis rudem, et novitate inventi a se operis[h] commendabilem.

10. Prosequamur notæ[9 i] severitatem censorum, Cassii Longini, Cæpionisque, qui abhinc annos CLV.[10 k] [U. c. 629. a. Chr. n. 124.] M. Lepidum Æmilium[11 l] augurem,[m] quod sex millibus[n] (HS.)[12] ædes conduxisset, adesse[o] jusserunt. At nunc, si quis tanti habitet,[p] vix ut senator agnoscitur.

[x] *Fama Lucilii fuit quoque ingens.* [y] *Sententiis commendabilem.*

Hottinger. ratio præferenda visa est. *Kraus.*—8 Ita Burmann. Ed. pr. *juvenis.*—9 Ita correxit Kraus. Editio prima *notam.* Ruhnken. *notam severam censorum.*—10 Ex Krausii correctione. Editio prima *CLVII.* Putean. *CLIV.*—11 Ita Aldus Nep. Editio prima *Ælium.*—12 *HS.* inse-

NOTÆ

[f] *Rutilius*] Is est, teste Vossio, quem Athenæus l. IV. historiam Romanam Græce scripsisse testatur: infra autem damnatum videbimus. De quo Ovid. lib. I. ex Ponto. 'Et grave magnanimi robur mirare Rutili, Non nsi reditus conditione dati. Smyrna virum tenuit.'

[g] *Pomponium*] Errant, qui illum putant inter historicos a Velleio numerari, eo quod Velleius historicorum nomina superius attulerit. Nam temporum, non studiorum similitudinem spectabat.

[h] *Operis*] Attellanas intelligit. Attellanæ autem dramata sunt, ab Attella oppido Campaniæ sic dicta. De quibus qui plura volet, adeat Turneb. l. III. c. 17.

[i] *Notæ*] Alii legunt *notam.* Quæ jam cognita est ex iis, quæ de Caio Catone prædiximus.

[k] *CLV.*] Alii numerant quinquaginta quatuor: alii tantum quinquaginta.

[l] *Lepidum Æmilium*] Alii *Ælium;* sed lege *Æmilium:* constat enim, teste Manutio, non Æliæ, sed Æmiliæ gentis cognomen fuisse *Lepidum.*

[m] *Augurem*] Qui ex avium volatu, pastu, cantu, futura divinat.

[n] *Sex millibus*] Annuorum sestertiorum. Si sestertius decem et octo denariolos valeat, (quæ sententia media est,) sex millia sestertiorum rediguntur ad centum quinquaginta nummos nostratis pecuniæ.

[o] *Adesse*] Verbum fori solenne, quo significatur citatio ad judices.

[p] *Tanti habitet*] Sensus est: At nunc,

Adeo mature a rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in præcipitia[13] pervenitur. Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis,[q] et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. [U. c. 632. a. Chr. n. 121.] Fabio, Paulli[r] nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, et, ut clarissima, ita arctata numero felicitas. Septem[18] ante hunc, nobilissimæ simplicitatis juvenem, Cn. Domitium,[t] fuere (singuli)[2] singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem pæne omnes pervenerunt insignia.

11. Bellum deinde Jugurthinum[u] gestum est [U. c. 645. a. Chr. n. 108.] per Q.[3] Metellum, nulli secundum sæculi sui. Hujus legatus fuit C. Marius, quem prædiximus, natus extremo[4] loco,[x] hirtus atque horridus, vitaque sanc-

---

ruit Kraus. quod abest ab Editione prima; absorptum haud dubie a præcedente syllaba. Vide supra cap. 8.—13 Ita transposuit hæc verba Jos. Sterke Suspicionum crit. Spec. I. cap. 3. quem secutus est Ed. Bipont. Ed. pr. *a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in præcipitia.* Rubnken. ejicienda putat *in vitia, a vitiis.*—1 Ed. pr. *uti*, ortum ex *VII.* unde *Septem* Sigon. ad Liv. XXXI. 18. Ald. Nep. Ed. Bipont. et Jacobs. Lips. *IV.*—2 *Singuli* abest ab Ed. pr. sed insertum est ex conjectura Krausii.—3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *perque.*—4 Ed. pr. *equestri*, quod damnaverunt principes

NOTÆ

si quis sex millibus sestertiorum annuorum ædes conduceret, senator vix agnosceretur.

q *Ex Arvernis*] Arverni et Allobroges transalpini sunt populi: vulgo, *Les Auvergnats, et les Savoyards.*

r *Paulli*] Æmilii.

s *Septem*] Scribendum est, *IV. ante hunc*, id est, quatuor ante hunc; ut sententia sit, in una familia fuisse quatuor singulis parentibus genitos; ipsosque singulos (nam illud rarum, quod Velleius intelligit) ex unicis semper unicos natos: et eos omnes ad consulatum pervenisse. Ergo velim scribi *singuli*, non *singulis* parentibus geniti: quod clarius est ad hanc sententiam exprimendam. A nobis est Suetonius in Domitiano stemmate: ubi enumerat ab Domitio Allobrogico quatuor e parentibus suis unicos ad Domitium usque, patrem Neronis, qui est ille ipse Velleianus nobilissimæ simplicitatis juvenis. Atqui omnes isti consules. Sed de triumpho quid? An is etiam ad omnes pertinet? Minime. Sed duntaxat ad tres. Quorum duo triumphaverunt, Domitius Allobrogicus, et Domitius Calvinus de Hispanis: alter vero Domitius, avus Neronis, sub Augusto donatus est ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello. Quam notulam Lipsio debemus.

t *Cn. Domitium*] Qui postea Neronis pater fuit.

u *Jugurthinum*] Adversus Jugurtham Numidiæ regem. Quod bellum fuse descripsit Sallustius.

x *Natus extremo loco*] Lege cum

tus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ,[x] [insatiabilis,] impotens, semperque inquietus. Hic per publicanos, aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis jam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem, effecit, ut, cum, commeatu petito,[y] Romam venisset, consul crearetur [U. c. 647. a. Chr. n. 106.], bellique pæne patrati a Metello, qui bis Jugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum virtute utique cognomen Numidici ei inditum.[z][6] Ut paulo ante Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est. Quippe intra XII. ferme annos hujus temporis consules fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius duodecies,[7a] ut appareat, quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gentium, nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

12. At C. Marius L. Syllam, jam tunc, ut præcaventibus

[x] *Ardens nimia cupiditate gloriæ.* [y] *Petita abeundi venia.*

[z] *Tamen triumphus Metelli fuit pulcherrimus, et* ejus *meritum* ingens: *atque tributum est* ei, *propter fortitudinem, cognomen Numidici.*

---

critici. Hinc Pigh. in Annal. conjicit leg. *silvestri.* Voss. *agresti*, quod primum recepit Kraus. sed in Addendis accedit lectioni Ruhnken. *extremo*, et ita Ed. Bipont. Cludius *equestri* retinet et tuetur.—5 Hanc vocem damnarunt Cortius Act. Erud. Lips. a. 1721. p. 117. Wopkens. Misc. Obss. v. IX. p. 245. et Ruhnken.—6 Editio prima *et meritum: virtutique cognomen N. inditum.* Gruter. *et meritum virtute cognomen*, &c. Ortuinus apud Heins. ad h. l. *ei* inculcandum vidit. Inde Heins. *et meritum virtute ei utique c. N. i.* Cludius *quoque* pro *utique* legit.—7 Burmannus sic

NOTÆ

Vossio, *agresti loco*, non *equestri*. Nam nemo non humilem ei tribuit originem. Sane sub historiæ suæ finem Velleius ait, Marium obscuro loco natum esse. Quin ipse Marius, apud Sallustium, se hominem novum vocat. Atque hinc odium et invidia nobilitatis in Marium, ac vicissim Marii in nobiles.

[y] *Commeatu petito*] Accipitur etiam commeatus pro cibariis ad alimoniam militum, aut cujuslibet alterius multitudinis. Hinc miles, qui in stipendii partem alimenta accipit ex commeatu, commeatilis dicitur.

[z] *Amplius duodecies*] Lipsius vellet legi, *undecies;* idque probat altero verius esse, quia intra duodecim annos, quos Velleius numerat, tantum in Cæcilia gente reperiuntur consules quinque, censores duo, triumphales quatuor.

fatis,[a] copulatum sibi quæstorem habuit, et per eum missum ad regem Bocchum,[b] Jugurtha rege, abhinc annos ferme CXXXVIII., potitus est.[c] [U. c. 648. a. Chr. n. 105.] Designatusque iterum consul, in Urbem reversus, secundi consulatus initio Kalendis Januariis eum in triumpho duxit. [U. c. 650. a. Chr. n. 103.] Effusa, ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium,[d] quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Cæpionem Manliumque consules, et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, et exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium consularem,[8 e] et alios celeberrimi nominis viros trucidassent; populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, est ratus. Tum multiplicati[d] consulatus ejus. Tertius in apparatu belli consumtus: quo anno [U. c. 651. a. Chr. n. 102.] Cn. Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant,[e] populus crearet. Quarto, trans Alpes circa Aquas Sextias[e] cum Teutonis conflixit [U. c. 652. a. Chr. n. 101.]; amplius CL. millia hostium, priore ac postero die, ab eo

[a] *Et habuit Jugurtham in sua potestate, abhinc annos ferme centum triginta octo, opera L. Sullæ, quem miserat ad Bocchum.*
[b] *Ingens multitudo nationum Germanarum egressa suis finibus.*
[c] *Quos antea collegæ* sibi *substituebant.*

explicuit. Ed. pr. *XII.*—8 Ita Putean. et Ald. Nep. Ed. pr. Cos.—9 Ita

NOTÆ

[a] *Ut præcaventibus fatis*] Ut intelligatur hic locus, observa, cum Cicerone, tantam semper fuisse necessitudinem inter consulem et quæstorem, quanta patrem inter et filium solet esse. Atqui consul Marius: Sylla vero quæstor erat. Quo prænotato facilis est sensus: L. Sylla quæstor in hoc bello fuit Marii consulis, quasi fata jam tunc prævidissent, atque ista conjunctione antevertere voluissent mala, id est, bella civilia, quæ tantorum hominum discordiæ concitaturæ erant.

[b] *Bocchum*] Mauritaniæ regem. Ad eum, utpote viciniorem sibi, fusus prælioque fugatus Jugurtha confugerat. Ergo missus ad Bocchum Sylla fuerat, ut ab eo Jugurtham repeteret.

[c] *Consularem*] Ita recte legit Manutius: nam ex epitome Liviana patet M. Sc. Aurelium legatum fuisse tum cum captus et occisus est; et triennio ante consulatum gessisse. Pro Manutio sentit Orosius his verbis: in ea pugna M. Aurelius consularis captus, et interfectus est.

[d] *Tum multiplicati*] Sensus est: propterea consulatus ei datus est quatuor deinceps annis.

[e] *Aquas Sextias*] Vulgo, *Aix*. Vide l. I. c. 15.

trucidata;[9] gensque excisa Teutonum. Quinto, citra Alpes in campis quibus nomen erat Raudiis,[10 f] ipse consul et proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere prælio [U. c. 653. a. Chr. n. 100.]: cæsa aut capta amplius cc.[11 g] millia hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne ejus nati[h] rempublicam pœniteret, ac bona malis repensasse.[12 i] Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus. [U. c. 654. a. Chr. n. 99.] Non tamen hujus consulatus fraudetur gloria, quo Servilii Glauciæ, Saturnique Apuleii furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium, et gladiis quoque et cæde comitia discutientium, consul armis compescuit,[d] hominesque exitiabiles in Hostilia curia[k] morte mulctavit.

13. Deinde, interjectis paucis annis, tribunatum iniit M. Livius Drusus [U. c. 663. a. Chr. n. 90.], vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, usus. Qui cum senatui priscum restituere cuperet decus, et judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Rutilium, virum non

[d] *Per quem, auctoritate consulis, coërcuit armis furorem Servilii Glauciæ, et Saturnini Apuleii,* qui *lacerabant rempublicam prorogando* sibi *dignitates, et* qui *dissipabant etiam comitia ensibus, et cæde* astantium.

Ruhnken. Ed. pr. *amplius CL. hostium....trucidatis.*—10 Ed. pr. *Raudis.*—11 Ita Putean. et Ald. Nep. Ed. pr. *C.*—12 Boecler. conjecit *bonis mala repens.* quod in textum recepit Cludius. Eundem sensum utraque possit sustinere lectio; idem enim notat *bona malis* ac *bonis malu repensasse*, s.

NOTÆ

[f] *Raudiis*] Prope Vercellas (*Vercellis*) in Pedemontio.

[g] *CC.*] Plerique tradunt cæsa esse ducenta millia, sed nonnulli tantum *C. millia.*

[h] *Ne ejus nati*] Ne rempublicam pœniteret, quod esset natus, et eum habuisset civem.

[i] *Ac bona malis repensasse*] Commodius, forte etiam verius, legeretur, *ac mala bonis repensasse*; id est, ac bonis, quæ tum reipublicæ attulit, compensasse mala, quorum exinde causa fuit.

[k] *In Hostilia curia*] Sic dicta est ab Hostilio, Romanorum rege, qui primus illam exstruxit.

sæculi sui, sed omnis ævi optimum,[e] interrogatum lege repetundarum,[j] maximo cum gemitu civitatis damnaverant;) in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ[m] illiciendæque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis majora permitteret.[f] Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta, collegarum, quam [ejus][1] optime ab ipso cogitata, senatus probaret magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; injurias, quæ ab illis[2] intendebantur, æquo animo reciperet; et hujus summæ gloriæ invideret, illorum modicam ferret.

14. Tum conversus Drusi animus,[g] quando bene cœpta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ. Quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita,[3] quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus,[n] qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ:[o] 'Ecquandone,' inquit, 'propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica?' Hunc finem clarissimus

[e] *Hominem optimum non* solum *sui temporis, sed qui unquam fuit.*
[f] *Ut* ipsa, *perceptis minoribus* commodis, *concederet majora* nobilitati.
[g] *Tum cogitationes Drusi conversæ sunt ad, &c.*

æquasse. vid. not. Burm. ad h. l.—1 *Ejus* e margine obtrusum videtur: Ruhnken. *colleg. ejus, quam optime.* Mox *ab ipso* ejiciendum putat Lips.—2 Ita Ruhnken. Ed. pr. *aliis.*—3 Ed. pr. *incognita*, quod correxit Acidal., recipiente

NOTÆ

[j] *Interrogatum lege repetundarum*] Interrogari lege, nihil aliud est, teste Asconio, quam reum fieri, accusari: Gallice *accusé de concussion.*

[m] *Veluti inescandæ*] Veluti oblata esca capiendæ. Quæ metaphora ducitur a piscibus et avibus, quæ inescari proprie dicuntur, cum escam captantes capiuntur. Hac metaphora utitur Terent. in Adelph. 'Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines.'

[n] *Cultello percussus*] Percussorem Cicero nominat *Varium*, hominem importunissimum. Florus tamen eum dicit interiisse dolore rerum a se temere motarum.

[o] *Convenientissimam conscientiæ suæ*] Id est, convenientissimam integritati suæ mentis, ac suorum consiliorum,

juvenis vitæ habuit. Cujus morum minime omittatur argumentum.[h] Cum ædificaret domum[4] in Palatio[i] in eo loco, ubi [est, quæ][5] quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Siscennæ est; promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera a conspectu, immunisque ab omnibus arbitris[6] esset [neque quisquam in eam despicere[p] posset]:[7] 'Tu vero,' inquit, 'si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus perspici possit.'

15.[8] [In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id majores (cum viderent tanto potentiorem Tyro[q] Carthaginem, Massiliam Phocæa,[r] Syracusas[s] Corintho, Cyzicum ac Byzan-

[h] *Non est prætermittendum testimonium* innocentiæ *ejus morum.*
[i] *In Palatino monte.*

Rulnken.—4 Ed. pr. perperam *templum.*—5 Damnat hæc *est, quæ* Ruhnken.: desunt in Ed. Clud.—6 Ita Cod. Ed. pr. *hominibus.* Ed. Basil. omisit *hominibus.*—7 Hæc, ut spuria, primus rejecit Boxhorn. probante Rulnken.: desunt in Ed. Clud.—8 Sectionem, uncis inclusam, ab aliena manu interpolatam puto, cum sequentia inde a *Mors Drusi*, &c. arctissime cum prioribus cohæreant, et re aliena interposita infelicissime interrumpatur narrationis filum. *Kraus.* Cludius conjecturam Krausii sequens hæc omnia, *In legibus* usque ad *condita est*, transposuit ad finem cap. 7. cui addidit primam sectionem cap. 8. *Subinde Porcio Marcioque.....Narbo Martius*, ad

NOTÆ

cujus erat sibi conscius.

[p] *Despicere*] Ab alto inspicere. Atque hinc utimur hoc verbo pro *contemnere*, quia, quos contemnimus, infra nos quasi positos aspicimus. Unde despicientia rerum humanarum pro *contemtu*. Contra sic usurpatur *suspicere*, pro venerari, magni facere. Non est omittenda hujus verbi *(despicere)* rarior acceptio: tamen Ciceroniana, ut sit: oculos avertere, visum alio detorquere. Cicer. pro S. Rosc. Amer. 34. 'Simul atque ille despexerit, aliquid hujuscemodi molinntur.'

[q] *Tyro*] Urbs est Syriæ in Phœnicia, in ora maris mediterranei: hodie *Sur*, sub dominio Turcarum. Unde olim colonia deducta Carthaginem, de qua supra l. 1.

[r] *Massiliam Phocæa*] Massilia, vulgo, *Marseille*, urbs est in ora Provinciæ, emporio celebris. Massilienses olim luxus notati sunt. Unde apud Suidam, Massiliam navigas, e Massilia venis, de nimium cultis dicitur. Phocæa urbs Æolidis est, in Asia minori, nunc *Fochia Vecchia.*

[s] *Syracusas*] In Sicilia, nunc *Saragosse. Cyzicum* urbs est Mysiæ in Asia, nunc *Chisico*: *Byzantium*, Turcis *Stamboul*; nobis *Constantinople.* Sedet juxta Bosphorum Thracium, inter Pontum Euxinum, et Propontidem e regione Asiæ minoris. *Miletus* sita est ad Cariæ et Ioniæ fines, hodie *Milazo.*

tium Miletо, genitali solo) diligenter vitaverant, ut[9] cives Romanos ad censendum[t] ex provinciis in Italiam revocaverint.[4] Prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.] Mors Drusi jam pridem tumescens[u] bellum excitavit Italicum.[x] Quippe L. Cæsare, et P. Rutilio consulibus, [U. c. 664. a. Chr. n. 89.] abhinc annos CXX.[y] universa Italia,[10] cum id malum ab Asculanis[z] ortum esset, (quippe Servilium[11] prætorem, Fonteiumque legatum occiderant,[a]) ac deinde a Marsis[b] exceptum, in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum ut fortuna atrox, ita causa fuit justissima: petebant enim eam civitatem,[m] cujus imperium armis tuebantur:[12] per omnes annos atque omnia bella, duplici numero se militum[c] equitumque

[4] *Majores nostri id evitaverant diligenter, cum observarent Carthaginem fuisse multo potentiorem Tyro, Massiliam Phocæa, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Miletо, ubi nati erant primi illarum incolæ: ita ut* semper *revocaverint in Italiam ex provinciis cives Romanos, ad profitendum* suos reditus.

[t] *Jamdudum erupturum.* [m] *Nam postulabant jus civitatis illius, cujus, &c.*

q. l. vid. Var. LL.—9 Acidal. *ut*, et mox *revocaverant*.—10 Sic transposuerant Putean. et Ald. quæ in Ed. pr. legebantur *cum id malum in universa Italia ab Asc., &c.*—11 Sic Ald. Nep. Ed. pr. *Servium:* Heins. *qui Q. Servilium proconsulem.*—12 Interpunctio hæc debetur Putean. Ed. pr. distinguit post

NOTÆ

[t] *Ad censendum*] Est hoc loco censere, apud censores, cum ab iis census agitur, profiteri sua bona. Est item censere, facultates æstimare, et in censum redigere: quod quinto quoque anno facere censores solebant.

[u] *Tumescens*] Quo sensu Cicero ad Attic. l. XIV. dixit: 'tument negotia,' pro jam jam eruptura sunt.

[x] *Italicum*] Sic dictum est, quia per omnes Italiæ oras diffusum; unde Floro Sociale nominatur.

[y] *CXX.*] Manutius legit *CXIX.* nota una detracta. Item, quod valde probo, legit, *universa Italia, cum id malum ab Asculanis esset* (ortum), *quippe Servium, &c. arma adversus Romanos cepit.*

[z] *Ab Asculanis*] Incolis Asculi, *d'Ascoli*, in agro Piceno.

[a] *Occiderant*] Inter ludos, quibus ambo legati intererant.

[b] *A Marsis*] Italiæ populis, sub Samnitibus: ubi nunc pars Aprutii ulterioris juxta lacum Fucinum in regno Neapolitano, et in limite ditionis Pontificiæ: etiam nunc *Ducato de Marsi.*

[c] *Militum*] Etsi dicitur miles quicumque militiam exercet, tamen usus voluit, interdum militem accipi pro *pedite;* ut hic accipitur: ut apud Cæsarem lib. III. de Bello Civili: 'cum ipsi numero militum equitumque præstarent:' ut alibi passim apud scriptores plerosque.

fungi,[a] neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per eos in id ipsum pervenisset fastigium, ex quo[1] homines ejusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset. Id bellum amplius CCC. millia juventutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, [de quo prædiximus,][2] L. Sylla anno ante prætura functus, Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate a L. Saturnino, tribuno plebis, quod solus in leges ejus[d] jurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu populi Romani, restituit patrem. Nec triumphis honoribusque, quam aut causa exilii, aut exilio, aut reditu clarior fuit Numidicus.

16. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Popædius,[e] Herius Asinius, Insteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilus.[3] Neque ego verecundia, domestici sanguinis gloriæ quicquam, dum verum refero, subtraham.[o] Quippe multum Minatii Magii, atavi mei, Æculanensis,[4] tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri,[p] tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum[f] simul cum T. Didio caperet, Pompeios[g] cum

[a] *Singulis annis, atque in omnibus bellis se suppeditare duplum peditum et equitum, neque, &c.*

[o] *At ego nihil pudore detraham de gloria majorum meorum, dum, &c.*

[p] *Hominis inter optimates Capuæ celeberrimi, et fidelissimi.*

bella.—1 *Ex quo* dedit Ruhnken. comparans II. 76. Ed. pr. *per quod.*—2 Hæc pro glossemate suspecta habet Kraus.—3 Ita Rapheleng. et Voss. Ed. pr. *Mutilius.*—4 Ed. pr. *Asculanensis:* sed correxit Cellar. qui Æculanum in Hir-

NOTÆ

[d] *In leges ejus*] Quas volebat ferre de divisione agrorum hujus Galliarum partis, unde Cimbros Marius expulerat.

[e] *Silo Popædius*] Quantum ad hæc nomina pertinet, legendum est; *Pompedius*, ex Diodoro et Orosio: *Hirnus Asinius, T. Vettius Cato, Papius Mutilus*, ex Appiano.

[f] *Herculaneum*] Nunc *Torre del Greco:* in ora sinus Neapolitani.

[g] *Pompeios*] Urbs ad Sarni ostia. Holstenio dicitur *Civita:* Cluverio *Scafati:* Ferrario, *Torre dell' Annunciata.*

L. Sylla oppugnaret, Compsamque[5 h] occuparet. Cujus de virtutibus cum alii, tum maxime dilucideque[6] Q. Hortensius in Annalibus suis retulit. Hujus[7] [ille][8] pietati plenam populus Romanus gratiam reddidit,[9] ipsum viritim[10] civitate donando,[g] duos filios ejus creando prætores, cum seni adhuc crearentur.[i] Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum[11] duo Romani consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque ad saga[k] iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarunt[12] Italicum.[1] Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui

[g] *Ipsum solum et seorsum civem faciendo.*

---

pinis est, ubi legionem conscripserat.—5 Ed. pr. *Cosam.*—6 Lips. *maxime dilucide.* Ruhnken. *eximie dilucideque.*—7 Ed. pr. *cujus*, quod correxit Heins.—8 *Ille*, quod Ed. pr. habet, ejecit Ed. Basil. Sed latet haud dubie vitium sub hac voce. Scheffer. in Misc. Obs. Vol. IX. T. III. conjecit *illi*: Lips. *scilicet*: Voss. *in se* vel *inde*: Heins. *illibatæ*: Jacobs. in Præf. Vers. Velleii vernaculæ, p. 29. *insigni*: Herel. in Annotat. crit. ad h. l. *utili*: Oudendorp. referente Ruhnken. *cujus fidei et pietati.* Inter quos maxime probo Herelium. *Kraus.* Burm. *ille* omisit: Clud. *illustri.*—9 Sic correxit Perizon. teste Heins. probante Ruhnkenio, et in textum recipiente. Ed. pr. cum multis al. *retulit.*—10 Ita Ed. pr. Ruhnken. et Lugd. Bat. 2. Jacobs. in Præf. Vers. conj. *Minatium*: Ed. Bipont. *virum.* Clud. *Quiritum.*—11 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *continuo.*—12 Ita correxit Burer. recipiente Ruhnken. exemplo Ed. Junt. Cod. *appellarent*: Ed. pr. *Corfinium legerantque Italicani.*—1 Causab. et Wesseling. probante Ruhnken. ex Diod.

NOTÆ

[h] *Compsam*] Alii legunt *Cosam*, quæ, teste Barrio, dicitur *Cassano* regni Neapolitani in Calabria.

[i] *Cum seni adhuc crearentur*] Non frustra addidit, *seni*: quia non multo post, teste Lipsio, Sylla Dictator numerum auxit ad XII.

[k] *Ad saga*] Sagum vestimentum militare est, Græcis, Gallis, Germanis, Hispanisque commune cum Romanis. Illud Romæ moris erat in dubio periculosi belli eventu sumere. Sumtum autem, nisi lætiore spe, et meliore fortuna, non deponebatur. Ad id vero Senatus consulto vel lege opus erat. Hujus porro vestimenti tria erant genera. Unum lugubre, nigrum, pullum, de quo hoc loco sermo est: alterum gregale, militum scilicet, densum atque villosum: tertium imperatoris, quod proprie paludamentum.

[l] *Quod appellarunt Italicum*] Ita recte Burrerius emendavit. An item recte Vossius, qui legit, *Italicam?* Utroque legi modo potest, et *Italicum* et *Italicam* Corfinium. Urbs erat Pelignorum, ubi natus Silius Poëta; unde dictus est *Italicus*, id est, *Corfiniensis.* Nunc vicus est Aprutii citerioris; vulgo, *Pentina*, vel *S. Pelino.*

arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectæ sunt: Pompeio Syllaque et Mario fluentem[m] procumbentemque rem publicam populi Romani[n] restituentibus.

17. Finito ex maxima parte, nisi qua[1][n] Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello (quo quidem Romani victis afflictisque ipsi exarmati, quam (integri)[4] integris universis civitatem dare maluerunt)[r] consulatum inierunt Q.[5] Pompeius et L. Cornelius Sylla [U. c. 666. a. Chr. n. 87.], vir, qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio[o] Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familiæ ejus[6] claritudo intermissa esset,[s] diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. Deinde post prætoram illustratus bello Italico,[t] et ante in Gallia legatione sub Mario, qua[7] eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumsit; petensque consulatum, pæne omnium civium suffragiis factus est.[8p] Sed eum honorem undequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.

18. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir neque

[r] *Cujus quidem belli* sub finem *Romani ipsi, positis armis, maluerunt dare* seorsum *civitatem* hostibus *victis et debilitatis, quam omnibus simul, cum eorum vires erant integræ.*

[s] *Qui fuerat unus ex clarissimis ducibus belli*, quod gestum est *adversus Pyrrhum, cum ejus gentis splendor extinctus esset ab aliquo tempore.*

[t] *Celebris effectus in bello Italico.*

---

excerpt. p. 519. et Strab. v. p. 241. *Italicam*.—2 Ita Voss. et Ruhnkenius e Cod. lectione *rem P. R.* Ed. pr. *Remp.*—3 Ed. pr. *quæ:* Lips. *quod*.—4 Ruhnkenius *integri* a sq. *integris* haustum esse putavit, Cludius contra idem excidisse censet ante *integris: integri* deest in Ed. pr. Heins. omittit *integris*.—5 Ed. pr. *Cn.*—6 Herel. *vetus*.—7 Ed. pr. *quæ*.—

NOTÆ

[m] *Fluentem*] Id est, *ruentem*. Quo recidit Virgilianum illud: 'Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri Spes Danaum.'

[n] *Nisi qua*] Pro *quatenus*, quod Ciceronianum est.

[o] *Sextus a Cornelio*] Gallice: *le sixiéme descendant de Cornelius.*

[p] *Suffragiis factus est*] Lege cum Grutero, *nactus est*, id est, obtinuit.

silendus,[v] neque dicendus sine cura,[w] bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal,[x] occupata Asia, necatisque in ea omnibus[y] civibus Romanis, quos quidem eodem die atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum, interimi jusserat, (quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis[z] par fuit. Horum fidem Mytilenæorum[a] perfidia illuminavit: qui M'. Aquilium, aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in tutius Theophanis[b] gratiam, postea a Pompeio restituta est,) cum terribilis Italiæ quoque videretur imminere,[c] sorte obvenit Syllæ Asia provincia. Is, egressus Urbe, cum circa Nolam moraretur (quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut pœniteret ejus fidei, quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico[d]); P. Sulpicius, tribunus plebis disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, cum antea rectissima vo-

[v] *Rex Ponti, vir de quo neque silendum est, neque loquendum leviter.*

[w] *Cum formidabilis etiam Italiæ videretur instare.*

[x] *Quasi eam pœniteret ejus fidei, quam servaverat omnium religiosissime in bello Carthaginiensi.*

& Gentet. Vass. aliique malunt *nactus est*. Heins. expungenda censet *factus*

NOTÆ

[a] *Vir neque silendus*] Quippe, cum vincendo Pyrrho tantum quatuor, Hannibali septem et decem anni sufficissent, Mithridates annos quadraginta Romanis restitit.

[b] *Odio in Romanos Hannibal*] Id est, aiter Hannibal, propter pàr ejus odium in Romanos. Hannibal Amilcaris filius fuit: quem adhuc impuberem jurejurando, ante aras, pater astrinxit, ut, cum primum per ætatem liceret, adversus Romanos arma sumeret.

[c] *Necatisque in ea omnibus, &c.*] Memnon de Tyrannis Herael. Pont. item Valer. Maxim. l. IX. c. 2. tradunt octoginta millia cæsa esse. Augent numerum Plutarchus et Appianus: ille quidem usque ad centum et quinquaginta millia; hic vero ad centum et sexaginta millia. Sed Vossio Memnonis potior videtur auctoritas.

[d] *Rhodiis*] Incolis insulæ Rhodi, de qua supra l. I. c. 9. et mox infra.

[e] *Mytilenæorum*] Incolarum urbis Mitylenes, quæ Lesbi insulæ caput est.

[f] *Theophanis*] Historicus erat, Magni Pompeii rerum scriptor. Cicer. pro Arch. 24.

luntate apud populum maximam quæsisset dignitatem,[x] quasi pigeret eum virtutum suarum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et præceps, C. Mario, post LXX. annum, omnia imperia et omnes provincias concupiscenti (se)[9] addixit, legemque ad populum tulit, qua Syllæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum;[a] aliasque leges[10] perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati, tulit. Quin etiam Q. Pompeii consulis filium, eundemque Syllæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit.

19. Tum Sylla contracto exercitu ad Urbem rediit, eamque armis occupavit; XII. auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos[11] Marium cum filio et P. Sulpicio, Urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis[y] paludibus jugulavere; caputque ejus, erectum et ostentatum pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum annumque[12] LXX. nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto,[z] circa paludem Maricæ,[a] in quam se, fugiens consectantes Syllæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium jussu duumviri[1 b] perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publi-

[x] *Cum antea acquisivisset, rectissima voluntate, maximam apud populum famam.*
[a] *Caius Marius præficeretur dux bello adversus Mithridatem.*

---

est. Sed.—9 *Se*, quod deest in Ed. pr. addidit Putean. probante Heins. et Ruhnken.—10 Hottinger. *leges* de glossemate suspectum habet.—11 Acidal. *interque eos.*—12 Ita Voss. Ed. pr. *annoque:* Putean. *annosque.*—1 Ed. pr.

NOTÆ

[y] *In Laurentinis*] In paludibus circa Laurentum urbem Latii: nunc *S. Lorenzo.*

[z] *Arundineto*] Loco arundinibus abundanti. Sic rosetum, olivetum, &c. pro locis, in quibus plurimæ rosæ, et oleæ sunt.

[a] *Maricæ*] Sylva est Latii novi (lucus a Livio dicitur) in Campaniæ confinio ad Lirim fluvium, apud Minturnas urbem excisam: sic dicta a Marica Nympha de qua Virgil. Æneid. VII. 'Hunc Fauno, et nympha genitum Laurente Marica.'

[b] *Jussu duumviri*] Ita vocabantur coloniarum magistratus, ut Romæ consules.

eus; natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromente[2] indignationem casus tanti viri, abjecto gladio, profugit e carcere.[b] Tum cives, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti,[c] instructum eum viatico,[c] collataque veste, in navem imposuerunt. At ille, assecutus circa Æthariam[3 d] filium, cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium toleravit: cum Marius,[e] aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

20. Hoc primum anno sanguine consulis Romani militis imbutæ manus sunt.[4] Quippe Q.[5] Pompeius,[f] collega Syllæ, ab exercitu[6] Cn. Pompeii proconsulis, seditione, sed quam dux excitaverat,[7] interfectus est. [U. c. 667. a. Chr. n. 86.] Non erat Mario, Sulpicio[8] Cinna temperatior. Itaque, cum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in

[b] *Qui in bello Cimbrorum forte captus fuerat ab eo, cum esset dux* exercitus Romani, *statim atque agnovit Marium, abjecto ense, profugit e carcere, cum magna ejulatione, quæ indicabat ejus indignationem ob casum tanti viri.*

[c] *Tum cives, qui ab hoste didicerant misereseere hominis, qui paulo ante primus fuerat* reipublicæ, &c.

[d] *Hoc anno manus militum primum tinctæ sunt cruore consulis Romani.*

II: viri: Lips. maluit *duumvirum:* Gruter. *duumvirali.*—2 Cod. *m. e. expromenti:* Ed. pr. *cum magno e. expromenti:* Ed. Basil. *magno cum e. se prodentem indignationem:* Ed. Bipont. secutus Burmann. *exprimente.*—3 Ed. pr. *Tænariam:* Gruter. conj. *circa I.* (s. insulam,) *Ænariam.*—4 *Sunt* deest in Ed. pr.—5 Q. addidit Heins. quod deest in Cod. et Ed. pr. post. præced. *Quippe* forte elapsum.—6 Ed. pr. *ad exercitum.*—7 Cod. et Ed. pr. *creavarat.* Burer. *exitiaverat* vel *exciverat* probante Ruhnken. et Heins.—8 Rhenan. *Sulpicioque.*

NOTÆ

[c] *Viatico*] Id est, pecunia ad iter faciendum.

[d] *Ænariam*] Insula Campaniæ est, vulgo *Iachia.* Habet arcem munitissimam, cum arce in scopulo, ab insula quasi sejuncto. Ubi alias asylum Ferdinandi regis Neapolitani, tempore Caroli VIII. Francorum regis, qui totum ejus regnum intra paucos dies ceperat.

[e] *Cum Marius, &c.*] Exscribi dignum est ad hunc locum Lucani illud: 'Solatia fati Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes Ignovere Deis.'

[f] *Quippe Q. Pompeius*] Cognomine Strabo, qui anno superiore collega Syllæ fuerat.

beneficium, quam auctores beneficii;[e] Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in Urbem acciverat.[f] E qua pulsus collegæ optimatiumque viribus, cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus consulatus ei abrogatus est, suffectusque in ejus locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis.[g] Hæc injuria[h] homine, quam exemplo, dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Is cum universus[9] in verba ejus jurasset,[g] retinens insignia consulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium: e quorum delectu ccc. amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat.[i] Opus erat[k] partibus auctoritate,[10] gratia: cujus augendæ,[l] C. Marium cum filio de exilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.

[e] *Itaque cum jus civium Romanorum Italiæ datum esset ea conditione, ut novi cives redigerentur in octo tribus, ne eorum potentia atque multitudo minueret decus veterum civium; et ne, qui recepissent* hoc *beneficium, potentiores fierent, quam qui illud contulissent, &c.*

[f] *Qua de causâ advocaverat in urbem ex tota Italia maximam multitudinem.*

[g] *Cum universus exercitus sacramentum ei dixisset, &c.*

—9 Ed. pr. *universos.*—10 Post *auctoritate* interpunxit Ed. pr. at secus mox: *gratia cujus augendæ C. M., &c.* Recentiores Edd. emendarunt *Opus erat partibus, auctoritate, gratia: cujus, &c.* Interpunctionem vero post *partibus* damnant cum Krussio Ruhnken. qui vocem illam in Dativo capiunt de factione

NOTÆ

[g] *Flamen Dialis*] Sacerdos Jovis. Dialis dicitur ἀπὸ τοῦ Διὸς, *a Jove*, quasi Jovialis. Nam Flamines ab eo numine, cui sacra faciebant, assumebant sibi cognomen. Unde autem *Flamen* deducitur? A filo, inquit Servius, quo Sacerdotes, maxime æstivo tempore, caput cingebant. Cum enim pileum ferre per æstum non possent, incedere vero nudo capite nefas esset, tantum filo caput religabant. Ex quo dicti sunt Flamines, tanquam Filamines.

[h] *Hæc injuria*] Sensus est: Hanc quidem injuriam talis homo merebatur: at tale severitatis exemplum dandum non fuisset, quia periculosum esse poterat.

[i] *Ac triginta legionum instar impleverat*] Gallice: *et il en forma trente corps, comme autant de legions.*

[k] *Opus erat*] Sensus est: Ad hæc omnia, necesse erat factionem comparare: opus erat auctoritate, et gratia, ad quam augendam de exilio revocavit C. Marium, &c.

[l] *Cujus augendæ*] Optima lectio, per Hellenismum satis notum.

21. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater (cujus præclara opera bello Marsico, præcipue circa Picenum agrum,[m] [ut præscripsimus,[11]] usa erat respublica,[h] quique Asculum ceperat, circa quam urbem, cum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, V. et LXX. civium Romanorum, amplius LX. millia Italicorum una die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium mediumque partibus[n] præstitit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur, et huc atque illuc, unde spes major affulsisset[12] potentiæ, se exercitumque deflecteret.[i] Sed ad ultimum magno atrocique prælio cum Cinna conflixit: cujus commissi patratique sub ipsis mœnibus oculisque[o] urbis Romanæ,[o] pugnantibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit. Cujus interitus voluptas, amissorum aut gladio aut morbo civium pœne damno repensata est:[k] populusque Romanus, quam vivo

[h] *Qui, ut supra scripsimus, eximie de republica meritus fuerat in bello Marsorum, præsertim circa agrum Picenum.*

[i] *Ita se ambiguum ac medium inter partes præbuit, ut omnia gereret ex sua utilitate, videreturque observare tempora, et se cum exercitu converteret, modo huc, modo illuc, ubi sperasset se fore potentiorem.*

[k] *Lætitia, quam attulit ejus mors, compensata est jactura civium, quos aut ensis aut morbus abstulit.*

Cinnæ, quæ gratia et auctoritate indigebat.—11 De glossemate hæc Krausio suspecta sunt. Ruhnken. et al. *prædiximus*.—12 Ed. pr. *adfuisset*: correxit Ald. Nep. probantib. Rapheleng. Gruter. Boxh. Burm. Gruner. et Ed. Bipont.—1 Ita ex correctione Lipsii, probantib. et in textum recipientib.

NOTÆ

[m] *Circa Picenum agrum*] Picenum vulgo creditur esse *la marche d'Ancone*, provincia ditionis Pontificiæ. Sed complectitur etiam Aprutii ulterioris partem, cum majori parte Marchiæ Anconitanæ. Urbs ejus præcipua nunc est *Ancon*, in ora Mediterranei maris.

[n] *Mediumque partibus*] Medii, teste Schero, dicuntur, quos in contentionibus nullarum partium sive neutros vocamus. Gallice, *Neutres*.

[o] *Oculisque urbis Romanæ*] Ita Lipsius: Vossius, *focisque*. Uterque bene. Lipsianam tamen emendationem amplector. Ergo loci sensus est: Exitus hujus prælii commissi, non ut alia procul a patria; sed apud Janiculum, sub ore oculisque urbis Romanæ, quam tristis funestusque fu-

iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus ejus nominis, ante annos fere CLXVII.[2] [U. c. 613. a. Chr. n. 140.] Q.[3] Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit.[4] Cinna et Marius, haud incruentis utrinque certaminibus editis,[l] Urbem occupaverunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit.

22. Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu[p] intravit mœnia. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Syllana esset secuta. Neque licentia gladiorum in mediocres[5 q] sævitum, sed[m] excelsissimi[6] quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. In iis consul Octavius, vir lenissimi animi, jussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnæ consulatu[7 r] abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute reipublicæ flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exsecrationem Cinnæ, partiumque [ejus][8] tum precatus, optime de republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque elo-

[l] *Post commissa prælia, quæ utrinque valde cruenta fuerunt.*
[m] *Neque licentia actum est crudeliter in homines mediocres, sed, &c.*

Ruhnken. Ed. Bipont. et Kraus. Ed. pr. *Sociisque.*—2 Ed. pr. *CLXVIII.* —3 Pro Q. Ed. pr. *quam.*—4 *At* excidisse ante *Cinna* putat Kraus. absorptum a præcedente syllaba *it.*—5 Cod. *licentia immediocri sævitum.* Scripsit Acidal. *in mediocris*, antiquum accusativum. Junta, Ed. Basil. aliique post eos, *gladiorum*, quasi, teste Burerio, in vet. Cod. deesset, omiserunt; Ruhnken. vero in Cod. esse, sed operarum culpa in Burer. nota elapsum esse putat.—6 Ita Ed. Basil. qui et mox *quoque* mutavit in *quique.* Ed. pr. *excelsissimæ quoque atque eminentissimæ*, quod tuetur Putean. corrigens *dignitatis.*—7 Rhenan. Gryph. et Ed. Basil. ita interpretati sunt Cod. *Cos.* —8 Herel. damnat *ejus*, et pro *ejus tum* conj. *extremum.*—9 Ita rescripsit

NOTÆ

erit, et pugnantibus et spectantibus, ægre dici potest.

[p] *Pestifero civibus suis reditu*] Sensus est: Non multo post C. Marius ingressus est urbem, ubi, veluti quædam pestis, ejus reditus plurimos cives absumsit.

[q] *In mediocres*] Vulgo *immediocri.* Verum Acidalii et Rhenani lectionem, quæ visa mihi est commodissima, secutus sum.

[r] *Consulatu*] Alii *Consulis;* quæ lectio retineri possit, cum Cinna insignia consularia etiam gesserit, postquam consulatus ei abrogatus est a Senatu: tamen primum Rhenano; deinde Gryphio atque Stephano editum est, *consulatu.* Quam editionem

quentiæ,[n] gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cinnæque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco, nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum, obiit.[o] Omnia erant præcipitia in republica,[p] nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut sævitiæ causam avaritia præberet, et modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur,[q] et qui fuisset locuples, fieret nocens,[9] sui quisque periculi merces [foret],[10] nec quicquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.

23. Secundum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit. [U. c. 668. a. Chr. n. 85.] Cujus initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem[s] solvi jusserat: cujus facti merita[t] eum pœna intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna, major pars nobilitatis ad Syllam in

[n] *Marcus Antonius, nobilissimus atque eloquentissimus urbis, &c.*
[o] *Partim hausto mortifero aëre, partim adempta respirandi potestate, extinctus est morte, magis ex hostium desiderio quam ex* eorum *arbitrio.*
[p] *In republica omnia ruebant in extremum discrimen.*
[q] *Et magnitudo culpæ æstimaretur ex copia divitiarum.*

Ed. Basil. Ed. pr. *innocens.*—10 *Foret* in Edd. plurimis, sed expungendum

NOTÆ

priore potiorem esse judicamus.

[s] *Quadrantem*] Id est, quartam debitorum partem, qua soluta debitores reliquis partibus liberarentur. Manutius de usura, non de credito rem explicat, aitque Flaccum, exempli causa, ternos nummos ex centenis pendi quotannis usuræ nomine voluisse. Hoc vero sensu, quo explicet modo *quadrantem* non admodum liquet.

[t] *Cujus facti merita*] Cum enim propter avaritiam invisus esset exercitui suo, a C. Fimbria, summæ audaciæ viro, occisus est.

Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sylla interim cum Mithridatis præfectis, circa Athenas, Bœotiamque [et Macedoniam][11] ita dimicavit, ut et Athenas reciperet, et plurimo circa multiplices Piræei portus[a] munitiones labore expleto, amplius cc. millia hostium interficeret,[r] nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ a Sylla sunt, imputat Atheniensibus,[s] nimirum[12] veri[x] vetustatisque ignarus est. Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quicquid sincera fide gereretur, id Romani, Attica fieri, prædicarent. Ceterum tum[t] oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis,[s] et animos extra mœnia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam[2] Sylla, parentem ad omnia[3][y] supplicemque Mithridatem invenit. Quem mulctatum pecunia ac parte navium, Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit: captivos recepit; in perfugas[4]

[r] *Ut et recuperaret Athenas, et post plurimos labores toleratos, ad diruendas varias munitiones Piræei portus, interficeret,* &c.

[s] *Si quis imputat Atheniensibus hanc perduellionem,* et ea quæ acta sunt *tempore quo Sylla Athenas oppugnavit,* &c.

[t] *Ceterum Athenienses, oppressi armis Mithridatis, tum erant in miserrimo statu; cum* enim *essent in hostium potestate, obsidebantur ab amicis,* &c.

putant Lips. et Ruhnken. deest in Ed. Bipont. et Ed. Clud.—11 Hæc a sciolo in margine ascripta fuisse videntur; repuguat enim rerum veritati. Finitimos Macedoniam infestantes populos, non Mithridatis exercitus, ibi devicit Sylla. *Kraus.*—12 *Is* ante *nimirum* conj. Kraus.—1 *Cum* Ed. pr.—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *in Asia.*—3 Ed. pr. *ante omnia:* correxit Ruhnken.—4 Ita correxit Ed. Basil. *perfugam* Ed. pr. quod tuetur Hottinger. in

NOTÆ

[a] *Piræei portus*] Athenarum portus erat, quadringentarum navium capax: olim Archelai opera munitissimus. Deinde a Themistocle longissimo muro urbi conjunctus: vulgo, *Porto Leone,* a Leone marmoreo, qui ad littus jacet.

[x] *Nimirum veri*] Vossius legit *nimium.* De Atheniensium vero fide aliter omnino Tacitus scripsit Ann. II. ubi eos vocat, 'Mithridatis adversus Syllam socios.'

[y] *Parentem ad omnia*] Acidalius legit *in omnia:* quæ locutio Velleio prorsus familiaris est. Verum Vossius nihil mutandum esse censet, vultque dici, *ante omnia,* pro *præcipue;* quo modo Virgilius dixit Georg. II. 'Dulces ante omnia Musæ.' Gallice, *Disposé à une obéissance absolue.*

nostosque animadvertit: paternis, id est, Ponticis finibus contentum esse jussit.

24. (At)[6] C. Flavius Fimbria [U. c. 669. a. Chr. n. 84.], qui præfectus equitum ante adventum Syllæ, Valerium Flaccum consularem virum interfecerat, exercitumque occupato Imperator appellatus, forti[7][a] Mithridatem pepulerat prælio, sub adventum Syllæ se ipse interemit, adolescens, quæ pessime ausus erat, fortiter executus. Eodem anno P. Lænas tribunus plebis Sex. Lucilium,[a] qui [in][8] priore anno tribunus plebis fuerat, saxo Tarpeio[b] dejecit: et cum collegæ ejus, quibus diem dixerat, metu[9] ad Syllam profugissent, aqua ignique[c] iis interdixit. Tum Sylla, compositis transmarinis rebus, cum ad eum, primum omnium Romanorum,[x] legati Parthorum venissent, et in iis quidam magi[d] ex notis corporis respondissent, cœlestem ejus vitam et memoriam futuram,[y] revectus in Italiam, haud plura quam XXX. armatorum millia adversum cc. amplius hostium exposuit[e] Brundisii. Vix quicquam in Syllæ operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cimanæ Maria-

[x] *Quod nemini Romanorum ante illum contigerat.*
[y] *Ejus vitam fore celebrem, et memoriam immortalem.*

Mus. Turic. ad h. l.—5 *I. e. Pont.* a glossatore additum videtur Ruhnken.—6 *At* ex Herel. conject. additum.—7 Ita ex correctione Puteam. Rhenan. *forte*: Ed. pr. *fonte*, quod Ed. Basil. abjecit.—8 *In* delevit Ed. Basil. non invito Ruhnken.—9 Ed. pr. *motu*: correxit Burer.—10 Ita scripsit Ed.

NOTÆ

[a] *Forti*] Alii legunt *forte*, id est, casu magis quam sua virtute.

[a] *Sex. Lucilium*] Quidam ex Plutarcho in Mario legunt *Sextum Lucinum*. Immo ibidem tradit Plutarchus, hujus facti auctorem esse Marium; atque illo ipso die, quo septimum consulatum Marius iniit, Sextum Lucinum de Tarpeia rupe præcipitatum esse. Ita Lucini mors antecederet biennio, quæ hoc anno acta esse Velleius refert. Certe Vossius parachronismo biennii non dubitat accusare Velleium.

[b] *Saxo Tarpeio*] Monte Capitolino. A Tarpeia virgine Vestali dictus est Tarpeius, cum prius Saturnius diceretur. Olim ex illo damnati præcipitabantur, et qui falsum testimonium dixissent.

[c] *Aqua ignique*] Qua interdictione reus in exilium mittebatur.

[d] *Et in iis quidam magi*] Recte dici possent physiognomi, vel physiognemones: quorum ars physiognomia vocatur.

[e] *Exposuit*] In terram Brundisii, quæ urbs est Calabriæ.

næque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec, quod erat in manibus, omisit; existimavitque ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem; repulsoque externo metu, ubi, quod alienum esset, vicisset, superavit,[10] quod erat domesticum. Ante adventum L. Syllæ, Cinna, seditione orta, ab exercitu interemtus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum: de quo vere dici potest, ausum eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ a nullo, nisi fortissimo, perfici possent; et fuisse eum in consultando temerarium, in exequendo virum.[y] Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno consul fuit.

25. Putares, Syllam venisse in Italiam [U. c. 670. a. Chr. n. 83.], non belli vindicem,[f] sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam; tentavitque justis legibus et æquis conditionibus bellum componere. Sed iis, quibus et (res)[11] pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Syllæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque et[12] sanissimo.[z] Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque consules superat [U. c. 671. a. Chr. n. 84.]: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sylla dimissus est. Adeo enim Sylla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit,***[1] ac justissimo lenior; post

[y] *Et eum fuisse simul temerarium in capiendis consiliis, et fortem in exequendis.*
[z] *Optimis et prudentissimis quibusque concurrentibus ad eum.*

Basil. Ed. pr. Lips. et al. *superaret*. Ursinus conj. *superare*, ut referatur ad *existimavit*. Ruhnken. *superandum*.—11 *Res*, a vicinis absorptum, inserendum putavit Ruhnken.—12 Ed. pr. omisit *et*, quod Cod. habuisse testatus est Burer.—1 Lacunam hanc difficiliter explendam monstrare asteriscis optimum factu videbatur. Rhenan. *mitissimo ac j. l.* Burer. ejiciendum putat *ac*: Burmann. *dum vincit acie, justo lenior*: Jacobs. *dum minitat*, s. *mini-*

NOTÆ

[f] *Non belli vindicem*] Sensus est: non ut bello sibi vindicaret omnia; aut forte, non ut injurias nobilium armis ulcisceretur; sed ut certam pacem constitueret.

victoriam audito fuerit crudelior.[a] Nam et consulem,[2] [s] ut prædiximus, exarmatum, Q. Sertorium, (pro quanti mox belli facem!)[3] et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. Post victoriam, qua descendens montem Tifata[4] [b] cum C. Norbano concurrerat Sylla, grates[5] Dianæ,[b] cujus numini[6] regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate medendisque[7] corporibus nobiles, agrosque omnes addixit[8] Deæ.[c] Hujus gratæ religionis[i] memoriam[9] et inscriptio templi affixa posti hodieque,[10] et tabula testatur ærea intra ædem.[d] [11] [k]

[a] *Sylla enim, dum bellum gerebat, adeo diversus erat a se ipso, cum vicerat, ut in victoria fuerit lenior mitissimis et justissimis, post victoriam crudelior* iis omnibus de quorum crudelitate *audivimus.*

[b] *Post victoriam, quam Sylla retulerat ex C. Norbano, descendens ex monte Tifata, egit gratias Dianæ, &c.*

[c] *Dedicavit Deæ agros omnes,* et *aquas celebres salubritate et vi sanandi morbos.*

[d] *Et inscriptio etiam nunc affixa posti templi, et tabula ex ære* posita *intra templum, testatur memoriam hujus gratæ religionis.*

---

tatur, justissimo lenior: Ed. Bipont. et al. *dum vinceret, j. l.* Clud. ex emendatione Recens. Berol. *dum vincit alios, &c.* Alii aliter.—2 Vulgo *Consul:* Ed. pr. *ut Cos. u. p. exarmatumque S.*—3 Hanc exclamationem suspectam habet Ruhnken.—4 Lectio hæc debetur Ed. Basil. Cod. *Posuit vict. qua demendesmontem ti fata:* ita quoque Ed. pr. Burer. ex parte præivit Ed. Basil. *Posuit victoriam, qua demens de monte in T. &c.* Ruhnken. pro *qua* malit *quia.*—5 Cod. *gratis,* quod Voss. primus explicuit *grates,* cum antea, Cod. ratione non habita, sic conjecissent Putean. et Lips. Ed. pr. *gratus:* Junt. *gratias.*—6 Ita Ed. pr. ex correctione Rhenan. Cod. *nomini.*—7 Cod. *in medendisque:* correxit idem Rhenan.—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *adduxit,* quam post vocem, non post *Deæ,* eadem ponit incisum; Burer. contra post *Deæ.*—9 Ita emendavit Lips. lectionem Ed. pr. *memoria.*—10 Interpunctionem minimam post *hodieque* dedit, inculcavitque *et,* Ed. Basil. Cod. majorem habet post *posti.*—11 Codex, *hodieque crabula testatur ærea. Interea deinde Coss. Carbo, &c.* Ed. pr. a Rhenani manu: *hodieque tabula testatur ærea intra ædem Coss.* At Editor Basil. præter *et* inculcatum maximam interpunctionem posuit post *ædem,* et serva-

NOTÆ

[s] *Nam et Consulem*] Ita Lipsius, cum vulgo legeretur *Consul.* Sed quem consulem? Scipionem, quem antea scripsit sine noxa dimissum esse, cum Sylla exercitum ejus ipsumque Scipionem in potestatem suam redegisset.

[b] *Tifata*] Mons est Campaniæ, urbi Capuæ imminens, inter ipsam et Nolam extensus; vulgo *Monte di Capoa e di Caserta.*

[i] *Hujus gratæ religionis*] Amplexus sum Rhenani lectionem, quam Ant. Thysius in editione sua secutus est. Quo modo et Lipsio venit in mentem legere.

[k] *Intra ædem*] Ichnographia templi, aut aræ alicujus, gemino expri-

26. Deinde consules Carbo III., et C. Marius, [U. c. 672. a. Chr. n. 81.] (C. Marii)[12] septies consulis filius, annos natus XXVI. vir animi magis, quam ævi paterni, multa fortiterque[1] molitus, neque usquam inferior nomine consul. Is[2] apud Sacriportum[1] pulsus a Sylla acie,[e] Præneste,[m] quod ante, natura munitum, præsidiis firmaverat, se exercitumque contulit. Et ne quid usquam[3] malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus; optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus. Quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitium,*** Scævolam Mucium,[4] pontificem maximum,[n] et divini humanique juris[o] auctorem celeberrimum, et C. Carbonem prætorium consulis fratrem, et Antistium ædilicium,[f] velut faventes Syllæ partibus, in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiæ filia, uxor Antistii: quæ, jugulato, ut prædixi-

[e] *Inde ingressi sunt consulatum Carbo tertium, et C. Marius*, hujus, *qui septies consul fuerat*, Marii *filius, annos natus viginti sex, vir patri fortitudine similior, quum vitæ diuturnitate, multa et fortiter aggressus, nec usquam impar dignitati consulari, a Sylla prælio superatus apud Sacriportum, &c.*

[f] *Et Antistium, qui Ædilis fuerat.*

---

vit *deinde*, quod in Codice erat.—12 *C. Marii* addidit Putean. probante Ruhnken.—1 Wopkens. Misc. Obs. Vol. VIII. p. 37. et Ruhnken. *que* abjiciendum putant.—2 In Ed. pr. et sequentibus omnibus legitur, *consulis, apud Sacriportum, &c.* Ed. Basil. inculcavit *qui* ante *multa;* Ruhnkenio autem placet, *qui animi magis.* At Laur. Santenius, referente Ruhnkenio, legendum censet *consul* pro *consulis.* Nobis visum est, ut edidimus, Ruhnkenio tacente quid amplius Santenius de h. l. statuerit. *Kraus.*—3 Ed. pr. *Ne quid unquam, &c. Et* ab Ed. Basil. *Usquam* a Puteano, probantibus Lipsio, Burmanno, et Ruhnkenio, qui recepit.—4 Ita ex Ruhnkenii conjectura editum. Ed. pr.

NOTÆ

mebatur exemplari, quod utrumque in eadem illa æde reponebatur: ut ex multis marmoribus notum est. Ergo mos erat intus in æde poni tabulam, quæ idem, aut etiam sæpe plura continebat, quam quæ basi columnæ statuæve, aut ædium frontispicio, incisa erant.

[1] *Apud Sacriportum*] Locus est Latii apud Prænestæ urbem.

[m] *Præneste*] Incolis *Pilastrina*: nobis *Pilastrine*, in Campania Romana, et in ditione Pontificia.

[n] *Pontificem maximum*] Sacer erat Magistratus institutus a Numa, rerum omnium quæ ad sacra religionesque pertinebant judex.

[o] *Et divini humanique juris*] Intelligit jurisconsultum, qui de divino humanoque jure libros edidit.

mus, viro, gladio se ipsa[5] transfixit. Quantum hujus gloriæ, famæque accessit?[6] nunc virtute ** eminet,[p] patria **** latet.

27. At Pontius Telesinus dux Samnitium, vir animi[7] bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter XL. millibus fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis juventutis, Carbone ac Mario consulibus, abhinc annos CXI.,[8] Kalendis[9] Novembribus, ita ad portam Collinam[q] cum Sylla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et rempublicam perduceret. Quæ non majus periculum adiit, Hannibalis intra tertium milliarium[r] castra conspicata, quam eo[10] die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque, adesse Romanis ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque Urbem, adjiciens, nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi sylva, in quam refugere solerent,[11] esset excisa. Post primam demum horam noctis et Romana acies respiravit, et hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis, quam morientis,

[5] *Quantum gloriæ famæque* tum *acquisivit!*

Domitium Scævolam etiam. Excidisse putat Ruhnkenius *consularem.*—5 Ita Voss. Ed. pr. *ipsam.*—6 Hæc, ab optimis Criticis pro desperatis habita, lacunis laborare visa sunt, præeunte Acidalio, qui *sua* post *virtute* excidisse putat, quod probamus; sed post *patria* pariter periisse *noxa, fraude,* vel simile quid, existimantes. Inter reliquorum conjecturas, nec ingenium nec dictionem Velleii assequentes, sola notabilis est Herelii: *Quantum hujus g. f. cessit, nunc virtute feminæ pater latens.* Kraus.—7 Rhenan. *domi.* Ruhnken. *animi fortissimus, belli peritissimus, Romanoque nomini infestissimus.*—8 Ita Ald. Nep. Cod. *XI.* Ed. pr. *XL.*—9 Lips. malebat *VII. Cal. Nov.*—10 Ita Cod. Ed. pr. *eodem.*—11 Ita emendavit Burer. Cod. et Ed. pr. *solent.*—12 Ed. pr.

NOTÆ

[p] *Nunc virtute eminet*] Hujus loci, quem Lipsius pro deposito habuit, sensus est: nunc eminet quidem virtute sua, et quoties mentio fit illius, sed quasi latet inter tot alia egregia facta, quæ Romæ in ejus patria edita, et historiæ prodita sunt.

Ita ad portam Collinam] Dicta est et Quirinalis et Agonalis. Sita erat versus Septemtrionem. Hac Gallos Senones ingressos, et urbem populatos esse, memorant.

[r] *Intra tertium milliarium*] Tria milliaria constituunt Astronomicam leucam: Franciæ communem duo milliaria. Ergo *intra tertium milliarium* significat, intra unam leucam cum media.

vultum[12] præferens; cujus abscisum[1] caput ferri gestarique[2] circa Prænestе Sylla jussit. Tum demum, desperatis rebus suis, C. Marius adolescens per cuniculos,[s] qui miro opere fabricati in diversas agrorum partes ferunt,[3] conatus erumpere, cum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemtus est. Sunt, qui sua manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesini,[4] una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint.[t] Utcunque cecidit, hodieque tanta patris imagine[5] non obscuratur ejus[6] memoria. De quo juvene quid existimaverit Sylla, in promtu est. Occiso enim demum eo, Felicis nomen assumsit: quod quidem usurpasset justissime, si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset.[u] Oppugnationi autem Prænestis ac Marii præfuerat Ofella[7] Lucretius; qui cum ante Marianarum[8] fuisset partium prætor,[9] ad Syllam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sylla perpetua ludorum Circensium[x] honoravit memoriā, qui sub ejus nomine[10] [Syllanæ victoriæ][11] celebrantur.[x]

[s] *Per subterraneos meatus.*

[t] *Sunt, qui scripserint* eum *occubuisse sua manu: sunt, qui manu fratris minoris Telesini, qui simul obsidebatur, et* simul *eruptionem faciebat, cum alter alterum mutuis ictibus confodisset.*

[u] *Si desiisset simul vivere, et vincere.*

[x] *Sylla, ut efficeret perpetuam memoriam fortunati illius diei, quo exercitus Samnitium sub Telesino deletus est, instituit ludos Circenses.*

---

cultum, quod emendavit Ed. Basil.—1 Ita correxit Ruhnken. Ed. pr. *abscissum*.—2 Wopkens. in Lect. Tull. II. 4. *efferri*. Hottinger. *ferri* tanquam glossema damnat. Burmann. *spectarique:* Ruhnken. *ostentarique*. Kraus. conj. *ferro, gestari*.—3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *fuerunt*.—4 Sic ex emend. Duker. ad Liv. Ep. 86. Ed. pr. *Telesino*, unde Ruhnken., abjecto *fratre*, malit *cum minore Telesino*.—5 Ruhnken. conj. *magnitudine*, tanquam ortum ex compendio scribendi *magine*.—6 Cod. *civis*.—7 Ita Ed. Basil. et Cod. in margine, qui in textu *Affella* habet. Ed. pr. *Afella*.—8 Cod. *marinarum*.—9 Ita post *prætor* recte interpungit Ed. pr. Alii post *partium*.—10 Ita Cod. et Ed. pr. Rhenan. *sine e. n.* quod plures Edd. receperunt. Burmann. *quibus sine nomine:* Ed. Clud. *qui sub Idus Nov. nomine*.—11 Hæc uncis inclusa Hotting. tanquam

NOTÆ

[s] *Prætor*] Huic loco mendum subesse Vossius existimat. Nam Ofella anno insequente occisus est, cum consulatum peteret contra Syllæ mandatum. Quippe Sylla legem tulerat, ne quis ante quæsturam prætúramve consulatum gereret. Cujus rei auctorem Appianum habet Vossius: qui

28. Paulo ante quam Sylla ad Sacriportum dimicaret, magnificis præliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud Clusium,[x] Metellus Pius apud Faventiam,[y] M. Lucullus circa Fidentiam.[z] Videbantur finita belli civilis mala, cum Syllæ crudelitate aucta sunt. Quippe dictator creatus [U. c. 673. a. Chr. n. 80.] (cujus honoris usurpatio per annos CXX. intermissa:[c] nam proximus[a] post annum, quam Hannibal Italia excesserat; uti appareat,[12] populum Romanum usum dictatoris[b] haud ita in metu desiderasse, ut in otio timuisse potestatem), imperio, quo priores ad vindicandam[c] maximis periculis rem-

[c] *Quæ dignitas abhinc centum viginti annis usurpata non fuerat.*
[b] *Regimen dictatoris.* [c] *Ad liberandam.*

---

glossema, delenda censet.—12 Totus hic locus, ntut Ruhnkenius eum partim ex sua, partim ex aliorum conjectura refinxit, editus est. Ed. pr. *uti adpareat populum Rho. usum dictatoris aut metu desideras Tullio Co timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia vastierantco immodica crudelitatis licentia usus est.* Rhenan. in ceteris restituendis infelix, correxit tamen *haud*, et *abusi erant*. Ed. Basil. *uti adpareat, populum Romanum usum dictatoris non tam desiderasse, quam timuisse potestatem imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia usus est.* Præter ea, quæ hic Editor Basil. recte vidit, correxerunt Vossius et Gronov. Obss. II. 23. *haud ita;* Heinsius, *in metu;* Ruhnkenius, *ut in otio;* Gronovius, *usi erant;* Davisius ad Cic. Tusc. v. 21. *in* ante *immodicam;* denique Ruhnkenius, *immodicam c. licentiam*: Parenthesin finivit Heins. *Kraus.*—

NOTÆ

idcirco censet legendum esse: *proditer.*

[x] *Ludorum Circensium*] Equestrium. Qui ludi Circenses dicti sunt, non, ut Servius nugatur, ab ensibus in circuitu dispositis: sed quod in Circo exhiberentur.

[a] *Qui sub ejus nomine*] Ita Burrerius in vetere exemplari testatur legi: quod omnino probum est, et habet hunc sensum: Sylla instituit ludos Circenses, qui etiam nunc celebrantur sub nomine hujus victoriæ a Sylla reportatæ.

[y] *Clusium*] *Chiusi*, mediterraneum Tusciæ oppidum.

[y] *Faventiam*] Incolis *Faënza*: nobis *Fayence*: in Ducatu Parmensi.

[z] *Fidentiam*] Urbs Galliæ Togatæ in Lombardia Cispadana: nunc in Ducatu Parmensi contenta, vulgo *Borgo di S. Donnino.*

[a] *Nam proximus*] Id est, nam ultimus, qui dictaturam gesserat, electus fuerat post annum, quam Hannibal ex Italia decesserat. Quæ porro consequuntur, et corruptissima sunt, cum Lipsio sic restituimus: *Ut appareat populum Romanum usum dictatoris non tam desiderasse, quam timuisse, potestate imperii* (dictatorii), *quo priores* (dictatores) *ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia abusus est.*

publicam usi erant, eo in immodicam crudelitatis licentiam usus est. Primus ille (et utinam ultimus!) exemplum proscriptionis invenit, ut, in qua civitate petulantis convicii judicium histrioni[1 b] exacto[2 c] redditur, in ea jugulati civis Romani[3] constitueretur auctoramentum;[d] plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret præmium; fieretque quisque merces mortis suæ. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes sævitum. Adjectum etiam, ut bona proscriptorum venirent: exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et jura perderent.

29. Sub adventum in Italiam L. Syllæ, Cn. Pompeius, ejus Cn. Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu[4] gessisse bello Marsico prædiximus, XXIII. annos natus, abhinc annos CXIII. privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata executus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis [ejus][5] clientelis refertus erat, contraxit exercitum. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet.[e] Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis sena-

[d] Ita *ut auctoritate publica statueretur præmium ob interfectum civem in ea civitate, in qua judicium redditur histrioni abjectissimo, ob contumeliam petulantiorem.*

[e] *Ad defendendum restituendumque honorem patriæ conscripsit validum exercitum ex agro Piceno, qui totus plenus erat clientium sui patris. Cujus viri meritum ingens postulat, ut laudetur multis voluminibus: sed ratio* quam mihi præscripsi *in hoc opere, vult paucis dici de illo.*

1 Cod. *historiarum*: Ed. pr. *historiarium*. Correxit Ed. Basil.—2 Cod. et Ed. pr. *ex alto*, quod Ed. Basil. in *exoleto* corrigit. *exacto* debetur Ruhnkenio.—3 Putean. post *Romani* leg. *publice*. Ed. pr. *Reip.* Hottingero Mus. Tur. placebat, *jugulati civis publice constitueretur auctoramentum*, sc. cædis.—4 Ita Cod. Ed.

NOTÆ

[b] *Judicium histrioni*] Significatur, aures a judicibus histrioni etiam abjectissimo Romæ præberi, et cives qualescumque castigari, quos histrionem aliqua petulantiore contumelia notasse constaret.

[c] *Exacto*] Alii legunt, *exoleto*, quo epitheto contemtius, ac turpius nihil histrioni tribui potest. Histrionem notat effœtum, et ad libidines jam inutilem factum.

tenue, forma excellens, non ea, qua flos commendatur ætatis, sed ea[c] dignitate[d] et constantia, quæ in illam conveniens amplitudinem fortunamque ejus,[7] ad ultimum vitæ comitata est[d] diem: innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius,[e] potentiæ, quæ honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus;[f] dux belli[8] peritissimus; civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda[9][g] gratia fidelissimus,[e] in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua nunquam, aut raro, ad impotentiam usus; pæne omnium vitiorum[10] expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera, dominaque gentium, indignari, cum omnes cives jure haberet pares, quenquam æqualem dignitate conspicere. Hic a toga virili assuetus commilitio[f] prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia coluerat,[h][11] ut a

[c] *Excellens pulchritudine, non ea, qua solet laudari juventus, sed quæ virilis est; quæ respondens amplitudini, ad quam* destinabatur, *comitata est*, &c.

[e] *Eloquentia mediocris.*

[f] *Non ita* tamen *cupidus, ut vellet illam vi usurpare.*

[e] *In acceptis injuriis facile placabilis.*

[h] *Hic, ex quo induisset virilem togam, assuetus bello, ad quod profectus erat cum patre suo, qui dux erat prudentissimus, excoluit*, &c.

---

pr. *in Senatu*.—5 *Ejus* ejiciendum putat Herel.—6 Ita correxit Burm. Ed. pr. *ex dignitate constantiaque in illam*, &c. *Et* ante *constant*. restituerunt Gruner. et Ruhnken. *quæ* autem Ed. Basil. Al. *ex digu. constanti*.—7 Lips. et al. prob. Ruhnken. distinguunt post *fortunamque*, et *eum* pro *ejus* legunt; mox *ultimam multæ* Edd.—8 Ed. pr. *bello*.—9 Lipsius conj. *reconciliata* prob. Ruhnken.—10 Ita correxit Ald. Nep. Ed. pr. *votorum*.—11 Cod. *prudentia celerior, ita ut a Sertorio*. Ed. pr. *prudentiæ celeriora, et a Sertorio*. Ed. Basil. *prudentia excoluit, ut a S.* Gruner. *coluerat*. Heinsius et Ruhnkenius, *excoluerat*.—

NOTÆ

[d] *Sed ea dignitate*] Dignitas hic sumitur pro virili pulchritudine. De qua Cicero Offic. lib. I. 'Pulchritudinis duo genera sunt: unum muliebre, quam venustatem appellamus: alterum virile, quam dignitatem dicimus.'

[g] *In reconcilianda*] Nimirum inter alios, ubi fide potissimum opus est. Ita Vossius. Quanquam Lipsius vult legi *in reconciliata gratia*: quia ibi fides locum habet, quemadmodum facilitas in reconcilianda: quæ ratio mihi magis placet.

[f] *Commilitio*] Commilitium dicitur ipsa belli societas. Apud Apuleium legitur commilitia, fœminini generis.

Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

30. *** [12] Tum M. Perperna prætorius, e proscriptis,[1] gentis clarioris, quam animi, Sertorium inter cœnam Oscæ[2 f] interemit [U. c. 682. a. Chr. n. 71.], Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore.[i] Metellus et Pompeius ex Hispaniis[3] triumphaverunt [U. c. 683. a. Chr. n. 70.]: sed Pompeius, hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus,[h] ante diem, quam consulatum iniret, curru Urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summum fastigium evectum,[4] iniquo tulisse animo, C. Cæsaris,[5] in altero consulatu petendo, senatum populumque Romanum rationem habere? Adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; et invidiam rerum[l] non ad causam, sed ad vo-

[1] *Tum M. Perperna, qui prætor fuerat, e numero proscriptorum, genere quam animo nobilior, interfecit Oscæ Sertorium in media cœna; atque hoc pessimo facinore auctor fuit Romanis certæ victoriæ, suis partibus excidii, sibi turpissimæ mortis.*

12 Deesse plurima h. l. mihi videbantur, scil. de Sortorio, ejusque ingenio, de conatu in Hispania novum imperium condendi, denique de rebus ipsis belli Sertoriani, de summa belli in Metelli fraudem Pompeio mandata, quæ omnia pro indole et more Velleii expectanda erant lectori, quibusque præteritis sequentia obscuritate laborant. *Kraus.*—1 Herel. *unus e p.*—2 Ita emend. Putean. Ed. pr. *Etoscæ.*—3 Ed. pr. *Hispanis.*—4 Sic correxit Heins. prob. Ruhnken. Ed. pr. *vectum.*—5 *Absentis* excidisse post *Cæsaris* putat

NOTÆ

f *Oscæ*] Ita lege cum Cl. Puteano: nomen haud dubie ejus loci, ubi Sertorius occisus est. Alii corrupte *Etoscæ*. Osca porro urbs Hispaniæ est, nunc *Huesca* in Aragonia, quæ inter plures alias, occiso Sertorio, in potestatem Romanorum venit. Ita Florus III. 22.

h *Adhuc eques Romanus*] Id ipsum Cicero pro lege Manil. observavit. Pompeius, Sicilia recuperata, Africa tota subacta, Magnique nomine inde capto, eques Romanus (id quod nemo ante) curru triumphali revectus est.

i *Invidiam rerum*] Obscura sententia, cujus sensus adhuc obscurior est. Ecce conjecturam meam. Adeo hominibus, præsertim ambitiosis, familiare est, odium, quod incurri potest ex rebus quæ fiunt, non referre ad causam propter quam fiunt, et inde negotia æstimare; sed ad voluntatem eorum, a quibus fiunt; et ad personas, quarum causa fiunt. Scilicet, cum alteri invidemus, et ambitiosi sumus (si quid ejus causa fieri contingat) id ægre ferimus illico, et sine causa factum dicimus; sed duntaxat

luntatem personasque dirigere. Hoc consulatu Pompeius tribuniciam potestatem restituit [U. c. 684. a. Chr. n. 69.], cujus Sylla imaginem sine re[6 k] reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, LXIV.[1] fugitivi[7] e ludo gladiatorio[m] Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium[n] montem petiere; mox crescente in dies multitudine, gravibus variisque cladibus[8] affecere Italiam. Quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie, XC. millia[9] hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox Romani nominis[10] principem.[k o]

31. Converterat Cn. Pompeii persona totum in se terrarum orbem, et per omnia[p] homine major existimabatur.[11]

[k] *Hujus confecti belli laus debetur M. Crasso, qui mox primus fuit omnium Romanorum.*

Kraus.—6 Ed. Basil. probantibus Acidalio, Ursino, Vossio, Burmanno ad Ovid. Met. III. 417. et recipiente Ruhnkenio. Ed. pr. *in jure.* Dionys. Vossius: *sine jure;* Heinsius: *sine vi.*—7 *Fugitivi* suspectum Grutero ob insequens *profugientes.* Herelius propter insequens *profugientes* tentat: *servi publici.* Equidem mox maluerim *prorumpentes,* ex Flor. III. 20. 3. *Kraus.*—8 Sic legendum esse vidit Duker. ad Flor. II. 18. 2. probante Ruhnkenio. Ed. pr. *casibus.*—9 Ita Voss. Ed. pr. *XL. a CCC.* Ed. Basil. *XL. M.*—10 Lectio hæc debetur Ruhnkenio. Ed. pr. *Reip. omnium p.* Ed. Basil. *Romanorum omnium p.* Pontan. Elect. I. 6. *Romani nom. mox futurum p.*—11 Sic ex ejusdem

NOTÆ

aliorum studio erga eum, cujus causa factum est.

[k] *Sine re*] Aliis eodem sensu legitur, *sine jure.*

[l] *Sexaginta quatuor*] Hic inter se valde pugnant historici. Quorum discrepantes sententias scire qui volet, adeat Freinshemium ad Flor. III. 20.

[m] *E ludo gladiatorio*] Id est, e loco, ubi gladiatores exercebantur. Sic dicimus Ludum palæstræ, Ludum pilæ, Ludum literarium, pro loco, ubi hujusmodi rebus exercemur, et instruimur. Inde Ludum aperire, Ludi magister, &c.

[n] *Vesuvium*] Mons est Campaniæ ultra Neapolim, Nolæ vicinus: vulgo, *Monte di somma;* ignium eruptione, atque Plinii naturalis historiæ scriptoris interitu, clarus.

[o] *Mox Romani nominis principem*] Alii *Romanorum omnium principem:* Lipsius delet, *omnium:* quia nec Cæsar nec Pompeius Crasso concedebant. Quare reponit *opibus:* ut sensus sit, Crassum ex Romanis fuisse ditissimum. Qui sensus optimus est. Verum ista mutatione quid opus est? Annon princeps Romanorum rectissime dicitur, non qui solus supra ceteros eminet, sed qui inter eminentissimos Romanorum, id est, inter Reipublicæ principes numeratur?

[p] *Et per omnia*] Hic locus duplici modo emendatur. Acidalius legit: *et per omnia major evehebatur.* Alii

Qui cum consul perquam laudabiliter jurasset, se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum,[l] idque servasset; post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit [U. c. 687. a. Chr. n. 66.], ut, cum belli more, non latrociniorum, orbem[q] classibus,[12] jam non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdamque etiam Italiæ urbes diripuissent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari.[m] Quo senatus consulto[13 r] pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium[1] in M. Antonio prætore[2 s] decretum erat. Sed interdum persona,[t] ut exemplo nocet,[3] ita invidiam auget, aut levat. Id[4] in Antonio homines æquo animo passi erant. Raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contra in iis

[l] *Se post eum magistratum non accepturum ullam præfecturam provinciæ.*
[m] *Usque ad quinque et viginti leucas a mari.*

Ruhnken. correctione editum est. Ed. pr. *per omnia majore vi habebatur*: Ed. Basil. *pene homine major* habebatur: Acidal. *major ævi*: Heins. *major cive*: Jacobs. in Præf. Vers. Vell. vernaculæ, p. 31. *major mortali habebatur*.—12 Ita distinguit Ed. pr. item Rhenan. Lips. Burm. et Ed. Bipont. alii post *jam*.—13 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Quo senatus Cos*.—1 *Septennium* malit Kraus.—2 Ita corrig. Jo. Boher. ad Cic. Tusc. v. 21. Ed. pr. *M. Antonii prætura*.—3 Post *nocet* excidisse aliquid censet Kraus. cui respondeat *aut levat*: sc. *aut minus nocet*, vel simile quid.—4 *Id* inserendum putavit Ruhnken. quod abest ab Ed. pr. Heins. jam volebat *in A. id*.—

NOTÆ

vero: *et pene homine major habebatur*; sensu utrimque bono.

[q] *Orbem*] Id est, omnes maris oras.

[r] *Quo Senatus consulto*] Aliqui cum Cujacio pro S. C. reponunt P. S. id est, Plebiscito; quia Gabinio legem ferente, eam a populo scitam esse constat. Ne tamen id mutes. Nam etsi illud Plebiscitum fuerit; cum tamen a Senatu, licet invito, comprobatum sit, idcirco Senatus consulti nomen obtinere potest.

[s] *In M. Antonio prætore*] Missus fuerat adversus Cretenses, a quibus, etsi male gestis rebus, Cretici nomen retulit. Idem fuit Antonii Triumviri pater.

[t] *Sed interdum persona*] Lipsius censet legendum esse: *sed interdum persona, ut exempla docent, aut invidiam auget, aut levat*. Sensus autem est: Sæpe in eadem re, aut in eadem culpa, invidiam majorem minoremve esse pro persona magis quam pro merito. Contra Grutero mihique vulgata lectio magis probatur: et vero sensus est: Quemadmodum alia atque alia persona minus magisve exemplo suo nocet; sic quoque interdum unam eandemque rem huic vel illi majorem

homines extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri aut retenturi videntur, et modum in voluntate habent.[n] Dissuadebant optimates;[o] sed consilia impetu victa sunt.

32. Digna est memoria Q. Catuli cum auctoritas, tum verecundia: qui cum, dissuadens legem, in concione dixisset, esse quidem præclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium jam liberæ[5] reipublicæ,[p] neque omnia in uno reponenda: adjecissetque: 'Si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis?' succlamavit universa concio: 'Te, Q. Catule.' Tum ille victus consensu omnium, et tam honorifico civitatis testimonio, e concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi justitiam, mirari libet: hujus, quod non ultra contendit; plebis, quod dissuadentem et adversarium voluntatis suæ vero testimonio fraudare[q] noluit. Per idem tempus [U. c. 684. a. Chr. n. 69.] Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est. Et Otho Roscius[6] [r] lege sua equitibus in theatro loca restituit. [U. c. 687. a. Chr. n. 66.] At Cn. Pompeius, multis et præclaris viris in id bellum assumtis, descriptoque in omnes recessus maris

[n] *Et qui solum reguntur sua voluntate.*
[o] *Sed nimis potentem, ut in libera republica.* [p] *Vero elogio privare.*

5 Ita Rhenan. Cod. *n. j. libera erat:* Ed. pr. *nim. j. liber are.*—6 *Et* a Burerio est, *Otho Roscius* a Puteano. Cod. et Ed. pr. *ut Horoscius:* Burerius, *et*

NOTÆ

minoremve invidiam creare.

[n] *Dissuadebant optimates*] Ne scilicet hoc imperium Pompeio decerneretur.

[r] *Et Otho Roscius lege sua*] Insignis est admodum Roscia lex theatralis: qua Roscius edixit primus, ut in theatro sua quoque loca equites haberent in quatuordecim primis ab orchestra gradibus. Si hoc sit, dicet aliquis, cur Velleius scripsit *restituit*? Cur idem Cicero docet in Orat. pro Mur. ubi bis repetit L. Othonem hac lege equestri ordini restituisse non solum dignitatem, sed etiam voluptatem? Huic difficultati Boeclerus respondet, *restituere* apud Velleium dici absolute pro *constituere*, quemadmodum *remittere* dicitur apud illum pro *permittere*. Vide supra cap. 30. Addo ipsa equitum loca dicta equestria.

præsidio naviam,[y] brevi,[y] inexsuperabili manu, terrarum orbem liberavit, prædonesque per multa[7] ***a multis locis victos, circa Ciliciam[z] classe aggressus fudit ac fugavit. Et quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque[8] mari loco, in certa sede constituit. Sunt, qui hoc carpant. Sed quanquam[a] in auctore satis rationis est, tamen[9] ratio quemlibet magnum auctorem faceret. Data enim facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit.

33. Cum esset in fine bellum Mithridaticum,[10] [cum][11] et L. Lucullus, qui ante septem annos ex consulatu[12] [U. c. 681. a. Chr. n. 72.] sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatem sæpe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem, regum maximum, in Armenia vicerat, ultimamque bello manum pæne magis noluerat imponere, quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, et bello pæne invictus, pecuniæ expugnabatur[1][b] cupidine, idem bellum adhuc administraret; Manilius tribunus plebis, semper venalis, et alienæ minister potentiæ, legem tulit [U. c. 688. a. Chr. n. 65.], ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque cer-

[7] *Et distributis navibus in omnes recessus maris ad* eorum *præsidium.*

Horoscius: Ed. Bas. *ut Roscius.*—7 *Maria*, cujus ultima litera relicta in Codice fuerit, excidisse Ed. Bipont. conjecit, quod Krausio placet. Cod. et Edit. pr. *per multa a multis locis*: Ed. Basil. *per multa prælia.*—8 Intrusit Ed. Basil. præpositionem *a* ante *mari.*—9 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *tum.*—10 Ita Laur. Santenius, referente Ruhnkenio. Ed. pr. *piraticum.*—11 *Cum* ex præcedente syllaba ortum expunxit Ed. Basil.—12 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *ex Cos.* Heins. *ex consule.*—1 Ita ex conjectura Burmann. Ed. pr. *expellèbatur.* Ruhnken.

NOTÆ

[y] *Brevi*] Quadraginta diebus, ac ne unius quidem navis jactura, teste Floro.

[z] *Ciliciam*] In Asia minori: nunc Caramania propria dicitur, vulgo *la Caramanie*, Syriæ ab ortu proxima, et longissimo tractu inter Taurum montem et Cilicium mare porrecta.

[a] *Sed quanquam*] Sensus est: Sed quanquam satis est rationis in auctore hujus facti: inest tamen ipsi facto ea ratio, quæ magnum facere nomen posset cuilibet, qui illius auctor esset.

[b] *Expugnabatur*] Omnium optime Lipsius legit, *debellabatur*, id est, superabatur.

tatum inter imperatores jurgiis: cum Pompeius Lucullo infamiam[c] pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem objiceret imperii, neuterque [ab eo, quod arguebatur,][2 d] mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, ut primum ad[3] rempublicam aggressus est,[r] quenquam æquo[4] animo parem tulit: et in quibus rebus primus esse[5] debebat, solus esse cupiebat. Neque eo viro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit. In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: [ut[6]] qui eos, ut libentissimo[7] iniret, ita finiret æquo animo; et quod cupisset, arbitrio suo sumeret,[s 8] alieno deponeret. Et[9] Lucullus, summus alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis, convictibusque, et apparatibus luxuriæ primus auctor fuit.[t] Quem ob injectas moles mari,[u] et receptum suffossis monti-

[r] *Simul atque capit attingere negotia reipublicæ.*

[s] *In* iisdem *administrandis moderatissimus; et qui eos ut sumebat libentissime, ita dimittebat non invitus. Et* qui *aliorum judicio relinquebat, quod arbitrio suo voluisset sumere.*

[t] *Primus fuit auctor immodicæ profusionis, quæ nunc est, in ædificiis, et conviviis, et magnificis ornatibus.*

---

exercebatur.—2 Cum Grutero hæc, ad Codicis fidem expressa, pro glossemate habens uncis circumscripsit Kraus. Ed. pr. *ne uterque ab eo quod arguebatur:* Ed. Basil. *neuterque ab eo, quo arguebatur:* Acidalius, *neuterque adeo, quod arguebat, ut mentitus, &c.* quod probat Lipsius, ejecto *ut:* Heinsius, *neuterque eo, &c.* Burmannus, *ab altero:* Munkerus, *n. ab eo, qui arguebat:* Ortuinus, *in eo;* cetera, ut Ed. Basil. Ruhnkenius, qui tamen Grutero accedit, *n. ab eo, quem arguebat.*—3 *Ad* in Cod. erat; abest ab Ed. pr.—4 *Æquo* ex Lipsii conjectura, a Ruhnkenio probata, receptum: abest ab Ed. pr.—5 Ruhnken. conjecit *primum esse decebat.*—6 *Ut,* ex præcedente *us* natum, ejiciendum putavit Kraus.—7 Ita Acidal. Ed. pr. *libentissime.*—8 Sic idem Acidalius correxit et distinxit. Ed. pr. *quod cupisset arbitrio suo sumere.*—9 *Et* abjecit Ed. Basil. Acidalius et Heinsius *at.*—10 Ita Rhenan. Ed. pr.

NOTÆ

[c] *Infamiam*] Lipsius legit *infamem*, et hoc refert ad *cupiditatem*.

[d] *Quod arguebatur*] Vide, inquit Lipsius, num verius, certe clarius: *neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui posset*; id est, neuter falsus convinci arguique posset in eo quod arguebat. Adeo veram alter alteri culpam objiciebat. Verum Gruterus miratur doctissimos viros hic implicari circa glossam: aitque nihil vero similius esse quam Velleium scripsisse duntaxat, *neuterque mentitus argui posset:* additum esse deinde ab imperito scriba, *ab eo quod arguebatur*.

[u] *Moles mari*] Significantur opera, et ædificia lapidea, sive aggeres, quibus mare coërcetur, atque excluditur.

bus in terras mare, haud infacete[10] Magnus Pompeius Xerxen togatum[f] vocare assueverat.

34. Per id tempus [U. c. 687. a. Chr. n. 66.] a Q. Metello Creta insula[g] in populi Romani potestatem redacta est. Quæ, ducibus Panare et Lasthene, XXIV. millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne[11] ab hujus quidem usura gloriæ temperavit animum Cn. Pompeius, quin[12] victoriæ partem conaretur vindicare. Sed et Luculli et Metelli triumphum [U. c. 692. a. Chr. n. 61.], cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem.[x] Per hæc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ,[h] et, ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui[1] effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, consul, Sergii Catilinæ, Lentulique, et Cethegi, et aliorum utriusque[2] ordinis virorum conjurationem singulari virtute,

[x] *Pompeius tenere se non potuit, quin vellet etiam frui hac gloria, conando sibi attribuere partem victoriæ. Sed optimus quisque probavit triumphum et Luculli, et Metelli, cum propter ipsorum singularem fortitudinem, tum etiam propter invidiam Pompeii.*

---

haud infectæ.—11 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *ab hujus quidem usuræ gloria.* Rhenanus, *ab hujus quidem usura gloriæ vix temperavit.*—12 Sic ex emend. ejusdem Ed. Basil. Ed. pr. *qui victoriæ.*—1 Oudendorp. in margine libri sui, *quique*, referente Ruhnkenio.—2 Ita Ed. pr. Cod. *utrius.*—3 Ita Ed. Basil.

NOTÆ

[f] *Xerxem togatum*] Id est, Romanorum; a toga, quoniam erat propria Romanorum; ut pallium Græcorum. De Xerxe Persarum rege, filio Darii, et Cyri nepote, vide Justinum. Asiam Europæ ponte conjunxerat: Athon præterea montem a continente abciderat.

[g] *Creta insula*] Insularum Græco littori objacentium maxima. *Candia* nunc a Metropoli vocatur. A Venetis abhinc sex annis in Turcarum dominium transiit.

[h] *Vir novitatis nobilissimæ*] Id est, vir novus, sed novitate quam reddidit nobilissimam. Novitas autem nobilitatem inter et ignobilitatem veluti interjecta est: et novus vocatur, qui ex se, suaque virtute, non majorum gloria, inclaruit; sive, teste Asconio, qui primus e sua gente honores adeptus est. Ergo qui majorum suorum habebant imagines, hi nobiles: qui suas tantum, hi novi: qui neque majorum, neque suas, hi demum ignobiles appellabantur.

constantia, vigilia, curaque aperuit.[1] Catilina metu consularis imperii[4] Urbe pulsus est: Lentulus consularis et prætor iterum, Cethegusque, et alii clari nominis viri, auctore senatu, jussu consulis, in carcere necati sunt.

35. Ille senatus dies, [quo hæc acta sunt,][5] virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque prænitentem, altissime illuminavit.[6] Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo Virtuti[7] simillimus,[k] et per omnia ingenio Diis, quam hominibus, propior: qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat,[8] cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam;[9] omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Hic tribunus plebis designatus, et[10] adhuc admodum adolescens, cum alii suaderent, ut per municipia Lentulus conjuratique custodirentur, pæne inter ultimos interrogatus[11] sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem, ita[12] ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium, socie-

[a] *Quo die hæc acta sunt in Senatu, virtus M. Catonis, jam cognita in multis rebus, atque valde illustris, plurimum splenduit.*

---

eumque secuti Boecler. Gruner. et Ruhnken. Ed. pr. *eripuit*, quod tuentur Manut. et Heinsius, qui vero conjecit *conjurationi remp. &c.* Lipsius, et cum eo Voss. *eruit*.—4 Cod. et Ed. pr. *imperi*.—5 Hæc ex Grammatici interpretatione in textum irrepsisse putat Ruhnken.—6 Ita ex Rhenan. conjectura, probantibus Gruter. Boecler. Ruhnken. Voss. et Lipsio. Ed. pr. *in altissimo luminavit*, quod tuentur Boxhorn. Manut. et al. Burmann. conjecit, *in altissimo lumine locavit*: Clud. *in clarissimo lumine monstravit*, s. *collocavit*.—7 Cod. *non virtuti*: Heins. *solum* excidisse putavit absorptum a *simillimus*, et conjecit, *Homo non virtute ei* (sc. proavo) *solum simillimus, sed per, &c.*—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *potuerat*.—9 Ed. pr. *justitiæ*: correxit idem Ed. Basil.—10 Cod. *designatus est*: Ed. pr. omisit *est*, quod Voss. in *et* mutavit.—11 Herel. malit *rogatus*.—12 Ed. pr. *et ardore...fecit*: Ed. Basil. *ut...fecerit*, quod in Edd. propagatum est. Jacobs. in Præf. Vers. Velleii vernaculæ p. 31. sq. conjecit, *eo ardore*. Putavi legendum, *ita ardore*, ut tria effecta orationis Catonis respondeant tribus quæ egerit dicendo. Herelius, *ut ardore oris omnem lenitatem societate consilio-*

NOTÆ

[1] *Aperuit*] Vulgo *eripuit*: at male; nam hoc Cicero ipse passim in sua laude ponit, quod conjurationem retexerit, in lucem produxerit, vindicandam comprimendamque Senatui præbuerit. Hujus conjurationis seriem e Sallustio repete in Bell. Catilin.

[k] *Homo Virtuti simillimus*] Id est, homo tantæ virtutis, ut ipsa virtus haberi posset.

tate consilii suspectam fecit;[y] sic impendentia ex ruinis incendiisque Urbis et commutatione status publici pericula exposuit; ita consulis[1] virtutem amplificavit: ut universus senatus in ejus sententiam transiret; animadvertendumque in eos, quos prædiximus, censeret; majorque pars ordinis ejus Ciceronem[2] prosequerentur domum. At Catilina non segnius conata[3] [1] obiit, quam sceleris conandi consilia inierat. Quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, prælio[4] reddidit.

36. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus natus eo anno [U. c. 691. a. Chr. n. 62.] Divus Augustus,[m] abhinc annos LXXXXII.,[5] omnibus omnium gentium viris magnitudine[6] sua inducturus caliginem.[z] Jam pæne supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos[7] gradibus ætatis[a] floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium; anteaque[8] *** Crassum,[n] Cottam,[9] [o] Sulpicium; moxque Brutum, Ca-

[y] *Ut ardore vultus in suspicionem adduxerit*, tanquam *participes* ejusdem *consilii, eos qui sua oratione lenitatem suadebant.*

[z] *Obscuraturus magnitudine sua omnes omnium gentium viros.*

[a] *Separatos ætate* quasi *gradibus.*

---

rum, &c. Kraus.—1 Ed. pr. *consilii*, et ita Rhenan. probante Voss. Cod. *consilis*, unde Ed. Basil. *consulis*.—2 Ita correxit Hottinger. in Musc. Turic. Vulg. *Catonem*.—3 Ita Acidal. probantibus Gruter. et Heins. recipiente Ruhnken. Cod. *nota*: Ed. pr. *vota*; quod tuetur Voss. Lips. conj. *mota*: Aldus *mortem*: Boxhorn. *fata*.—4 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *supplicio*.—5 Ita correxit Ald. Nep. Ed. pr. *LXXXII*.—6 Herel. *claritudine*.—7 Cod. *direptos*: Ed. pr. *diremptos*.—8 Ita Heins. Ed. pr. *saneque*, ex quo Ed. Basil. *senemque*: Lips. *unaque*: Ald. Nep. Manut. et Burmann. deesse nomen oratoris suspicabantur, sc. *Antonium*, s. *Cæsaremque Strabonem*.—9 Ed. pr. *Catonem*.—10 Ed.

NOTÆ

[1] *Conata*] Vulgo, *nota*; sed rectius *vota*: id est, quæ voverat, ac destinaverat; forte etiam, *mota*, (quod notavit Lipsius,) ut sensus sit; non segnius peragere a se mota voluit, quam ea movere cœperat: utrobique audax, in ordiendo, et in exequendo.

[m] *Natus eo anno*] Hic fuit U. C. 693. Ant. Chr. 66. *Divus Augustus*] Octavius Cæsar.

[n] *Anteaque Crassum*] *Unaque* legendum puto cum Lipsio; non, ut alii legunt, *senemque Crassum*. Sensus est: hac ipsa ætate floruerunt pariter in eloquentia Crassus, Cato, &c. Crassum autem illum Divitem intelligit, quem et Cicero eo nomine laudat, et Plutarchus inter Romanos eloquentissimum fuisse dicit.

[o] *Cottam*] Alii legunt *Catonem*, sc. Uticensem.

lidium, Cœlium,[10] Calvum, et proximum Ciceroni Cæsarem; eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asinium, æmulumque Thucydidis Sallustium:[p] auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in susceptī[11] operis [sui] forma minorem Catullum.[12] Pæne stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent princeps[1] carminum Virgilius,[2] Rabiriusque,[3] et consecutus Sallustium Livius,[3 q] Tibullusque et Naso, perfectissimi[4] in forma operis sui. Nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

37. Dum hæc in Urbe, Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires reparaverat,[5] bellum gessit. At[6] rex fusus fugatusque, et omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque socium[7 r] petit, regem ejus tempo-

[b] *Pæne stultitiæ est enumerare* singulos præstantis *ingenii* homines, *quos adhuc cernimus: inter quos præstantissimi nostri temporis sunt, Virgilius, &c.*

---

pr. *Cælium.*—11 Ed. pr. *in suspecti operis sui carmine. Suspecti*, quod Acidal. et Voss. dictum esse volunt pro *suspiciendi*, Lipsius mutavit in *suscepti*. Pro *operis carmine* Markland. Epist. Crit. p. 12. dedit *operis forma.* Utraque emendatio probata et firmata a Ruhnken. *Sui* redundare primus vidit Heins. —12 Ed. pr. *Catulum.*—1 Ita Cod. Ed. pr. *principes.*—2 Putean. et Markland. l. l. p. 14. *Variusque*, Perizon. Epist. 2. ad Heins. *Horatiusque.*—3 Burmann. conj. *consec. Gallum Tibullus, Propertiusque.*—4 Ita correxit Ed. Basil. Ed. pr. *perfectissime.*—5 Ruhnken. mavult *paraverat.*—6 Ita Cod. Ed. pr.

NOTÆ

[p] *Æmulumque Thucydidis Sallustium*] Id est, et Sallustium, qui Thucydidem imitandum sibi proposuit. Singuli porro Scriptores, qui hic enumerantur, Latini sunt præter Thucydidem, Historicum Græcum, Atheniensem. Cujus stylus adeo Demostheni placuit, ut ejus librum octies sua manu descripserit, ac totum fere edidicerit.

[q] *Et consecutus Sallustium Livius*] Hæc verba e suo loco translata in alienum Manutio videntur. Quid enim Poëtis interponatur, historiarum scriptor, Livius? At non item mihi videntur; neque videbuntur etiam aliis, modo sic intelligantur: pæne stulta est, inhærentium oculis, ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent, poëtæ quidem, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, Tibullusque, et Naso, &c. Historicus vero, qui Sallustium consecutus est, Livius. Ubi *consecutus* accipio pro *imitatus.* Nam Sallustio longe inferior fuit Livius: immo tantum non ævi Velleiani. Quippe obiit, Eusebio teste, quarto imperii Tiberiani anno.

[r] *Socium*] Cum aliis lege *generum*, aut, *socer ejus.*

ris, nisi qua[8] Luculli armis erat infractus,[9] potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad Pompeium; mox ipse supplex et præsens[9] se regnumque ditioni ejus permisit, præfatus, neminem alium, neque Romanum, neque ullius gentis virum futurum fuisse, cujus se potestati[10] † commissurus foret, quam Cn. Pompeium: proinde omnem sibi, vel adversam, vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram: non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas: neque ei[11] inhoneste aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset. Servatus regi honos imperii, sed mulctato ingenti pecunia: quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta ad quæstorem,[12] ac publicis descripta literis.[t] Syria, aliæque, quas occupaverat,[1] provinciæ ereptæ; et[2] aliæ restitutæ populo Romano, aliæ tum primum in ejus potestatem redactæ, ut Syria, quæ facta est stipendiaria. Finis imperii regii[3] terminatus Armenia.[u]

38. Haud absurdum videtur propositi operis regulæ, paucis percurrere, quæ, cujusque ductu, gens ac natio, redacta in formulam provinciæ,[x] stipendiaria facta sit.[4,y] Id[5] notavi-

---

Ac.—7 Ita Herel. Ed. pr. *socerum*: Ald. Nep. *generum*.—8 Ita Gruter. Ed. pr. *quia*.—9 Herel. *parens*, ex II. 23.—10 Ita Ald. Nep. a quo recepit Ruhnken. Ed. pr. *societati*: Ed. Basil. *fidei*.—11 Ita Rhenan. Deest *ei* in Ed. pr.—12 Ita ex emend. Ruhnken. Ed. pr. *in quæstoris potestatem*.—1 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *occupaverant*.—2 Ruhnken. conj. *ereptæ ei; aliæ*, &c.—3 Sic Heins. Ed. pr. *regi*: Ed. Basil. *regis*.—4 Ita ex Lips. correctione. Ed. pr. *stipendia pacta sit*.—5 *Id* a Popma est restitutum.—6 Ita Ed. pr. Rhenan.

NOTÆ

[8] *Erat infractus*] Id est, perdomitus.

† *Cujus se potestati*] Manutius vult legi, *fidei*: quod Latinæ linguæ puritas exigit.

[t] *Ac publicis descripta literis*] Publicas literas dicimus Gallice, *Registres*. Sic publicis literis describere significat, *enregîtrer*.

[u] *Armenia*] Asiæ regio inter Taurum et Caucasum montes, a Cappadocia ad Caspium usque mare protensa est: Euphrate in majorem et minorem divisa. Major hodie dicitur *Turcomanie* et *Curdistan*. Minor, *Aladuli*. Ambæ Turcis parent.

[x] *Redacta in formulam provinciæ*] In formulam provinciæ redigere nihil erat aliud, quam patriam libertatem et domesticas leges adimere: Romanas autem dare, ac prætorem, qui ex datis legibus provinciam administraret, instituere.

mus,[6] ut[7] facilius,[z] quam[8] partibus, simul universa conspici possint. Primus in Siciliam[a] trajecit exercitum consul Claudius [U. c. 490. a. Chr. n. 263.], et provinciam eam, post annos ferme LII., captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. [U. c. 498. a. Chr. n. 255.] Primus (in)[9] Africam[b] Regulus, nono ferme anno primi Punici belli. Sed post CX.[10] annos P. Scipio Æmilianus, eruta Carthagine, abhinc annos CLXXV.,[11] Africam in formulam redegit provinciæ. [U. c. 608. a. Chr. n. 145.] Sardinia[c] inter primum et secundum bellum Punicum, ductu T. Manlii consulis, certum[d] recepit imperii jugum. [U. c. 519. a. Chr. n. 234.] Immane bellicæ civitatis[e] argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertium[12] Augusto principe, [cer-

---

notabimus, et ita Ruhnken.—7 Rhenan. h. l. reposuit *ut*. Ed. pr. *notav. fac. ut quæ p. &c.* Alterum *ut* extritum erat, alterum ortum ex præcedente syllaba *us*. —8 *Quam* dedit Ed. Basil. Ed. pr. *quæ*.—9 *In* Ed. Basil. et Heins. insèri voluerunt.—10 Sic correxit Gruner. Ed. pr. *CCIIII*. Ed. Bipont. *CIX*.— 11 Ed. pr. *CLXXXII*. Lips. *CLXXV*. restituit.—12 Ed. pr. *III*. Thysius

NOTÆ

[z] *Stipendiaria facta sit*] Non enim, quod bene Lipsius observat, gentes victæ pacisci cum Roma victrice de stipendiis solebant, immo vero ipsa superbe imponebat.

[z] *Notavimus, ut facilius*] In hunc locum duas profero lectiones: alteram Vossii: *Id notabimus, facilius ut, quam partibus, simul universa conspici possint*: alteram Acidalii: *Ut, quæ partibus notabimus, facilius simul universa conspici possint*.

[a] *Primus in Siciliam*] Schegkius Velleium gemini erroris arguit. Nam 1. non a Marcello, sed a M. Valerio Lævino Sicilia provincia facta est. 2. Provincia facta est iisdem temporibus, quibus Sardinia. Ita Solinus et Pomponius de Orig. Juris. Accuratam factarum provinciarum historiam habes apud Sigonium.

[b] *Primus Africam*] Intravit.

[c] *Sardinia*] Italiæ insula, *La Sardaigne*: olim titulo regio insignita; nunc ab Hispano prorege regitur. Insulæ caput est Calaris, *Cagliari*.

[d] *Certum*] Id est, firmum ac perpetuum. Quomodo dicitur apud Martialem, 'Gaudeat et certa virginitate soror.' Non omittam quod observavi apud Cicer. l. v. Epist. 21. ad Attic. dici *certum* hominem, pro gravi, et moribus antiquis.

[e] *Immane bellicæ civitatis, &c.*] Sensus est: Illud unum maxime probat propensionem nostræ civitatis ad arma, quod ab ejus conditu usque ad nos templum Jani Gemini ter solum clausum fuerit in certæ pacis argumentum: semel regnante Numa: iterum sub hoc Tito Manlio post bellum Punicum secundum: denique, Augusto principe, post bellum Actiacum.

tæ pacis argumentum][13] Janus Geminus[1][f] clausus dedit. In Hispaniis primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones, initio secundi belli Punici [U. c. 536. a. Chr. n. 217.], abhinc annos CCL. Inde varie possessa, et sæpe amissa partibus, universa, ductu Augusti, facta stipendiaria est. Macedoniam Paullus, Mummius Achaiam, Fulvius Nobilior subegit Ætoliam [U. c. 564. a. Chr. n. 189.]: Asiam L. Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho: sed beneficio senatus populique Romani mox ab Attalis[2][g] possessam regibus, M. Perperna, capto Aristonico, fecit tributariam. [U. c. 624. a. Chr. n. 129.] Cypri devictæ[h] nulli[3] assignanda gloria est. Quippe senatus consulto,[i] ministerio Catonis, regis morte, quam illi conscientia[k] acciverat, facta provincia est. [U. c. 697. a. Chr. n. 56.] Creta Metelli ductu longissimæ libertatis fine mulctata est.[e] Syria Pontusque Cn. Pompeii virtutis monumenta sunt.

39. Gallias primum [U. c. 632. a. Chr. n. 121.] Domitio

[e] *Sub ductu Metelli ademta est* Insulæ *Cretæ libertas, qua gaudebat abhinc tot annos.*

---

tertio.—13 Ruhnken. quem sequitur Kraus. hæc expungenda censet.—1 Ita Ed. pr. Cod. *Janius Geminius.*—2 Ed. Basil. lectionem et interpunctionem sanavit. Ed. pr. *mox habita lis. Possessam*, &c. Lips. *Attalicis.*—3 Ita Ed. Basil.

NOTÆ

[f] *Janus Geminus*] De Jano varia commenta legere est: dum alii mundum, alii cœlum, alii solem esse contendunt. Huic Numa Pompilius extruxit templum, quod bello claudebatur, pace aperiebatur. Sed unde geminus, biceps, bifrons? hinc nimirum, quod veteres Janum putaverint Noë: quem bifrontem idcirco finxerant, quod geminum ævum vidisset, ante et post diluvium. Præterea Janum januarum præsidem atque custodem esse credebant. Quare clavem ei instar sceptri appingebant. Ovid. I. Fast.

[g] *Mox ab Attalis*] Lege *Attalicis.* Nam reges Pergami sic vocabantur quia aliquot Attali nomine insignes fuerant.

[h] *Cypri devictæ*] Insula est Asiæ in mari Mediterraneo, vulgo, *Cypre.* Insulæ caput est Nicosia, *Nicosie.*

[i] *Senatus consulto*] Magis plebiscito; sed quod Senatus confirmaverit.

[k] *Quam illi conscientia*] Alii legunt *quam ille conscientia*, id est, quam ille attulerat sibi conscius, aut vitiorum suorum ac malefactorum, aut suarum virium, cum quibus impar erat resistendo Romanis.

Fabioque,[4] nepoti[5] Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu, [magna mox clade nostra][6] sæpe et affectavimus et omisimus.[7] Sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur [U. c. 703. a. Chr. n. 50.]: quippe ejus ductu auspiciisque infractæ, [pæne][8] idem,[1] quod totus terrarum orbis, ignavum[9] conferunt stipendium. Ab eodem facta[10] Numidia.[11 m] [U. c. 708.] Ciliciam perdomuit Isauricus [U. c. 676.], et post bellum Antiochinum Vulso Manlius Gallogræciam.[n] [U. c. 566.] Bithynia, ut prædiximus, testamento Nicomedis relicta hæreditaria. [U. c. 680.] Divus Augustus, præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum ejus[o] prænitet, [pæne idem,][12] facta Ægypto stipendiaria [U. c. 723. a. Chr. n. 30.], quantum[13] pater ejus[p] Gallia[1] in ærarium reditus contulit. At[2] Ti. Cæsar,[3 q] quam

---

Ed. pr. *Cypro devicta, nullis, &c.* ex quo *de victa* Voss. et al.—4 Ita Urain. Ed. pr. *Domitio Fabio:* Ed. Basil. *Domitio et Fabio:* Ald. Nep. *a Domitio.* —5 Ita Lips. Ed. pr. *nepote.*—6 Hæc uncis inclusa damnant Heynius et Jacobs.—7 Ita Heins. Ed. pr. *amisimus.*—8 *Pæne* a glossatore esse putat Kraus. Lips. *idem quod pæne:* Ruhnken. *bona fide.*—9 Ald. Nep. *in ærarium:* Heins. *in annum.*—10 *Stipendiaria*, quod, auctore Puteano, ex *stipendium* assumendum est, Editor Bipont. a fronte hujus membri in contextum recepit. —11 Sigon. Fast. ad an. 707. hoc et sequentia restituit. Ed. pr. *Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, visa vicisset post bellum Antiochinum. Vulso, &c.*—12 Hæc uncis inclusa temere repetita esse e præcedentibus jam corruptis putat Ruhnken.—13 Lips. de Magnit. R. II. 3. malit *quod.*— 1 Ita Ed. Basil. Cod. et Ed. pr. *Galli.*—2 Ita Ed. pr. Cod. *Ad.*—3 Ita Ursin. Ed. pr. et Cod. *T. Cæsar.*—4 Ita Ursin. recipiente Ruhnken. Ed.

NOTÆ

[1] *Pæne idem*] An vult tantum a Galliis, quantum a toto reliquo orbe conferri stipendium? Minime. Quare has voces transpono cum Lipsio; *idem, quod pæne totus terrarum orbis, ignavum, &c.* Verum quid hic *ignavum?* Manutius legit, *in ærarium:* Lipsius, *in annos.* At hæc supervacanea duco cum Acidalio. Insultat enim Velleius contumeliosa voce Gallis: qui antea invicti, nunc velut fracti et ignavi stipendium cum reliquis barbaris solvant.

[m] *Facta Numidia*] Scilicet provincia. Aliqui tamen legunt, *fracta.* Mox *Isauricus*, nomine Servilius.

[n] *Gallogræciam*] Aliter Galatiam, Asiæ majoris regionem: quæ sic dicta est a Gallis, eo post incensam Romam ex Italia transgressis et commoratis.

[o] *Forum ejus*] Scilicet, quod reædificavit.

[p] *Pater ejus*] Julius Cæsar Gallia, scilicet capta, vel facta stipendiaria.

[q] *At Ti. Cæsar, &c.*] Sensus est: At Tiberius Cæsar coëgit Illyrios et Dalmatas profiteri, se obedituros tam perpetuo, quam Hispani professi fuerant, eos ad id cogente parente, scilicet Augusto.

certam Hispanis parendi confessionem extorserat parens,[4] Illyriis Delmatisque extorsit.[5] Rætiam[6] autem[r] et Vindelicos ac Noricos, Pannoniamque et Scordiscos[7] novas imperio nostro subjunxit provincias. Ut has armis, ita auctoritate Cappadociam[s] populo Romano fecit stipendiariam. [U. c. 771. p. Chr. n. 18.] Sed revertamur ad ordinem.

40. Secuta deinde Cn. Pompeii militia [U. c. 690. a. Chr. n. 63.], gloriæ, laborisne majoris, incertum est.[d] Penetratæ cum victoria Media, Albania, Iberia;[8] [t] deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos,[e] Heniochosque et Achæos. Et oppressus, auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis,[9] Mithridates, ultimus omnium juris sui regum, præter Parthicos.[f] Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque et civium voto major,[g] et per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam. [U. c. 692. a. Chr. n. 61.] Cujus reditum favorabilem[u] opinio fecerat. Quippe plerique non

[d] *Deinde Cnæus Pompeius gessit bellum*, in quo *dubium est utrum* tulerit *plus laboris, an plus gloriæ.*

[e] *Ac deinde conversæ sunt copiæ in eas gentes, quæ incolunt remotissimas plagas ad dextram Ponti* Euxini, *Colchos, &c.*

[f] *Ultimus omnium regum, qui a nobis non pendebant, præter reges Parthorum.*

[g] *Major, quam nec ipse, nec cives optaverant.*

---

pr. *extoreerat ? arem Illyriis Delmatisque.* Heins. conj. *parens, parem.*—5 *Extorsit* abest ab Ed. pr. sed in Cod. erat.—6 Ed. pr. *Rhetiam* ubique.—7 Sic Ed. Basil. Ed. pr. *Cordiscos.*—8 Ita Ed. Basil. probantibus Burm. et Ruhnken. *Albina, Hiberi; ac* Ed. pr. *ac* retinuit Lugd. Bat. 2. quod Burmanno ex litera *a*, ab *Hiberi* distracta, ortum videbatur.—9 Ita Ed. Basil. Ed. pr.

NOTÆ

[r] *Rætiam autem*] *Les Grisons. Vindelicos*, qui nunc incolunt Ducatum Bavariæ, et partem Australem Sueviæ provinciæ: *Noricos*, qui Austriæ et Stiriæ maximam partem, Carinthiam, Carniolam, ditionem Salisburgensem, exiguam partem Bavariæ superioris, et aliquot loca comitatus Tirolensis. *Pannoniam: La Hongrie. Scordiscos*, vulgo *Bosnesi*, aut *Bosnacki.*

[s] *Cappadociam*] Asiæ regio ampla est, Euxino mari exposita, inter Galatiam ad Occasum, et Armeniam ad Ortum.

[t] *Media, Albania, Iberia*] Asiæ regiones, sub Turcarum dominio. Nunc Albania quidem, Georgiæ pars Orientalis, est inter Iberiam et mare Caspium sita: Iberia vero Georgiæ pars Occidentalis inter Albaniam et Colchidem.

[u] *Cujus reditum favorabilem*] Lego cum Aldo *formidabilem.* Nam rumor fuerat Pompeium cum exercitu rediturum, et, instar Syllæ et Marii, urbem invasurum; quod cives valde reformidabant.

sine exercitu venturum in Urbem, affirmabant, et libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum.[h] Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior civilis[x] tanti imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundisii dimisso exercitu, nihil præter nomen imperatoris retinens, cum privato comitatu, quem semper illum sectari[10] moris fuit, in Urbem rediit:[i] magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum [U. c. 693. a. Chr. n. 60.]; longeque majorem omni ante se illata pecunia in ærarium, [præterquam a Paullo,][11 y] ex manubiis[z] intulit. Absente Cn. Pompeio, T. Ampius et T. Labienus,[12] tribuni plebis [U. c. 691. a. Chr. n. 62.], legem tulerunt, ut is[13] ludis circensibus corona laurea,[1 a] et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem[k] prætexta,[b] coronaque laurea. Id ille non plus quam semel, et hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit. Hujus

[h] *Et positurum terminos libertati publicæ ad arbitrium suum.*

[i] *In urbem rediit cum comitatu*, qui *privatum* hominem decebat, et *qui solebat semper illi adesse.*

[k] *Theatralibus autem* ludis.

Pharnaces.—10 Ita Burmann. Ed. pr. *illa fatere:* Rhenan. probantibus Lips. Riguez. Cellar. *illi vacare:* et sic Ed. Clud. et Lugd. Bat. 2. Ruhnken. conj. *illi trahere:* Herel. *quo semper stipari.*—11 Prò glossemate hæc habent Voss. Burmann. Graner. et Ruhnken. Ed. Basil. *præterquam Capitolio:* quod probavit Lips. Heins. *præterque Capitolio:* Ed. Clud. *præter quanta spolia.*—12 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Labenius.*—13 *Is* debetur Ursin. Ed. pr. *si:* Ed. Basil. *ut ludis:* Riguez. *his:* Cellar. et Ed. Bipont. *in.*—1 Sic correxit Lips. ex Dione Cass. XXXVII.

NOTÆ

[x] *Civilis*] Id est, popularis reditus, sive more privati civis.

[y] *Præterquam a Paullo*] Aut id dele cum Vossio; aut cum eodem repone, *etiam a Paullo*. Quippe constat Pompeium plus pecuniæ in ærarium contulisse, quam Paullum. Paullus intulit solum *deux cent dix millions de sesterces:* Pompeius autem viginti millia talentum, *douze millions d'or*, quæ Paullinam pecuniam duplo superant.

[z] *Ex manubiis*] Manubiæ dicuntur pecuniæ quæ ad quæstorem, ex prædæ venditione, redeunt. Neque alio sensu manubias accipiunt, qui Latine et accurate loquuntur.

[a] *Laurea*] Ita legit Lipsius, quia triumphantium corona e lauro erat, non ex auro, teste Dione lib. XXXVII. Sic etiam paulo infra: *coronaque laurea.*

[b] *Prætexta*] Toga, purpuræ lembo prætexta: quod erat Romanorum magistratuum insigne.

viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit,[1] ut primum[2] ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet; et, quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Nunquam eminentia invidia carent. Itaque et Lucullus, memor tamen[c] acceptæ injuriæ, et Metellus Creticus, non injuste querens, (quippe ornamentum triumphi ejus captivos duces[3] Pompeius subduxerat,) et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio, aut bene meritis præmia, ad arbitrium ejus persolverentur.

41. Secutus deinde est consulatus C. Cæsaris [U. c. 695. a. Chr. n. 58.], qui scribenti manum injicit, et quamlibet[4] festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Juliorum genitus familia, et, quod inter omnes constat, antiquissima,[5] ab Anchise ac Venere[d] deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi[6] acerrimus, munificentia[7] effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio,[e] neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur; cum fuisset C. Mario sanguine[f] conjunctissimus, atque idem Cinnæ gener,

[1] *Fortuna amplificavit tantis incrementis magnitudinem hujus viri, ut, &c.*

---

21. Ed. pr. *aurea*.—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *primas*.—3 Ita Rhenan. Ed. pr. *ducus*.—4 Ita Burer. Cod. et Ed. pr. *quemlibet*.—5 Acidalius ita refinxit probantibus optimis Criticis. Ed. pr. *et, quod inter omnis antiquissimos constabat*.—6 Ruhnkenius *ingenii* ex II. 18. ne statim *animo* recurrat.—7 Ita Vascos. et Ed. Basil. Ed. pr. *munificentiæ*.—8 Ita Cod. Ed.

NOTÆ

[c] *Memor tamen*] Non possum assentire Vossio neganti, *tamen*, hic poni pro *etiamnum*, sive *adhuc*; quod affirmat Acidalius, quem sequor. Sed quam hoc loco injuriam Velleius commemorat? Opinor eam, quam Lucullus accepit (si tamen injuria est) cum eo posthabito, bellum Mithridaticum Pompeio decretum est.

[d] *Ab Anchise ac Venere*] Quia Venus Æneadum genitrix. Romani autem auctorem sui generis Æneam, teste Strabone, dicebant. Quin etiam Julii cognomen ab Iulo, qui unus fuit ex Æneæ posteris, deducit.

[e] *Sed sobrio*] Adeo vinosus erat Alexander, ut aliquando ebrius, rapto telo, Clitum, amicissimum sibi senem, in medio convivio occiderit.

[f] *C. Mario sanguine*] Et cognatus

cujus filiam ut repudiaret, nullo metu compelli potuit, (cum M. Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ uxor fuerat, in Syllæ dimisisset gratiam,) habuissetque fere XVIII. annos eo tempore, quo Sylla rerum potitus est: magis ministris Syllæ adjutoribusque partium, quam ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste, dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte Urbe elapsus est. [U. c. 672. a. Chr. n. 81.] Idem postea admodum juvenis, cum a piratis captus esset, ita se per[8] omne spatium, quo [ab his][9] retentus est apud eos, gessit, ut pariter his terrori veneratioique esset, neque unquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur, aut discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

42. Longum est narrare, quid et quoties ausus sit,***[10] quanto opere cònata ejus, qui obtinebat Asiam, magistratus populi Romani metu[11] suo destituerit.[12] Illud referatur documentum tanti mox evasuri viri.[m] Quæ nox eam diem secuta est, qua publica civitatium[s] pecunia redemtus est,[13] (ita tamen, ut cogeret ante obsides a piratis civitatibus dari,) contracta classe et privata[r] et tumultuaria,[h] invectus in eum locum, in quo ipsi prædones erant, partem classis fugavit, partem mersit,[i] aliquot naves multosque mortales

[m] *Quanta pertinacia magistratus populi Romani, qui administrabat Asiam, nolu-erit ob metum respondere ejus cœptis. Referamus illud omen futuræ magnitudinis hujus viri.*

---

pr. *semper*.—9 Herelius hæc damnat et interpungit post *eos*. Ed. pr. *ab his retentus est, apud eos gessit*.—10 Lacunam suspicatus est Ruhnken.—11 Ita ex emend. Ed. Basil. Ed. pr. *motu*.—12 Ita Junt. et Vascos. Ed. pr. *destituere*.—13 Cod. habet *est*, quod omisit Ed. pr.—1 Ita correxit Ondendorp. in marg. libri sui, probante Ruhnken. Ed. pr. Lugd. Bat. 2. Burmann. Ruhn-

NOTÆ

fuit: seniori autem Mario affinis. Legitur enim apud Plutarchum, Juliam Cæsaris amitam nuptam C. Mario fuisse; ex qua minor Marius natus.

[s] *Civitatium*] Scilicet, Asiæ.

[h] *Et tumultuaria*] Id est, raptim et festinanter parata.

[i] *Partem mersit*] Gallice, *Il en coula a fond une partie.*

cepit: lætusque nocturnæ expeditionis,[2] triumpho ad suos reversus est: mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam perrexit ad proconsulem Junium, [cum idem enim[k] Asiam eam quam obtinebat][3] petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii. Quod cum ille se facturum negasset, venditurumque captivos[l] dixisset (quippe sequebatur invidia[4] inertiam); incredibili celeritate revectus ad mare, priusquam de ea re ulli proconsulis redderentur epistolæ,[5] omnes, quos ceperat, suffixit cruci.

43. Idem mox ad sacerdotium ineundum, (quippe absens pontifex factus erat in Cottæ consularis locum,[m] cum[6] pæne puer a Mario Cinnaque flamen Dialis creatus, victoria Syllæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id[7]

ken. et al. *privatus*.—2 Acidalius interpunctionis, quæ abest ab Ed. pr. auctor.—3 Desperata hæc verba glossatoris esse, monentis, Junium eundem esse *magistratum P. R. qui Asiam obtinebat*, putat Ruhnken. Rhenan. tentavit, *tum idem enim Asiam eam obtinebat:* Ed. Basil. *is enim Asiam tum obtinebat:* Lipsius, *tum i. e. Asiam, eamque* (Bithyniæ partem avulsam) *obtinebat*.—4 Oudendorpius, teste Ruhnkenio, *averitia*, forte e Plutarcho Cæs. 2.—5 Ita Burer. Cod. *redderentur epistola*. Ed. pr. *redderetur epistola*.—6 *Cum*, quod abest ab Edit. pr. Lipsius inseruit, ubi extritum est a præcedente syllaba: Ed. Basil. ante *in Cottæ*.—7 Ita Ed. Basil;

NOTÆ

[k] *Cum idem enim*] Duplex lectio: 1. veteris scripturæ; *tum idem enim Asiam, eamque obtinebat*. Hoc sensu: Tum, (scilicet aliter quam nostro ævo,) unus idemque proconsul Asiæ et Bithyniæ erat. Ingeniose quidem: at contra pugnat, quod tum Bithynia non esset provincia, sed regnum. 2. Manutii; *Is enim tum Asiam obtinebat*. Hanc lectionem secutus est in editione sua Thysius.

[l] *Venditurumque captivos*] Lipsius mallet legi, *vindicaturumque*: id est, asserturum in libertatem. Verum cave, quod monet Vossius, auscultes ei. Cæsar mortem prædonibus minatus erat: Junius proconsul, objecta spe pretii, se sub corona venditurum eos respondit. Quo quid Cæsaris votis contrarium magis? Præterea sentit cum Velleio Plutarchus.

[m] *In Cottæ consularis locum*] Alii legunt *cum in Cottæ*, &c. Si ita legatur, bis errat Velleius. 1. Quod Cottam flaminem facit. 2. Quod Cæsarem dat ei successorem. Nam ex Tacito et Dione patet septuaginta sex annos, intermedios a Cornelii Merulæ cæde, flaminibus caruisse: maxime vero ex Dione, qui lib. LIV. refert, primum, post Merulam, flaminem dialem sub Augusto creatum. Quomodo igitur aut Cotta flamen, aut Cæsar? Una vocula trajecta nodum solvet. Ergo legendum cum Lipsio, *quippe absens pontifex factus erat in Cottæ consularis locum, cum pæne puer a Mario*, &c. Atqui ipsa res est, ac Vellei mens. Pontifex, inquit, factus erat in locum demortui Cottæ pontificis: cum antea flamen quidem designatus esset a Mario et Cinna: sed Sylla victoria honor ille ademtus est.

sacerdotium,) festinans in Italiam [U. c. 676. a. Chr. n. 77.], ne conspiceretur a prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, et merito tam infestis sibi, quatuor scalmorum[n] navem, una cum duobus amicis, decemque servis ingressus, effusissimum[m] Adriatici maris trajecit sinum.[o] Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, cum exuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antennarum præbuisse imaginem. Reliqua ejus acta in Urbe, nobilissimaque Dolobellæ[8] accusatio,[p] et major civitatis in eo[9] favor,[q] quam reis præstari solet; contentionesque civiles cum Q. Catulo, atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ; et ante præturam victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione senatus princeps; et restituta in ædilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii;[r] simulque revocati ad jus dignitatis[s] proscriptorum liberi; et prætura, quæsturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, (cum esset quæstor sub Vetere

[m] *Vestissimum.* [o] *Ad jus* adipiscendi *dignitates.*

correxit et interpunxit post *irrita*. Ed. pr. *qui omnia ab iis acta fecerat irrita amisisset, ad sacerdotium festinans in Italiam.*—8 Sic scribit h. l. et alibi Ed. pr. Græcorum more. Vulg. *Dolabellæ.*—9 Ita Heins. probante Ruhnken. Ed. pr.

NOTÆ

[n] *Quatuor scalmorum*] Gall. *A quatre rames, ou avirons.* Scalmus, ligneus, aut ferreus, teresque clavus est, cui nautæ remos alligant loro.

[o] *Adriatici maris sinum*] Gallis, *le Golphe de Venise, et mer Adriatique.* Extenditur inter Italiam ad Occasum, et Illyricum ac Albaniam ad Ortum, a Venetiis Hydruntum usque et Epirum.

[p] *Nobilissimaque Dolobellæ accusatio*] Hanc accusationem Cæsar adversus Dolobellam egit uno et vicesimo ætatis anno: ob eam, teste Suetonio, principibus patronis annumeratus.

[q] *Et major civitatis in eo favor*] Id est, civitas Dolobellæ magis favit, quam solet favere reis. Licet enim Dolobellam Cæsar accusaret repetundarum, et insectaretur vehementer, non tamen obtinuit ut damnaretur.

[r] *Monumenta C. Marii*] Quæ Sylla disjecerat. Monumenta vocat trophæa Marii, sive Jugurthæ, Cimbrorum, atque Teutonum, quæ plurima Marius retulerat, spolia, quæ in stipitibus figebantur, et in editioribus urbis locis ponebantur.

Antistio, avo hujus Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium et sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest);[p] quo notiora sunt, minus egent stylo.

44. Hoc igitur consule[s] [U. c. 695. a. Chr. n. 58.], inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiæ societas, quæ Urbi orbique terrarum, nec minus diverso quoque[t] tempore ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus, ut prædiximus, multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem: Cæsar autem, quod animadvertebat, se cedendo Pompeii gloriæ aucturum suam, et, invidia communis potentiæ in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, ut quem[10] principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus[11] teneret Cæsaris. Affinitas etiam inter Cæsarem Pompeiumque contracta nuptiis. Quippe filiam C. Cæsaris[u] Cn. Magnus duxit uxorem. In hoc consulatu Cæsar legem tulit, ut ager Campanus[x] plebei divideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter XX. millia civium eo deducta, et jus civitatis[ra] restitutum[y] post annos circiter CLII. quam bello Punico ab

[p] *Viri adeo boni, ut non possit cogitari major in homine candor.*

in ea.—10 Ita Cod. Ed. pr. *qui*.—11 Ita Ed. pr. Cod. *Pompei viri vtribus, &c.*

NOTÆ

[s] *Hoc igitur consule*] Solum designato, seu 'consulatus candidato:' quæ Suetonii et Livii verba sunt.

[t] *Quoque*] Acidalius et Vossius volunt legi *quoique*, quo modo veteres legebant, pro *cuique*.

[u] *Quippe filiam C. Cæsaris*] Juliam.

[x] *Ut ager Campanus*] Id est, agri Capuam circum jacentes. Erant autem publici, aut saltem publica pecunia a privatis redemti; solum, teste Cicerone, dividendi inter eos e plebe, qui ternos pluresve liberos haberent. Mox *plebei*, dativus antiquus.

[y] *Et jus civitatis restitutum*] Alii legunt *et jus ab his restitutum*, i. e. a Cæsare et Pompeio. Miratur Vossius, cur cum Puteano Lipsius vulgatam lectionem sic mutet, *et jus civitatis restitutum*. Jus interpretare jurisdictionem. Nam de Capua, bello Punico, sic Livius: 'Ceterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatum, nec plebis concilium, nec magistratus esse: præfectum ad jura reddenda quotannis ab Roma missuros.'

Romanis Capua in formam præfecturæ[a] redacta erat. Bibulus collega Cæsaris, cum actiones ejus magis vellet impedire, quam posset, majore parte anni domi se tenuit. Quo facto, dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam. Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ.[a]

45. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque[13] dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum,[e] malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti reus ob initum[1] inter religiosissima populi Romani sacra[b] adulterium,[f] cum graves inimicitias cum M. Cicerone[c] exerceret, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) et a patribus ad plebem transisset,[2 d] legem in tribunatu tulit [U. c. 696. a. Chr. n. 57.]: Qui civem Romanum indemnatum[3 e] interemisset, ei[4] aqua et igni interdiceretur. Cujus verbis, etsi non nominabatur Cicero, tamen solus

[e] *Qui nullam sequeretur regulam suorum verborum, atque factorum, præter suam voluntatem.*

[f] *Et accusatus incesti, propter commissum adulterium inter sacrificia sanctissima Populi Romani.*

—12 Ita Putean. probante Ursin. Ed. pr. *ab his.*—13 Ed. pr. *quique*, quod probat Voss. correxerunt Vascos. et Ed. Basil. recipiente Ruhnken.—1 Herel. *tentatum*, s. *inauditum*, s. *nefastum* conjecit, et Kraus. *illatum.*—2 Ita Gryphius, teste Voss. Ed. pr. *transiret.*—3 Ita Putean. et Vascos.

NOTÆ

[a] *In formam præfecturæ*] Urbs ea dicebatur in præfecturæ formam redigi, in qua unus erat præfectus, Roma missus.

[a] *Galliæ*] Scil. Cisalpina, et Transalpina.

[b] *Sacra*] Bonæ Deæ, sive Cybelæ matri Deorum. Noctu fiebant a muliebri sexu, virili remoto, in ædibus consulis, aut pontificis. Locum, ubi hæc sacra fiebant, Cicero vocat opertum Bonæ Deæ. Ipsa vero sacra Plinio dicuntur 'opertanea,' id est, quæ in operto fiunt.

[c] *Inimicitias cum M. Cicerone*] Harum inimicitiarum testis esse potest oratio Ciceronis pro M. Cælio adversus Clodium, ubi Clodium, ut par erat pro ejus vitiis, insectatur.

[d] *Et a patribus ad plebem transisset*] Alii legunt *transiret*, sed rectius *transisset*, ut bene notat Vossius, et edidit Gryphius. Id vero nova ratione factum est; Cæsare legem ferente de adoptione, qua in familiam, quæ ordinis esset plebeii, Clodius admitteretur; ut nimirum Tribunatum, qui patriciis non patebat (quoniam magistratus popularis erat), obtinere posset.

[e] *Indemnatum*] Id est, non damnatum a populo, seu potius indicta causa damnatum.

petebatur.[f] Ita vir optime meritus de republica conservatæ patriæ pretium calamitatem[5] exilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar et Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter XX. viros dividendo agro Campano[g] esse noluisset. Idem intra biennium[h] [U. c. 697. a. Chr. n. 56.] sera Cn. Pompeii cura, verum, ut cœpit, intenta,[6 i] votisque Italiæ ac decretis senatus, virtute atque actione Annii Milonis[k] tribuni plebis, dignitati patriæque restitutus est. Neque post Numidici exilium[l] aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius,[m] aut receptus est lætius. Cujus domus, quam infeste a Clodio

[5] *Pœnam.*

Ed. pr. *damnatum.*—4 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *et.*—5 Edd. plurimæ *calamitate.*—6 Sic Wopkens. in Misc. Obs. Vol. VIII. p. 51. probante Ruhnken. Ed. pr. *et cupit interita*, unde Ed. Basil. probantibus Ursin. Putean. et Voss. *ut cœpit, interrita:* Rhenan. et Manut. *et cupito interitu*, quod Schegkio displicet.

NOTÆ

[f] *Tamen solus petebatur*] Id est, notabatur; nam Cicero Lentulum, et Cethegum, aliosque conjuratos, in carcere, indicta causa, necaverat.

[g] *Dividendo agro Campano*] Subaud. præpositos.

[h] *Idem intra biennium*] Abfuit Cicero tantum menses quatuordecim; pulsus enim in exilium ann. 695. circiter Kal. Aprilis, anno insequenti rediit, mense sextili. Plutarchus tamen menses sedecim computavit: sed, Lipsii judicio, parum exacte.

[i] *Verum, ut cœpit, intenta*] Vulgo legebatur *verum et cupit interita:* Rhenanus edidit: *verum et cupito interitu.* Ursinus edidit: *verum, ut cœpit, interrita.* Juxta Rhenani lectionem, quam sequitur Vossius, sensus est: Idem Cicero intra duos annos suis dignitatibus et patriæ redditus est, opera quam illi Cnæus Pompeius præstitit, sero quidem, atque etiam post desideratam Ciceronis mortem, &c. Juxta Ursini vero lectionem, quam Lipsius et Schegkius sequuntur, sensus est: Cicero patriæ redditus est opera quam Cnæus Pompeius illi præstitit, tarde quidem, at, ex quo eam illi præstare cœpit, interritus.

[k] *Virtute atque actione Ann. Milonis*] Id est, animo et studio, quo Annius Milo Tribunus plebis egit apud populum, ut is Ciceronis reditum comprobaret. Ubi observabis obiter actionem varie dici. 1. Pro ea parte eloquentiæ quæ voce motuque corporis constat. 2. Pro accusatione, quemadmodum actor pro accusatore sumitur. 3. Pro oratione quæ alicujus defendendi gratia fit. 4. Pro jure agendi, sive judicium intentandi. 5. Pro vivendi ratione seu modo. Cicer. III. Offic. ad eas res parandas quibus actio vitæ continetur.

[l] *Post Numidici exilium*] Cognomen est Metelli, a Numidia devicta.

[m] *Invidiosius*] Id est, majori cum odio eorum qui hujus exilii auctores erant.

disjecta erat, tam speciose a senatu restituta est. Idem P. Clodius [in senatu],[7] sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a republica relegavit. Quippe legem tulit, ut is quæstor cum jure prætorio,[8] adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum vitiis[n] eam contumeliam meritum. Sed ille, sub adventum Catonis, vitæ suæ vim intulit:[o] unde pecuniam longe sperata majorem Cato Romam retulit. Cujus integritatem laudari,[9 p] nefas est: insolentia pæne argui potest, quod, una cum consulibus ac senatu effusa civitate obviam, cum per Tiberim subiret navibus, non ante iis[10] egressus est, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

46. Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret; nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis et[11] captis hostium millibus, etiam in Britanniam[q] trajecisset exercitum, alterum pæne imperio nostro ac suo quærens orbem: invictum[12] par consulum,[r] Cn. Pompeius et Crassus,

---

Heins. conj. *et capiti interrita*: Burmann. *ut capit, interriti*, sc. Pompeii.—7 Cujacius Obs. VII. 9. hæc ejicienda esse primus vidit, probantibus fere omnibus. Herel. *insano conatu*.—8 Interpunxit sic et correxit Ed. Basil. Ed. pr. *quæstor cum jure prætorio adjecto, etiam quæstor emitteretur*, &c.—9 Aldus Nep. *non laudari*: Ruhnken. *haud laudari*: Gruneru*s*, *laudare*.—10 Ita Aldus Nep. Ed. pr. *is*. Ed. Basil. *his*.—11 Ita Cod. Ed. pr. *ac*.—12 Sic Ed. Lugd. Bat. 2. et al. ex conjectura Rhenan. quam præfert Boëcler. Ed. pr. *victus pars consulum*, unde Ursin. et Popma *vetus*. Lips. et Heins. *inclitum par c.* Voss. *vinctum par c.* Ruhnken. *unicum par c.* et ita Ed. Bi-

NOTÆ

[n] *Omnibus morum vitiis*] Dic verius cum Amm. Marcellino, Populum Romanum avide magis, tum propter ingentes insulæ Cypri divitias, cum propter ærarii sui angustias, quam juste, propter Ptolemæi vitia, regnum ejus invasisse.

[o] *Vitæ suæ vim intulit*] Hausto veneno.

[p] *Cujus integritatem laudari*, &c.] Sensus est: Cui faceret injuriam, qui ejus integritatem, et abstinentiam a pecunia laudaret, quia omnes laudes superat.

[q] *Etiam in Britanniam*] Insula est Europæ maxima, Angliam et Scotiam complectens, in Oceano Galliæ obversa. Magna dicitur, ut a minore Britannia, sive Aremorica distinguatur. Hic de Magna sermo est: ubi videtur alludere ad Virgilianum illud, I. Ecl. 'Et penitus toto divisos orbe Britannos.'

alterum iniere consulatum [U. c. 699. a. Chr. n. 54.]; qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter[r] gestus est. Cæsari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium[s] temporis provinciæ: Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. Qui vir, cetera sanctissimus,[t] immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus,[u] tribuni plebis frustra retinere conati. Quorum execrationes si in ipsum tantummodo valuissent, utile imperatoris damnum, salvo exercitu, fuisset reipublicæ.[x] Transgressum Euphraten Crassum, petentemque Seleuciam,[x] circumfusis[2][y] immanibus copiis equitum, rex Oro-

[r] *Cum approbatione.*

[s] *Quorum imprecationes si solum recidissent in Crassum, jactura* hujus *ducis utilis fuisset reipublicæ, exercitu incolumi.*

---

pont. Acidal. *invisum*.—1 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *omnibus*. Interpunctio debetur Aldo Nep.—2 Ed. pr. *circumfusos*: Vascos. *circumfusus*: emenda-

NOTÆ

[r] *Invictum par consulum*] Cum in veteri Codice sit: *Victus par Consulum*, triplex est lectio. 1. Vossii: *invictum par Consulum*; quod Crasso, qui victus est, minime convenit. 2. Acidalii: *invisum par Consulum*; ut quorum occultam conspirationem jam populus olfecerat. 3. Ursini: *Vetus par Consulum*; id est, qui jam una consules fuerant. Ad eas lectiones liceat addere meam, omnium forte verissimam. Lego: *Victum par Consulum*. Victi enim Crassus et Pompeius: Crassus quidem ab Orode; Pompeius vero a Cæsare.

[s] *In idem spatium*] In quod primum decretæ fuerant, scilicet in quinquennium; Gallias autem intelligit.

[t] *Cetera sanctissimus*] E Græcia advectum sermonis genus, usitatum ab optimo quoque. Tacitus; 'cetera equestri familia:' et 'juvenis alia clarus.'

[u] *Diris cum ominibus*] Hæc quomodo fierent repete e Brisson. 1. Form. solenn. Interim pauca trado ex Appiani Parthico; ubi de Crassi historia: 'Solus,' inquit, 'Ateius occurrens primum voce cohibebat, denuntians ne procederet: deinde apparitorem jussit, eum injectis manibus detineret. Verum id collegis Tribuni non permittentibus, apparitor Crassum missum fecit. Ateius autem ad portam accurrens, posuit ibi ardentem foculum; et Crasso prætereunte suffitum faciens, et insuper libans, diris eum devovebat execrationibus, nova et horrenda Deorum invocans nomina.' Addo ex Servio ad II. Æneid. 'Crassum, iturum ad Parthiam, signa Romana (triste augurium) evellere vix potuisse.'

[x] *Seleuciam*] Plures sunt Seleuciæ. Hic intelligitur, quæ ad Euphratem sita est.

des una cum parte majore Romani exercitus interemit. Reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor, conservavit; Syriamque adeo in populi Romani potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu, fugaret ac funderet.

47. Per hæc, insequentiaque, et quæ prædiximus tempora, amplius ɔɔɔcc.[3] millia[z] hostium a C. Cæsare cæsa sunt, plura capta. Pugnatum sæpe directa acie,[a] sæpe [in][4] agminibus, sæpe eruptionibus: bis penetrata Britannia. Novem denique æstatibus,[b] vix ulla non[5] justissimus triumphus emeritus.'[c] Circa Alesiam[d] vero [U. c. 702. a. Chr. n. 51.] tantæ res gestæ, quantas audere vix hominis, perficere, pæne nullius, nisi Dei, fuerit. Septimo[6] ferme anno Cæsar morabatur in Galliis, cum medium[e] jam ex invidia

[z] *Denique ex novem æstatibus vix ulla* fuit, *qua non meruerit justissimo* titulo *triumphum.*

vit Ed. Basil.—3 Lips. legit *DCCC.*—4 Lips. et Gruter. *in* expungendum putarunt.—5 Burmann. conj. *Ex novem d. æ. v. u. qua non*, &c. Wopkens. *Novem d. æstatum vix ulla*, &c. Ruhnken. *n. d. æ. vix ullus non*, &c. Kraus. tentabat, *E novem d. æ. vix ulla non*, &c.—6 *Quinto* debebat esse ex rerum veritate.

NOTÆ

[y] *Circumfusis*] Lege cum Vossio, *circumfusum.*

[z] *Amplius* cccc. *millia*] Multum de Cæsaris laude detrahit, si tamen laus e cædibus est; nam Plinius undecies centena et nonaginta duo millia hominum occisa esse dicit. Forte quod tradit Lipsius, *octingenta millia*: quæ computatio non multum distat ab Appiani computatione in Celticis; ubi decies centena millia tantum occisa esse tradit.

[a] *Pugnatum directa acie*] Gallice, *On combattit en bataille rangée: In agminibus, par pelotons: Eruptionibus, par des sorties.*

[b] *Æstatibus*] Quas egit trans Alpes.

[c] *Triumphus emeritus*] Passive: quo modo Plauto dicitur 'emeritum stipendium' pro *peractum*, inquit Budæus, cum emissionem, ut veterani, milites impetraverunt.

[d] *Circa Alesiam*] Hodie *Alise*. Pagus est in Burgundiæ ducatu, ad amnem *Brenne*. Alii legunt *Alexiam*, a qua tractus circumjacens Alexiensis dicitur, vulgo *l'Auxois*, inter Divionem et Antissiodorum.

[e] *Cum medium*, &c.] Hic locus sic explicandus est: Cum decessit Julia, uxor Magni (scil. Pompeii,) quæ medium pignus erat concordiæ jam male cohærentis inter Cnæum Pompeium et C. Cæsarem, ex invidia potentiæ, id est, quia alter alterius potentiæ invidebant: hic illius crescenti, ille hujus adultæ.

potentiæ male cohærentis[t] inter Cn. Pompeium et C. Cæsarem concordiæ pignus, Julia, uxor Magni, decessit [U. c. 700. a. Chr. n. 53.]; atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompeii, Julia natus, intra breve spatium obiit. Tum in gladios cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium antea dignitati ejus judicio, delatus est.[y] [U. c. 702. a. Chr. n. 51.] Cujus ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime a C. Cæsare alienatus est. Sed ejus consulatus omnem vim in coërcitionem[7] ambitus exercuit.[z f] Quo tempore P. Clodius à Milone, candidato consulatus, exemplo inutili, facto salutari reipublicæ,[8] circa Bovillas,[g] contracta ex occursu rixa, jugulatus est. Milonem reum[h] non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas.[e] Quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia. Quam si[9] maturius[i] tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum, probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat.

y Tum ambitione, cujus nullus erat finis et modus, arma rapiente in cædes civium; Cnæus Pompeius creatus fuit tertium consul sine collega, etiam sententia eorum, qui antea repugnabant ejus magnitudini.

z Sed Pompeius *adhibuit vim omnem hujus consulatus ad comprimendam ambitionem.*

e Milo vocatus in judicium, damnatus est minus odio, quod ortum erat ex hoc *facto, quam voluntate Pompeii.*

Cæsar enim Gallias intravit U. c. 696. *Kraus.*—† Ita, partim de sua, partim de Rhenani conjectura, restituit Lips. probantibus Gruner. Ruhnken. et Heins. Cod. *Pontiæ Camillæ cohærentis:* Ed. pr. *Ponti ac Camiliæ cohærentis:* Rhenan. *Ponti male cohærentis:* Ed. Basil. *Pompeii male cohærentis.* —7 Ita Cod. Ed. pr. *in coërtionem.*—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *exemp. inutiliter facto, salutari reip.* Herel. *exemplo inutili, certe facto s. r.* Ursin. *ex. inutili, sed facto s. r.* Voss. *ex. inutili, interim facto s. r.* Heins. *ex. inutili, ceterum facto*

NOTÆ

[f] *Exercuit*] Lipsius recte legit, *exercuit.*

[g] *Circa Bovillas*] Oppidum Latii prope Romam, in via Appia, vulgo *Bubuco.*

[h] *Milonem reum*] Extat pro illo oratio disertissima Ciceronis.

[i] *Quam si maturius*] Id est, quam sententiam si citius et ante alios dixisset, non defuissent qui Milonem quoque absolverent. Cicero tamen et Cato pro Milone dixerunt exitu omnino non malo. Nam solum in exilium pulsus est: maxime ea re commotis judicibus, quod huic judicio interfuisset vultu erecto, neque veste,

48. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia[10] [U. c. 704. a. Chr. n. 49.]: cum justissimus quisque et a Cæsare et a Pompeio vellet dimitti exercitus. Quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac præsidens Urbi, per Afranium[11] et Petreium, consularem, ac prætorium, legatos suos, administrabat; et iis, qui a Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur;[12 k] iis, qui [dimittendos][1] ab ipso quoque,[2] adversabatur. Qui si ante biennium, quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri[l] et aliorum operum, quæ ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute ejus,[m] primi[3] omnium civium, suscepit); defuisset fortunæ destruendi ejus locus, et quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.[b] Bello autem civili, et tot, quæ deinde per continuos XX. annos consecuta sunt, malis, non alius majorem flagrantioremque, quam C. Curio tribu-

[b] *Duobus annis antequam sumta sunt arma, si Pompeius, post absolutum theatrum, et alia opera, quæ circum illud extruxit, correptus in Campania periculosissimo morbo animam reddidisset (quo quidem tempore universa Italia vota fudit pro ejus incolumitate, quod ante illum nullius gratia factum fuerat,) fortuna non habuisset occasionem illius destruendi: et deportavisset ad mortuos integram illam gloriam, quam habuerat inter vivos.*

---

s. r.—9 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Qui si*.—10 Herel. *incendia*, quod recepit Clud. —11 Ita Burer. qui conj. quoque *Africanum*: Cod. *Africanium*: Ed. pr. *Afranium*.—12 Lips. malit *assentiebatur*.—1 Vocem hanc primus ejecit Junta, edens, *qui ab ipso, adversabatur*.—2 *Quoque* est in Cod. et Edd. plurimis. Ed. pr. *ipsoque*.—3 Sic correxerunt Vascos. et Perizon. Animad. Hist. c. 8. p. 355.

NOTÆ

reorum more, mutata.

[k] *Assentabatur*] Mavult Lipsius, *assentiebatur*. Verum nil opus mutatione. *Assentari* recte ponitur pro *Assentiri*: sic apud Plautum Men. Act. III. Sc. 2. 'Cœpi assentari; quicquid dixerat, idem ego dicebam.' Ibid. Act. II. Sc. 4. 'assentabor, quicquid dicet, mulieri.'

[l] *Muneribus theatri*] Id est, theatro. Munera theatri dixit a spectaculis, et ludis, qui nonnunquam plebi, quasi muneris loco, in theatro exhibebantur. Sane genus oblectamenti quodcumque veteres Munera nominabant, quod eo populus perinde atque quodam munere caperetur.

[m] *Vota pro salute ejus*] In eam rem lepide Juvenal. Sat. X. 'Provida Pompeio dederat Campania febres Optandas: sed multæ urbes, et publica vota Vicerunt.'

nus plebis, subjecit facem,[c] vir nobilis, eloquens, audax, suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico; cujus[4] [animo][5] [a] cupiditatibus[6] vel libidinibus, neque opes ullæ, neque voluptates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit.[7] Id gratis, an accepto centies HS. fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum saluberrimas et coalescentes[8] conditiones pacis, quas et Cæsar justissimo animo postulabat, et Pompeius æquo recipiebat, discussit ac rupit, unice cavente Cicerone concordiæ publicæ. Harum præteritarumque[9] rerum ordo cum justis[10] aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.

49. Nunc proposito operi sua forma reddatur; si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque et

[c] *Nemo autem accendit et inflammavit magis bellum civile, et tot mala, quæ deinde secuta sunt per viginti annos continuos, quam C. Curio Tribunus plebis.*

Ed. pr. *primo*.—4 Ita Ed. Basil. *hujus* Ed. pr.—5 Hæc vox, sub qua vitium nondum sanatum altius latere videtur, salvo sensu, abesse potest. Itaque eam, donec certior medicina inventa sit, uncis inclusimus. Acidal. *omnino*: Lips. *animi*: Ruhnken. *cui nimio cupiditatibus*, vel, quod præfert, *cujus insanis c.* Kraus.—6 Transponendo hunc locum emendavit Ruhnken. cum in Ed. pr. sic legeretur: *Hujus animo voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullæ, neque cupiditates sufficerent*.—7 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *restitit*.—8 Ita Ed. Bipont. Ed. pr. *et coalescentis*. Ed. Basil. et Heins. sustulerunt *et*, probante Ruhnken. —9 Ita Burer. Ed. pr. *præteritumque*.—10 Ita Ed. Basil. Cod. et Ed. pr.

NOTÆ

[a] *Cujus animo*] Huic loco varii varie medentur. Acidalius pro *animo* legit *omnino*. Lipsius pro *voluptates*, vel, ut alii legunt, *cupiditates*, legit *civitates*. Hunc sequitur Gruterus: sed præterea rejicit, *voluptatibus vel libidinibus*: utrumque retineo; ac præterea legendum puto *civitates*; hoc sensu; Cujus inexplebili cupiditati, neque divitiæ ullæ, neque urbes ipsæ satis esse possent ad voluptates, vel ad libidines.

[b] *Centies HS.*] Cum Schegkio vix mutaverim, licet Manutius et Lipsius aliter legant; hic *sexcenties*, ille *trecenties*: uterque non sine causa. Juxta Lipsii lectionem, sexcenties sestertium, ex doctissimorum virorum, qui Hebræorum pecuniam cum Græcorum, Romanorum, et Francorum pecunia composuerunt, computatione, redigerentur ad quaterdecies centies millies et quingenties millies librarum, *quatre milliens et demi de*

Hortensio: qui cum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo; quieta,[11] aut certe non præcipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte[p] functi sunt. Lentulo et Marcello consulibus, post Urbem conditam annis DCCV.[12] [a. Chr. n. 48.], et (ante)[q] LXXVIII.,[q] quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis causa melior videbatur: alterius erat firmior. Hic omnia speciosa: illic valentia. Pompeium senatus auctoritas: Cæsarem militum armavit fiducia. Consules senatusque causæ, non Pompeio,[r] summam imperii detulerunt. Nihil relictum a Cæsare, quod servandæ pacis causa tentari posset: nihil receptum a Pompeianis: cum alter[2] consul[s] justo esset ferocior, Lentulus vero salva republica salvus esse non posset;[t] M. autem Cato moriendum ante, quam ullam conditionem civis[3] accipiendam reipublicæ, contenderet; vir antiquus et gravis Pompeii partes laudaret magis, prudens sequeretur Cæsaris, et illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. Ut deinde, spretis omnibus,

justius.—11 Lips. supplet *ea*, sc. *rep.* Ruhnken. mox *civitate* post *præcipitata* addit.—12 Ed. pr. *ACCIII. et LXXVIII. quam tu, &c.* Ed. Basil. *DCCIII. et anno LXXVIII.* Burer. *A. CC. III. et annos, &c.*—1 *Ante* inculcandum putarunt Lips. et Ruhnken.—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *altero.*—3 Sic Ed. pr.

NOTÆ

bires: si modo sestertius paulo plus quam decem et octo denarios contineat.

[p] *Fatali morte*] Gallice, *d'une mort naturelle.* Vide l. II. cap. 4. not. b.

[q] *Et ante LXXVIII.*] Ita Lipsius vult scribi, quod certe accuratius est.

[r] *Causæ, non Pompeio*] Lipsius legit, *nominis causa Pompeio;* id est, imperium Pompeio detulerunt famæ et nominis Pompeiani causa. Gronovius paulo aliter legit: *causæ nomine, Pompeio, &c.* id est, ut Pompeius causam Senatus tueretur, non vero ut imperaret ipse dominareturque, cum contra Cæsarem sui dominum asserent. Verum quid opus est mutare vulgatam lectionem? Hujus, auctoribus Grutero et Vossio, sensus est: Imperium Pompeio delatum est a Consulibus, et a Senatu, non quod Senatus faveret ejus partibus, sed quod ejus causa justior, et Reipublicæ gratia suscepta videretur.

[s] *Cum alter consul*] Marcellum intellige, cujus ferociam pluribus persequitur Appianus: quique 'loquax' dicitur apud Lucanum l. I. Uterque porro consul creati erant propter odium quo Cæsarem prosequebantur.

[t] *Salvus esse non posset*] Propter magnitudinem æris alieni. Cujusmodi hominibus, ut bene notat Sallustius, opus est perdita republica.

quæ Cæsar postulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciæ, privatus in Urbem veniret,[4] et se in petitione consulatus suffragiis populi Romani committeret, decrevere: ratus bellandum Cæsar, cum exercitu Rubiconem[u] transiit.[4] Cn. Pompeius consulesque et major pars senatus, relicta Urbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium.[x]

50. At Cæsar Domitio legionibusque Corfinii,[y] quæ una cum eo fuerant, potitus, duce aliisque, qui voluerunt[5] abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium,[6] ita[6] ut appareret, malle, integris rebus et conditionibus,[z] finire bellum, quam opprimere fugientes, cum transgressos reperisset consules, in Urbem revertit: redditaque ratione consiliorum suorum in senatu et in concione, ac miserrimæ necessitudinis,[a] cum alienis[7] armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem itineris ejus aliquamdiu morata Massilia[b] est, fide melior, quam

[4] *Simul ac rejectis omnibus, quæ Cæsar petierat, deinde* patres *decreverunt*, ut Cæsar *veniret in urbem privatus, contentus solum retinere cum una legione titulum* præfecti *provinciæ, et* ut *se subjiceret suffragiis populi Romani in petitione consulatus; Cæsar judicans* jam nunc serio *bellum esse gerendum, transiit Rubiconem cum exercitu.*

[5] *At Cæsar, cum cepisset Domitium et legiones, quæ una cum eo fuerant Corfinii, dimissis sine mora duce et aliis, qui voluerant abire ad Pompeium, persecutus* iter usque *Brundisium, &c.*

Ruhnken. *cujusvis.*—4 Ed. pr. *venire*, et mox *committere*: correxit vero Ed. Basil.—5 Ed. pr. *venerant.*—6 Ruhnken. *Brundus. iter, ut, &c.*—7 Herel. *affinis.*

NOTÆ

[u] *Rubiconem*] Parvus est fluvius inter Ariminum et Ravennam, ex Apennino monte decurrens in Hadriaticum mare, quondam Italiæ Galliæque Cisalpinæ terminus; vulgo *Rucone*: aliis tamen *Pisatello* dicitur.

[x] *Dyrrhachium*] Urbs est in ea Macedoniæ parte, quæ Hadriatico mari incumbit: vulgo *Durazzo*, nobis *Duras*, in Albaniæ Dalmatiæque finibus.

[y] *Corfinii*] De hac urbe diximus sup. l. II. cap. 16. not. l. quemadmodum de Brundisio l. I. cap. 14. not. n.

[z] *Et conditionibus*] Gallice, *par traité: par accommodement.* Vide sup. cap. 4. not. t.

[a] *Necessitudinis*] Id est, necessitatis. Interdum enim necessitudo sumitur pro vi quæ nos ad aliquid faciendum cogit. Sic apud Sallustium in Jugurtha: 'Coactus rerum necessitudine statuit armis decertare.'

[b] *Massilia*] Vide lib. II. cap. 15. not. r.

consilio prudentior, intempestive principalium armorum arbitria captans,[f] quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio[8] consulari ac Petreio prætorio fuerat, ipsius adventus[9] vigore ac fulgore occupatus, se Cæsari tradidit. Uterque legatorum, et quisquis cujusque ordinis sequi eos voluerat, remissi[10] ad Pompeium.

51. Proximo anno [U. c. 706. a. Chr. n. 47.], cum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio castris Pompeii teneretur,[11] (qui, accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque, tetrarcharum,[12 c] simulque dynastarum[d] copiis, immanem exercitum confecerat, et mare præsidiis classium, ut rebatur,[1] sepserat, quo minus Cæsar legiones posset transmittere) sua et celeritate et fortuna C. Cæsar usus, nihil in mora habuit, quo minus et[e] cum vellet,[2] ipse, exercitusque classibus perveniret, et primo pæne castris Pompeii sua jungeret,[g] mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quam obsessis, erat gravior. Tum Balbus Cornelius,[f] excedente humanam fidem temeritate,

[f] *Volens præponere arbitra esse bellorum*, quæ erant *inter principes* Reipublicæ.
[g] *Nullum reperit impedimentum, quominus ipse cum exercitu perveniret navibus, cum vellet*, Dyrrhachium, *et primo poneret* castra *vicina Pompeii castris.*

Ed. Clud. *alienatis*.—8 Ita Cod. a correctoris manu, quæ in *Africanio* medias literas i et c eraserat. Ed. pr. *Africano*.—9 Ita correxit Ed. Basil. Ed. pr. *adventu*.—10 In Ed. Basil. Ed. pr. *remisit*.—11 Ita Ed. Basil. Cod. *ac vicinia ei urbi regi castris Pompeio retinetur*, sed puncto deletili literæ *o* superimposito; unde emicat verum *Pompei*, h. e. *Pompeii*, Ed. pr. *ac vicina ei urbi regio castris Pompeio retinetur*. Vascos. *retineretur*.—12 Sic Ed. pr. Cod. *regumque tetarcharum*: Ed. Basil. *regumque et tetrarcharum*.—1 Ita Rhenan. Ed. pr. *virebatur*.—2 Ruhnken. excidisse putat *et quo vellet*. Acidal. tentabat: *quo vellet*

NOTÆ

[c] *Tetrarcharum*] Tetrarcha Græca voce denotat eum qui quartam regni partem obtinet.

[d] *Dynastarum*] Dynastes Græca quoque voce (δυνάστης) significat eum, qui plurimum potest; ut in civitate Magistratus.

[e] *Quo minus et*] Illud quam vim habeat, Acidalium non puduit fateri, se nescire. Quare sic emendabat: *quominus, et quo vellet, &c.* Melius Vossius: *quominus eo, cum vellet, &c.* Nimirum Dyrrhachium, non vero Brundisium, ut idem Vossius, opinor, incogitans scripsit.

[f] *Balbus Cornelius*] Inverte voces,

ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus consule,[3] dubitante, quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniensis[5] natus,[4] sed Hispanus in triumphum et pontificatum[h] assurgeret, fieretque ex privato consul.[5 i] Variatum deinde præliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero,[k] quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites.

52. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam[l] petiit.[h] Pompeius, longe diversa aliis[6] suadentibus, (quorum plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret: neque hercules quicquam partibus illis salubrius fuit:[i] alii, ut bellum traheret, quod dignatione[7] partium[m] in dies ipsis

[h] *Tum Cæsar exercitum duxit in Thessaliam, fato destinatam suæ victoriæ.*
[i] *Neque sane quicquam utilius fuit illis partibus.*

pro *cum vellet*. Vossius: *quominus eo cum vellet*.—3 Interpunxit ita Ed. Basil. Ed. pr. *cum Lentulo collocutus, Cos. dubitante*.—4 Ita Lips. Ed. pr. *non Hispaniæ Asiæ natus*: Ed. Basil. *non Hispaniæ Gadibus natus*. Hottinger. Mus. Turic. *Hispania, at cive natus*.—5 Ita Ruhnken. Ed. pr. *consularis*.—6 Herel. *amicis*.—7 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *quod dignationi partium in dies ipsis*. Cod.

NOTÆ

ac lege, *Cornelius Balbus*.

[5] *Hispaniensis*] Afferri solet hoc discrimen inter hujusmodi voces, *Hispaniensis* et *Hispanus*; quod Hispaniensis vocetur, qui in Hispania quidem natus est, sed parentibus alibi, quam in Hispania natis; Hispanus vero, qui et in Hispania natus est, et parentibus in Hispania natis.

[h] *In triumphum et pontificatum*] Id prorsus novum, nam solis civibus ad magistratus et ad publicos honores aditus patebat.

[i] *Consul*] Alii legunt *consularis*, quod idem est ac consul; quippe Vossius affirmat, quemcumque consulatus extulit, sive gerat illum, sive gesserit, eum recte dici posse insignem consulari dignitate, ac proinde virum consularem, sive consularis dignitatis.

[k] *Pompeianis prospero*] Adeo quidem, ut Cæsar diceret: 'Actum de nobis erat, si hostis scivisset uti victoria.'

[l] *Thessaliam*] Ora Thessaliæ inter Penei fluvii ostia ad Boream, et Thermopylas ad austrum continetur. Ea regio nunc *Janna* dicitur pro maxima parte, teste Brietio, subestque dominio Turcarum. Ejus primariæ urbes sunt *Janna*, et *Larissa*: inter minores est *Pharsalus*, de qua mox infra.

[m] *Quod dignatione partium*] Interpretatus sum, dignitate partium; Gallice, *éclat, bonne reputation*. Quæ interpretatio nititur aliquot Velleii locis, in quibus *dignatio* aliter, ac interpretor, accipi non potest. 1. Tantæ dignationis homines. 2. Dignatio Octavii. 3. Dignatione Brutus obruerat Vatinium, cum extorsit legiones. Ad Velleium Suetonius accedat in Vesp. Exin sortitus Africam integerrime, nec sine magna dignatione ad-

magis prosperum fieret)[k] usus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam,[n] et illum cruentissimum Romano[8] nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, et collisa[9] inter se duo reipublicæ capita, effossumque[o] alterum Romani imperii lumen, tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus.[l] Illud notandum est: ut primum C. Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem,[p] neque prius, neque antiquius, quicquam habuit, quam (ut) in omnes partes***[10] q

[k] *Ut in longum duceret bellum, quod in dies fieret magis secundum partibus, ipsarum dignitate.*

[l] *Brevitas hujus operis non sinit* me fuse *narrare prælium Pharsalicum, et illum diem adeo cruentum Romanæ genti, et tantum sanguinis profusum ab utroque exercitu, et gravem conflictum duorum capitum reipublicæ, et* quasi *alterum oculum Romani imperii erutum, et cædem tot et tantorum hominum ex partibus Pompeii.*

---

quod dignationi partem indie ipsiis.—8 Ita Ed. pr. Cod. *Romani nomini.*—9 Sic Ed. Basil. Cod. et Ed. pr. *consilio.* Rhenan. *commissa.* Burer. *consiliunt.*—10 Locus aperte lacunosus, ut viderunt Schefferus Misc. Obs. Vol. VIII. p. 460. Burmannus et Ruhnkenius; sed neque particula *ut*, quam Vascosanus et Editor Basil. restituerunt, neque elapso vocabulo militari laborat; verum etiam desiderantur plura, quæ rem narratam declarabant, quam quidem cum Burmanno, Brutum in Pompeii castris militantem a Cæsaris de conservando eo anxii militibus dimissis conquisitum, (v. Appian. B. C. II. 112. Plutarch. Cæs. 46. et 62. Brut. 5.) esse ob statim sequentia existimo. Itaque lacuna post *partes* asteriscis monstrata est. At verba uncis inclusa de glossemate scioli hominis, vel ad vocabulum *dimittere*, vel ad aliud, lacuna haustum, margini olim ascripto, suspecta visa sunt. Insulsum enim est, scriptorem, qui vocabulo *militari utatur*, simul etiam *consuetudine militari se uti*, quod potius Cæsaris erat, dicere. Itaque in his emendandis: *ut militari verbo ex* s. *e consuetudine utar*, Lipsius et Heinsius operam suam perdidisse

NOTÆ

ministravit. Legitur etiam apud Ciceronem in Epist. lib. x. 10. ad Attic. de dignatione laborare; scilicet, *de dignitate*, ut ibidem explicat scholiastes.

[n] *Pharsalicam*] Hæc inter Cæsarem et Pompeium pugna Pharsalica dicta est a campis Pharsalicis, sive qui urbem Pharsalum circumjacent. Pharsalus autem urbs est Thessaliæ, ad Enipeum fluvium, qui in Peneum decidit.

[o] *Effossumque*] Alii legunt *effusumque:* sed Rhenano ac Vossio nihil certius est, quam Velleium scripsisse, *effossum:* quod ducta prius e capitibus metaphora postulat. Unde subjicit allegorice *lumen* pro oculo. Quam lectionem Vossius stabilit maxime auctoritate Virgilii Æneid. III. ubi de Polyphemo: 'et ad æquora venit, Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.'

[p] *Inclinatam aciem*] Dicitur acies, sive exercitus inclinari, cum retro cedit, et in fugam convertitur. Gallice, *Armée en déroute.*

[q] *Quam (ut) in omnes partes*] Lipsius

[ut militari et verbo et consuetudine[r] utar] dimitteret. Pro Dii immortales! quod hujus voluntatis erga Brutum[s] suæ postea[11] vir tam mitis pretium tulit? Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem, nisi acie consumtum, civem patria desideravit:[m] sed munus misericordiæ corrupit[12] pertinacia; cum libentius vitam victor jam daret,[1] quam victi acciperent.

53. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque[2] filio, et Favonio prætorio, quos comites[t] ei fortuna aggregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, in qua[3] fidelissimum partium suarum haberet regem Jubam,[u] suadentibus, Ægyptum petere proposuit, memor beneficiorum,[x] quæ in patrem ejus Ptolemæi, qui tum pue-

[m] *Cum patria nullum civem amiserit, præter eos qui cæsi fuerant in prælio.*

---

videntur. Priora Editor Basil. lacunam non suspicatus, edidit: *quam ut omnes patres.* Ruhnken. vero, ad *verbum* magis *militare*, quam ad rem, in seqnentibus monstratam, attendens, lacunam explere tentavit: *quam ut in omnes partes præcones clamantes*, parce civibus, *ut militari, &c.* Kraus.—11 Ita correxit Rhenan. Ed. pr. *post eam.*—12 Ed. pr. *corrumpit*, sed correxit Rhenan. —1 Ita scripsit Burer. e vestigiis Cod. apparentibus. Ed. pr. *victoriam dare:* Rhenan. *victores darent:* Ed. Basil. *victor daret.*—2 Ita Burer. Ed. pr. et

NOTÆ

vult scribi, *quam ut omnes partes*, hoc sensu: Nihil antiquius habuit Cæsar, quam ut omnes adversarios suos incolumes dimitteret, ac militum sævitiæ subduceret. Lipsii lectio retineri potest; sensum sic muto: Nil prius et antiquius Cæsar habuit, quam ut posito utrimque partium odio omnes dimitteret. In Velleii vero verbis, *ut*, subaudies, auctore Vossio, non repones.

[r] *Ut militari et verbo et consuetudine*] Quodnam illud militare verbum? Lipsius arbitratur esse, *partes*: non placet. Vossius placet magis: quippe hoc militare verbum censet esse, *dimitteret*. Nam quos milites imperator ab exercitu cogit abscedere, quorum opera non amplius vult uti, eos Latine uno verbo dicitur dimittere: Gallice, *licentier*. Velleius autem profitetur hoc verbo se ex consuetudine uti; quippe qui diu miles fuerit.

[s] *Voluntatis erga Brutum*] Bruto nimirum Cæsar timuerat, cum non compareret; salvumque postea lætus et benigne exceperat.

[t] *Quos comites*] In aliquibus libris inserta sunt duo verba: *quos victores darent comites, &c.* Hæc vero, cum in multis Mss. non appareant, cum Thysio et aliis non edidimus. Aliqui legunt: *quos, victore Cæsare, comites ei fortuna aggregaverat:* sed paulo audaciores videntur.

[u] *Jubam*] Rex erat Mauritaniæ. Victo Pompeio cum Scipione copias conjunxit.

[x] *Memor beneficiorum*] Scilicet Pom-

ro, quam juveni, propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is jam a Mytilenis[y] Corneliam uxorem receptam in navem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti et Achillis[z] exciperent, hortarenturque, ut ex oneraria in eam navem, quæ obviam processerat, transcenderet. Quod cum fecisset, princeps Romani nominis,[a] imperio arbitrioque Ægyptii mancipii, C. Cæsare, P. Servilio consulibus, [U. c. 706. a. Chr. n. 47.] jugulatus est. Hic post tres consulatus et totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut, cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in ætate[4] tanti, et pæne nostri sæculi viri fefellit quinquennium?[a] cum a C. Atilio et Q. Servilio consulibus, tam facilis[5] esset annorum digestio.[o] Quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer.

54. Non fuit[6] major in Cæsarem, quam in Pompeium

[a] *Primus Romanæ gentis.*
[o] *Cum tam facilis esset ordinatio annorum a consulatu C. Atilii et Q. Servilii.*

Cod. *sextoque.*—3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *quo.*—4 Ita Cod. Ed. pr. *Achillæ.*—4 Ita Rhenan. Ed. pr. *ætatem.*—5 *Felix* Ed. pr.—6 Ita Ed. pr. et Ed. Basil. Ed. Ald. Lugd. Bat. 2. aliæque: *Non fuit tamen* e conjectura

NOTÆ

peius Ptolemæum Auleten in regnum restituerat. Hic Ptolemæus, pater Cleopatræ, fuit vitæ adeo mollis, ut etiam choraulam exerceret: unde nomen Auletæ nactus est. Ab Alexandrinis regno pulsus, ad Pompeium confugit: a quo senatui commendatus, a Gabinio in regnum reductus est.

[y] *Mytilenis*] Urbs est Lesbi insulæ primaria: a qua tota insula hodie nomen accepit, vulgo, *Metelin.*

[z] *Theodoti et Achillis*] Alii *Achillæ.* Theodotus Ptolemæo præceptor erat: Achillas autem militiæ præfectus.

[a] *Fefellit quinquennium*] Hunc errorem Plutarchus et Appianus erraverunt, ut docet Sigonius in Fastis.

fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. Quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum, alteri superstiti, meritas pœnas luere suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique vivebat[7] nomine:[b] quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum, quod ciebat rex Juba et Scipio, vir consularis, ante biennium, quam extingueretur Pompeius, lectus ab eo socer.[c] Eorumque copias auxerat M. Cato,[d] ingenti cum difficultate itinerum, locorumque inopia,[e] perductis ad eos legionibus: qui vir, cum summum ei a militibus[8] deferretur imperium, honoratiori[f] parere[9] maluit.

55. Admonet promissæ brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Cæsar, pervectus[10] in Africam, quam, occiso Curione,[g] Julianarum duce partium,[h] Pompeiani obtinebant exercitus. [U. c. 708. a. Chr. n. 45.] Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit

---

Burer. Cod. *Non fuit no*, &c.—7 Ita ex correctione Lips. Cod. et Ed. pr. *Jubæ nomine:* Ed. Basil. Scalig. Gryph. Marneff. Stephan. aliique *Jubæ* deleverunt, quod deest etiam in Ed. Lugd. Bat. 2. Manut. conj. *vivens*, s. *vigens*.—8 Ita Cod. Ed. pr. *ambitus*.—9 Sic Burer. correxit ex *parare*, quod est in Cod. et Ed. pr.—10 Ruhnken. conj. *pervectus est*, s. *per-*

NOTÆ

[b] *Adhuc ubique vivebat nomine*] Cum vulgo legeretur, *Jubæ nomine*, quidam restituebant, *vigens*, alii, *vivens*, *ibat*, *vivebat*. Alii vero penitus deleverunt: quo modo a Gryphio, Marneffio, Stephano, et Thysio fuit editum.

[c] *Lectus ab eo socer*] A Pompeio, qui Corneliam, Q. Metelli Scipionis e Lepida filiam, duxerat uxorem. Eadem Crasso primum nupserat.

[d] *M. Cato*] Qui postea vocatus est Uticensis.

[e] *Locorumque inopia*] Intelligi potest inopia in victu et potu. Sed forte, quod Vossius observat, legi debet, *liquorumque inopia*: quod olim fuisset scriptum, *Licorumque*; quod mirum videri non debet. Nam ita scribebant veteres: ut, *inicus* pro *iniquus*: *cum* pro *quum*: *locutus* pro *loquutus*, &c. Maxime vero suadet Lucanus, ut sequar hanc lectionem, cum describit siccum Catonis iter lib. IX. Phars.

[f] *Honoratiori*] Scilicet Scipioni, viro consulari, cum ipse Cato tantum esset prætorius.

[g] *Occiso Curione*] Eum principio belli a Cæsare missum in Africam cum omnibus copiis Juba deleverat.

[h] *Julianarum partium*] Cæsaris partium, quæ a Julii cognomine sic dictæ sunt.

sua;[11] inclinataeque hostium copiae. Nec dissimilis ibi adversus victos, quae[12] in priores, clementia Caesaris fuit. Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense [U. c. 709. a. Chr. n. 44.], (nam victus ab eo Pharnaces[k] vix quicquam gloriae ejus astruxit,) quod Cn. Pompeius, Magni filius, adolescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat, undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est: sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum praelium,[l] adeo ut, plus quam dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denuntiaret militibus, vestigio se non recessurum; proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent. Verecundia magis, quam virtute, acies restitutae:[m] et a duce,[1] quam a milite, fortius. Cn. Pompeius, gravis vulnere, inventus inter solitudines avias, interemtus est.[p] Labienum Varumque acies abstulit.

56. Caesar omnium victor, regressus in Urbem, quod

[p] *Et magis animo ducis, quam militum. Cnaeus Pompeius, repertus inter loca deserta, tarde fugiens ob vulnus, interfectus est.*

---

vectusque...exercitus ibi, &c.—11 Ita correxit Acidal. probantibus Ruhnken. Lips. Voss. et Gruter. Ed. pr. *varia fortunam expugnavit via*, et ita Ed. Lugd. Bat. 2. pro quo Ed. Basil. *variam for. expugnavit*.—12 *Quae* ex sua conjectura dedit Kraus. quod recepit Clud. Ed. pr. aliaeque eam sequentes, *quam*. Ruhnken. *quam in priores* de glossemate suspecta expungenda censet.—1 Ita emendavit Ruhnken. lectionem Cod. *res. C. A. duce*. Ed. pr. *res. sunt a*

NOTÆ

[1] *Varia fortuna, mox pugnavit sua*, &c.] Alii legunt *varia fortunam expugnavit via*; quae lectio tolerari quidem potest. *Sua*, id est, solita felicitate.

[k] *Victus ab eo Pharnaces*] Rex Ponti. Vix autem quicquam Caesaris gloriae victus attulit: quia Caesar eum aggressus, uno praelio obtrivit. Hinc Caesaris vana de se praedicatio, prius victum hostem, quam visum. Hinc, inquam, illa tria verba vulgatissima: *veni, vidi, vici*, quorum titulum in triumpho inter pompae ferculæ praeferri voluit.

[l] *Initum praelium*] Ad Mundam urbem Hispaniae Baeticae, excisam, adhuc *Munda*.

[m] *Acies restitutae*] Verbum militare: Gallice, *Les troupes se rallièrent*.

humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit, et[2] magnificentissimis gladiatorii muneris, naumachiæ,[q] et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique[n] per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho,[o] Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili[p] constitit. Pecunia ex manubiis[q] lata paulo amplius sexies millies HS.[r] Neque illi tanto viro, et tam clementer omnibus victoriis[3] suis usæ, plus quinque mensium principalis quies contigit.[r] Quippe cum mense Octobri in Urbem revertisset, Idibus Martiis,[s] [U. c. 710. a. Chr. n. 43.] conjurationis auctoribus[t] Bruto et Cassio, quorum alterum promittendo consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat; adjectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, et fortuna partium ejus in summum evectis[4] fastigium, D. Bruto et C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemtus est. Cui magnam invidiam conciliarat

[q] *Ludi gladiatorii, pugnæ navales.*

[r] *Tantus ille vir, et tam clementer usus omnibus victoriis suis, non plus quinque mensibus fruitus est* placida *auctoritate principis* in republica.

[s] *Decimo quinto Martii.* [t] *Participibus cædis.*

---

duce.—2 *Et* inseruit Ruhnken., quod abest ab Ed. pr. Burer. *magnificentissimisque.*—3 Ita Ed. Basil. Cod. *victoribus*: Ed. pr. *omnibus uso.*—4 Ed. pr.

NOTÆ

[n] *Epulique*] Significatur publicum convivium, quale interdum civibus instrui solebat, vel a triumphantibus, vel in templi dedicatione. Epulum tamen invenies quandoque pro privato convivio, ut epulas pro publico.

[o] *Ex acantho*] Quid sit acanthus haud liquido constat. Æneas Vicus, Parmensis, existimavit herbam esse. Nititur auctoritate Dioscoridis l. III. c. 17. et Virgilii Æneid. I. qui docent aliquando vestes ex acantho confectas esse. Quare in Pontico triumpho vult ex acantho contextas fuisse militum chlamydes. Assentiri Vico Vossius nequit; nam censet Velleium de triumphali curru, et oppidis in triumpho prælatis solum loqui. Unde acanthum non herbam, sed Ægyptiam arborem esse pronuntiat.

[p] *Rasili*] Id est, polito, levigato, non vero cælato: Gallice, *brunî*.

[q] *Ex manubiis*] Vide sup. lib. II, c. 40. n. g.

[r] *Sexies millies HS.*] Juxta superiorem computationem: *quarante-cinq millions de livres.*

M. Antonius, omnibus audendis paratissimus,[3] consulatus collega, imponendo capiti ejus, Lupercalibus[4] sedentis pro rostris, insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus[5] videretur.

57. Laudandum experientia consilium est Pansæ atque Hirtii, qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitum armis teneret. Ille dictitans, mori se, quam timere,[6] malle, dum clementiam, quam præstiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus[u] est; cum quidem plurima[7] præsagia[x] atque indicia Dii immortales futuri obtulissent periculi. Nam et haruspices præmonuerant, ut diligentissime Iduum Martiarum caveret diem; et uxor Calpurnia territa nocturno visu,[y] ut ea die domi subsisteret,

---

revectis.—5 Ita restituit Rhenan. Cod. et Ed. pr. *id repulsum, ut non offensum* v.—6 Sic correxit Oudendorp. ad Sueton. Cæs. c. 86. Ed. pr. *timeri.*—7 Cod.

NOTÆ

[3] *Omnibus audendis paratissimus*] Infrequens est hic casus. Ecce tamen simile quid apud Quintil. l. VIII. c. 3. 'idem certaminis paratior.' Imo ecce genitivum casum cum hoc adjectivo nomine: 'Fuit hic vir non solum eruditissimus, sed etiam civis reipublicæ maxime, tuendæque civitatis paratissimus.' Cic. de Leg. II. 66.

[4] *Lupercalibus*] Solennibus quibusdam sacris, quæ mense Februario celebrabantur a Lupercis in honorem Panos pastorum Dei.

[u] *Ab ingratis occupatus*] Ita vertit Passeratius: occisus est ab iis, quos occidere debebat.

[x] *Plurima præsagia*] 1. Paucos ante menses in tumulo, ubi Capys conditor Capuæ sepultus erat, ænea tabula reperta est, conscripta literis verbisque Græcis, hac sententia: 'Quando ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo prognatus consanguineorum manu necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.' 2. Proximis ante suam necem diebus Cæsar equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone consecraverat, vagosque sine custode dimiserat, pabulo pertinacissime abstinere comperit. 3. Pridie idus Martias avem Regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, variæ volucres e proximo nemore insecutæ discerpserunt.

[y] *Territa nocturno visu*] Ea nocte, cui dies cædis illuxit, visum est Calpurniæ fastigium domus collabi: visus ipsi vir in suo gremio confodi; se subito cubiculi fores sponte patuerunt. Hac ipsa nocte visus ipse sibi est per somnum volitare modo supra nubes; modo dextram cum Jove conjungere. Hæc autem, ut superiora, solum Vossii fide tradidi. Propter tot præsagia, simul et ob infirmam valetudinem, diu cunctatus Cæsar, an domi se contineret, et, quæ apud Senatum proposuerat, agere differret; tandem hortante D. Bruto, ne frequentes ac dudum opperientes destitueret, hora fere nona progressus est. Libellus insidiarum index ab obvio

erabat; et libelli conjurationem nuntiantes, dati ab obvio,[8] neque protinus lecti erant. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscumque[9] fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

58. Quo anno id patravere facinus Brutus[10] et C. Cassius, prætores erant: D. Brutus consul designatus. Hi una cum conjurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere, cum consul Antonius (quem cum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Cæsaris abolendum, (M.)[11] Brutus repugnaverat, dictitans: nihil amplius civibus præter tyranni, ita enim appellari Cæsarem facto ejus expediebat, petendum esse sanguinem) convocato senatu, (cum jam Dolobella, quem, substituturus sibi, Cæsar designaverat consulem, fasces[z] atque insignia corripuisset consularia)[12] velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto in-

---

plurimi.—8 Ita ex emend. Burmann. ex Sueton. Cæs. c. 81. probante Fabricio ad Dion. XLIV. 18. Ed. pr. et Lugd. Bat. *dati, ab eo:* Heins. *dilati ab eo:* Ruhnk. *delati ad eum:* Clud. *condito ab eo.*—9 Sic Ed. Basil. Ed. pr. *cujus quam.* Cod. *cujus cum.*—10 Heins. probante Ruhnken. *M. Brutus.*—11 *M.* abest ab Edd. vett., sed inserendum hic, ut et supra, judicat Ruhnken.—12 Ita scripsit

NOTÆ

inter eundum porrectus est. At ceteris illum libellis, quos sinistra tenebat, quasi mox lecturus commisceuit. Deinde pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam spreta religione, Spurinnam ridens, et falsum arguens, quod sine ulla mora Idus Martiæ adessent: cui Spurinna, 'Venerunt,' inquit, 'non præterierunt.' Ergo assidentem conjurati circumsteterunt: atque illico Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi rogaturus aliquid, accessit propius. Cæsare renuente, et gestu in aliud tempus differente, togam ab utroque humero Cimber apprehendit vociferans: 'Ista quidem vis est.' Tum Cassius adversum vulnerat infra jugulum. Cæsar Cassii brachium arreptum graphio transfixit: conatusque prosilire alio vulnere tardatus est. Verum cum animadvertisset undique se peti strictis pugionibus, toga caput obvolvit, atque ita tribus et viginti plagis confossus cecidit.

[z] *Fasces*] Erant Magistratuum Romanorum insignia, quæ illis præferebantur a lictoribus. Consulibus duodeni fasces: Proconsulibus et Proprætoribus seni præferebantur. Illorum figura erat hujusmodi: securis ita virgis involvebatur, ut acies ferri solum emineret, reliqua pars circumducto loro tegeretur. Quod a Romanis eo consilio fuit usurpatum, ut ostenderent Magistratus, in animendo supplicio, ira præcipites esse non oportere: eosque habere fasces, sed colligatos, et non

terfectoribus Cæsaris dedit: et illud decreti Atheniensium[a] celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis præteritarum rerum decreto patrum comprobatum est.

59. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octavium, nepotem sororis suæ Juliæ, adoptabat. De cujus origine, etiamsi prævenit,[b] et***[1] pauca dicenda sunt. Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic prætor inter nobilissimos viros creatus primo loco, cum ei dignatio Julia genitam Atiam[2] conciliasset uxorem,[3] ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea[3] Imperator,[c] decedens ad petitionem consulatus obiit, præ-

[a] *Cum pro sua dignitate duxisset uxorem Atiam filiam Juliæ.*

Ald. Nep. Ed. pr. *Cos.*—1 Lacuna laborare hunc locum putabamus, sic fere ex Sueton. Aug. 2. et Cic. Phil. III. 6. explenda: *etiamsi prævenit, et ignobilitatem obscuritatemque patris confutavit, pauca, &c.* Ed. pr. *etiam si prævenit et, pauca:* Rhenan. *præventis et pauca.* Vascos. ejecit verba: *si prævenit.* Acidal. *etiamsi properanti, heic s. sed pauca dicenda sunt.* Voss. et Boecler. *etiamsi prævenit, et pauca:* Heins. *etiam si prænitet*, quod placet Oudendorpio ad Apulei. Met. v. p. 360. et Ruhnkenio, vel levi mutatione, *præniteat.* Burmann. *etiamsi per se nitet, pauca.* Kraus.—2 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *Acciam*, ut infra c. 60. *Acciæ*, pro *Atiæ.*—3 Sic Ed. Basil. *in eam* Ed. pr.—4 Ita cor-

NOTÆ

sine causa dissolvendos. Præterea ut, si subito Magistratus excanduisset, hac mora, dum virgæ aut securis expediretur, furor ille subsideret.

[a] *Et illud decreti Atheniensium*] Sensus est: Et patres decreverunt sequi Atheniensium exemplum, a Cicerone relatum; et idem facere decretum oblivionis præteritarum rerum. Cum autem Cicero istud Atheniensium decretum retulerit; ex illo, quale sit, accipiamus. Sic ait Philip. I. 'Nec vero discedebam, nec a republica dejiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis; Atheniensiumque renovavi vetus exemplum. Græcum etiam verbum (*τῆς ἀμνηστίας*) usurpavi, quo tum in discordiis sedandis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Quare decreto illo Atheniensium celeberrimo intelligitur, *ἀμνηστίας ψήφισμα*, decretum seu lex oblivionis.'

[b] *Etiamsi prævenit*] Aliqui legunt: *etiamsi properanti, hic pauca dicenda sunt.* Verum scribe, ut erat in autographo: *etiamsi prævenit.* Nam Augustus ipse suam vitam perscripsit, ubi de majoribus suis tractat: quod vel hæc sola Suetonii verba declarant. Nam ubi sententias aliorum retulit, subjicit: 'ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia se ortum esse dicit; sed veteri ac locuplete, et in qua primus Senator pater suus fuerit.'

[c] *Imperator*] Ubi reperies hunc ti-

textato relicto filio.[x] Quem C. Cæsar, major ejus avunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit ut suum, natumque annos XVII.[4] Hispaniensis militiæ, assecutum se, postea comitem habuit,[y] nusquam aut alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo: pontificatusque sacerdotio puerum honoravit; et patratis[5] bellis civilibus, ad erudiendum[6] liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis, Apolloniam[d] eum in studia miserat, mox bello Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut est nuntiatum de cæde avunculi, cum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam[7] suorumque militum operam ei pollicerentur,[8] neque eam spernendam Salvidienus et Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in Urbem, omnem ordinem[9] et necis et testamenti Brundisii comperit. Cui, adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: et cum intraret Urbem, solis orbis [super caput ejus][10] curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

60. Non placebat Atiæ[11] matri, Philippoque vitrico, adiri nomen[e] invidiosæ fortunæ Cæsaris, sed asserebant[f] saluta

[x] *Relicto filio infra quatuordecim annos.*

[y] *Et annos natus octodecim ex quo se* Cæsarem *attigisset*, eum *postea secum habuit in Hispaniensi bello.*

---

rexit Oudendorp. ab Sueton. Aug. VIII. Ed. pr. *XVIII.*—5 Ita Vascos. et Ald. Nep. Ed. pr. *paratis:* Ed. Basil. *peractis:* Vulg. *pacatis.*—6 Rubnken. mavult *erudiendam.* Mox dedit Vascos. *indolis*, quod et viro docto cuidam in Ed. Lugd. Bat. 2. placuit, quodque probat Burmann.—7 Ed. pr. *suas.*——8 Ita Ed. pr. Cod. *pollicentur.*—9 Ed. pr. *ordinationem.*—10 Hæc uncis inclusa Heynio suspecta erant. Hottinger. Cl. conjecit *solis orbis super caput ejus, curvatum æqualiter rotundatumque versicolorem arcum velut*, &c.—11 Cf.

NOTÆ

tulum, si is, qui gaudet eo, rerum non potitur, interpretare semper ducem victorem.

[d] *Apolloniam*] Plures sunt urbes hoc nomine: sed quæ hic intelligitur, optimis olim legibus instituta, sita est in regno Albaniæ, et *Piergo* vulgo dicitur.

[e] *Adiri nomen*] Id est, ut adiret hæreditatem Cæsaris, atque susceptione nominis illius, invidiam quoque, quæ Cæsaris fortunam comitabatur. Adire nomen dicitur, qui testamento adoptatus, suscipit nomen adoptantis.

[f] *Sed asserebant*] Sensus est: Sed aliter constitutum erat salutaribus Reipublicæ terrarumque orbis fatis, quæ eum vocabant, ut conditor con-

fia reipublicæ terrarumque orbi[12] fata conditorem conservatoremque Romani nominis. Sprevit itaque cœlestis animus humana consilia; et cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi, maluitque avunculo et Cæsari[g] de se, quam vitrico, credere,[1] dictitans: nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum[2 h] videri indignum. Hunc protinus Antonius consul superbe excipit, (neque is erat contemtus, sed metus,) vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit: mox etiam, velut insidiis ejus petitus, sceleste insimulare cœpit; in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est.[i] Aperte deinde Antonii ac Dolobellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. HS. septies millies,[j] depositum a C. Cæsare ad ædem Opis,[k] occupatum ab Antonio: actorum ejusdem, insertis falsis, civitatibusque***[l] corrupti commentarii:[3] atque omnia pretio temperata, vendente rempubli-

[i] *In quo, ad ejus dedecus, detecta est calumnia.*

supra cap. 59.—12 Ita Burm. et Ruhnken. Ed. pr. *orbis*.—1 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *cedere*.—2 Lips. in margine libri Bibl. Leid. *semetipsum sibi videri indignum*, quod probat Ruhnken. Ursin. *sibimet ipsum*.—3 Ed. pr. *actorum ejusdem insertis falsis, civitatibusque corruptis commentariis*. Ed. Basil. *actorum ejusdem insertis falsis indubitateque corruptis commentariis*. Ald. Nep. *insertis falsis, sublatisque*. Ursin. *insertis falsis civitatibus, corruptisque*. Lips. *commutatisque et corruptis*. Heins. *civitatisque corruptis c.* Burmann. lacunam suspicatur, quam *civitatibusque* occupaverit, latereque forsitan *a Taberioque*, Cæsaris scribæ nomen. Ruhnken. interpungit et emendat: *actorum ejusdem, insertis falsis, vitiatique et corrupti commentarii*. Omnes laborarunt de voce *civitatibusque*, post quam si lacunam quædam de beneficiis civitatibus, dynastis, regibusque ex commentariis Cæsaris corruptis, ab Antonio concessis (Cic. Phil. v. 4.) hausisse posueris, Ruhnkeniique emendationem et interpunctio-

NOTÆ

servatorque Romani nominis esset.

[g] *Et Cæsari*] Sensus hujus voculæ est: Maluit primo ut avunculo, deinde ut Cæsari tanto viro de se credere, quam vitrico.

[h] *Semetipsum*] Forte, quod Ursinus putat, legendum est, *sibimet ipsum*.

[j] *HS. septies millies*] *Cinquante deux millions et demi de livres.*

[k] *Ad ædem Opis*] Intellige templum. Ops vero eadem est ac Cybele, aut Rhea, Cœli ex Vesta filia; et soror et conjux Saturni.

[l] *Insertis falsis, civitatibusque*] Rhenanus et Ursinus ediderunt, *insertis falsis civitatibus, &c.* quod probat Vossius. Verum emendatio Lipsiana melius exprimit, quot modis acta commentariosque Cæsaris corruperit Antonius: talis est; *insertis falsis, commutatisque et corruptis commentariis.*

cam consule. Idem provinciam D. Bruto designato consuli decretam, Galliam, occupare statuit; Dolobella transmarinas decrevit sibi. Interque naturaliter dissimillimos,[m] ac diversa volentes crescebat odium; eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.

61. Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas; indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cum C. Cæsar, XVIIII. annum ingressus,[4] mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, majorem senatu pro republica animum habuit. Primumque a Calatia,[5 n] mox a Casilino, veteranos excivit paternos.[o] Quorum exemplum secuti alii, brevi in formam justi coiere exercitus.[6] Mox cum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire jusserat, legio Martia et Quarta, cognita et senatus voluntate et tanti[7] juvenis indole, sublatis signis, ad Cæsarem se contulerunt. Eum senatus, honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita, ætatem ejus scriptura indicat, (qui honor non alii, per CCC. annos, quam L. Syllæ et Cn. Pompeio et C. Cæsari, contigerat,) pro prætore,[8 p] una cum consulibus designatis, Hirtio et Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit. [U. c. 711. a. Chr. n. 42.] Id[9] ab eo, annum agente vicesimum, fortissime circa Mutinam[q] administratum est; et

---

nem receperis; medicina facillima huic loco allata videtur. *Kraus.*—4 Heins. et Chishull. ad Monum. Ancyr. p. 178. leg. *XIX. annum egressus.* Ed. Bipont. Burm. et Lugd. Bat. 2. *XIX. annum ingressus.*—5 Ed. pr. *Galætia.*—6 Cod. *brevi in form. j. coire ex.* Ed. pr. *in brevi in form. j. coiere ex.*—7 Ruhnken. malit *tanta.*—8 Sic plurimi cum Sigon. Alii cum Ald. *proprætorem.* Ed. pr. *pro P. R.*—9 *Id*, quod aberat ab Ed. pr. restituit Ed. Basil.—10 *Se*, e literis

NOTÆ

[m] *Interque naturaliter dissimillimos*] Non Antonium ac Dolabellam, sed Antonium et Cæsarem Octavium.

[n] *A Calatia*] Vulgo, *Gaiazzo. Casilinum, la nouvelle Capouë.* Campaniæ sunt oppida.

[o] *Veteranos paternos*] Id est, milites qui sub patre suo militaverant. Hinc *evocati* dicti sunt, quod militia missi rursus ad eam convocarentur.

[p] *Pro prætore*] Alii legunt *proprætorem.* Is erat titulus eorum, qui paulo minore, quam consules, auctoritate valebant. Vulgo tamen iis solum tribuebatur, qui prætoris munere decesserant.

[q] *Mutinam*] Urbem Galliæ Cisalpinæ: vulgo, *Modene*, caput Ducatus

D. Brutus obsidione liberatus; Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam: consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit.

62. Omnia, ante quam fugaretur Antonius, honorifice a senatu in Cæsarem exercitumque ejus decreta sunt, maxime auctore Cicerone: sed, ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine ullo senatus consulto occupaverant, decretæ: laudati, quicumque his [se][10] exercitus tradidissent: omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. Quippe M. Brutus et C. Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere, testati edictis: libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum reipublicæ[11] constaret concordia, nec ullam belli civilis præbituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui; profecti Urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica, provincias exercitusque occupaverant, et ubicumque ipsi essent, prætexentes, esse rempublicam, pecunias etiam, quæ ex transmarinis provinciis Romam ab quæstoribus deportabantur, a volentibus acceperant. Quæ omnia senatus decretis comprehensa et comprobata sunt. Et D. Bruto, quod alieno beneficio[12] viveret, decretus triumphus. Pansæ atque Hirtii corpora publica sepultura honorata.[a] Cæsaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exerci-

[a] *Corpora Pansæ atque Hirtii humo mandata sunt* impensis *publicis.*

---

vicinis ortum, ejecit Editor Basil.—11 Sic Ed. Basil. Ed. pr. *resp.*—12 Sic

NOTÆ.

Mutinensis, qui nunc familiæ Estensi subest. Hanc urbem D. Brutus occupaverat, ut Antonio Galliæ Provinciæ aditum intercluderet. Quamobrem ibi ab Antonio obsidebatur.

[12] *Quod alieno beneficio*] Lipsius legit *qui alieno*, quod non sit triumphi causa, alieno vivere beneficio. Veram non animadvertit illud a Velleio dictum ironicè. Decretus est, inquit, Bruto triumphus; ob quas res gestas? quod incolumis evasit, non sua suorumve militum virtute, sed alieno beneficio, et Cæsaris victoria. Hic sensus, qui Boecleri est, nititur historiæ veritate. Brutus enim obsidione Mutinensi sic liberatus est, ut otiosus e muro prælium spectaverit.

tum ejus missi erant, juberentur, summoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat senatus. Nam, cum eam injuriam dissimulando Cæsar[12] ferret, negavere milites, sine imperatore suo ulla se audituros mandata. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum et tollendum censebat; cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.[s]

63. Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo per colloquia[13] repulsus[t] a M. Lepido, qui pontifex maximus in C. Cæsaris locum furto creatus,[u] decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur: mox sæpius in conspectum veniens militum, cum et Lepido omnes imperatores forent meliores, et multis Antonius, dum erat sobrius,[b] per aversa[1] castrorum,[x] proruto[2] vallo, militibus[3] receptus est: qui titulo imperii cedebat Lepido, cum summa virium penes eum foret.[c] Sub Antonii ingressum in castra Juventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus,[d] cum acerrime

[b] *Dum non erat ebrius.*
[c] *Cum ipse haberet præcipuam potestatem exercitus.*
[d] *Vir* cujus *mors vitæ similis fuit.*

Ed. Basil. Ed. pr. *Cæsari.*—13 Lips. leg. *spe colloquii*, non probante Gruter. —1 Ita Ed. Basil. probante Ruhnken. Ed. pr. *aversam.*—2 Sic Junt. et Ed. Basil. Ed. pr. *proruta.*—3 Heins. malit *a militibus.* Cf. supra cap. 20.—4 Ed.

NOTÆ

[s] *Aliud intelligi vellet*] Scilicet, laudandum aperte, sed occulte e medio tollendum. Nam *tollere* vox ambigua: significatque modo laudare, modo interficere.

[t] *Per colloquia repulsus*] Aliter Lipsius legit *spe colloquii repulsus*: quia Lepidus miscere cum Antonio sermones initio nolebat. Rejicitur a Grutero, lectionem nostram retinente tanquam veram et genuinam. Per colloquia vero quid intelligas? Crebros internuntios, per quos cum Antonio Lepidus egit, cum hic societatem abnueret: tamen, ut quod sentio dicam, Lipsii conjectura mihi videtur habere plus probabilitatis, maxime Dione clare testante, Lepidum colloquia et congressum cum Antonio diu abnuisse.

[u] *Furto creatus*] Istud aliqui sumunt pro *furtim, clam*: Passeratius autem vult eo sensu dici, quo furta belli dicuntur pro dolo, fraude, insidiis.

[x] *Per aversa castrorum*] Græca locutio, optimo cuique Latinorum usitata. Virgilio, 'opaca locorum.' Livio, 'per intima Italiæ vagatus.' Floro lib. I. 'ad subita belli.' Tacito et Horatio ubique passim.

suasisset Lepido, ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret, irritus consilii,[y] gladio se ipse transfixit. Plancus deinde[z] dubia, id est, sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adjutor D. Bruti, designati consulis, collegæ sui, senatuique se literis venditans, mox ejusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus proposito, et Julianis partibus fidus, Pompeianis adversus; uterque exercitus tradidere Antonio.

64. D. Brutus desertus primo a Planco, post etiam insidiis ejusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hospitis cujusdam nobilis viri, nomine Cameli, domo, ab iis,[4] quos miserat Antonius, jugulatus est, justissimasque optime de se merito viro C. Cæsari pœnas dedit. Cujus cum primus[5] omnium amicorum fuisset, interfector fuit, et fortunæ, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat,[a] censebatque æquum, quæ acceperat a Cæsare, retinere, Cæsarem, qui[6] illa dederat, perisse.[7] Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas. Sed hic fulgentissimo et cœlesti ore, at tribunus Canutius[8] continua[9] rabie lacerabat Antonium. Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, velut[10] satiato Antonio[a] pœna, finita.[f] Lepidus deinde a senatu hostis judicatus est, ut ante fuerat Antonius.

[a] *Refundebat.*

[f] *Ambobus illis ultio libertatis morte constitit. Sed proscriptio initium habuit a cæde tribuni; finem vero a nece Ciceronis, Antonii* crudelitate *veluti expleta.*

pr. *his.*—5 Ita Junt. et Ed. Basil. Ed. pr. *primis.*—6 Ita Ald. Nep. Ed. pr. *quia.*—7 Ita Rhenan. quem secutus est Ed. Basil. Ed. pr. **peris*, unde simul Rhenan. *perire* quoque conjecit, quod Junt. amplexus est.—8 Ed. pr. *Cannutius.*—9 Ruhnken. conj. *canina.*—10 Ita Putean. correxit et interpunxit. Ed. pr. *sed tribuni sanguine commissa, proscriptio Ciceronis vel satiato Antonio*

NOTÆ

[y] *Irritus consilii*] Id est, cum persuadere, quod suadebat, non potuisset.

[z] *Plancus deinde*] Ille discipulus Ciceronis, cujus in Epist. lib. VIII. et X. extant Planci literæ tum ad Senatum tum ad ipsum Ciceronem. Ille est, qui auctor Octavio fuit, ut cognomen Augusti caperet.

[a] *Satiato Antonio*] Innuit Velleius, Antonium proscriptioni demum renuntiasse oppresso Cicerone, cujus sanguinem ante ceteros avide sitierat.

65. Tum inter eum Cæsaremque et Antonium, commercia epistolarum; et conditionum[b] jacta[11] mentio,[c] cum Antonius subinde Cæsarem admoneret; et quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent; et in quod jam emersissent fastigium; et quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur; denuntiaretque, se cum Bruto Cassioque, qui jam decem et septem legionum potentes erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam; diceretque,[12] plus Cæsarem patris, quam se amici ultioni[1] debere. Igitur[2] inita potentiæ societas, et, hortantibus orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam et Cæsarem facta affinitas; cum esset privigna Antonii desponsa Cæsari. Consulatumque iniit Cæsar [U. c. 711. a. Chr. n. 42.] pridie, quam viginti annos impleret, x. Kal. Octobres,[d] cum collega Q. Pedio, post Urbem conditam annis DCCXI.,[3] ante LXXII. quam tu, M. Vinici, consulatum inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam Urbem inter captivos Picentium[e] in triumpho ductus erat, in ea consularem prætextam jungentem prætoriæ.[4 f] Idem hic postea triumphavit.

66. Furente deinde Antonio, simulque Lepido, quorum uterque, ut prædiximus, hostes judicati erant, cum ambo

---

pœna finita. Sed post *pœna* distinxit Ruhnken. in *Ciceronis* intelligens *sanguine.* —11 Burer. vult *facta.*—12 Herel. conj. *adjiceretque.*—1 Ed. pr. *ultione.*—2 Ita scripsit Rhenan. Ed. pr. **tur.* Burer. *tum.*—3 Ita correxit Ald. Nep. Ed. pr. *DCCVIIII.*—4 Sic Ed. Basil. correxit ex Ed. pr. *prætoria.*—5 Ruhn-

NOTÆ

[b] *Et conditionum*] Quibus inter se convenirent.

[c] *Jacta mentio*] Manutii lectione non opus est, *facta mentio.* Sic Tacitus: 'jacere fortuitos sermones,' &c.

[d] x. *Kalendas Octobres*] Id est, vigesimo primo Septembris. Ita Suetonius. Tamen Dio contra sentit. Nam scribit Augustum vita excessisse 14. Kalendas Septembres, quo die primum olim consulatum inierat. Eo redit quod Vossius apud Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 12. liquere dicit ex S. C. Augustum Sextili mense primum consulatum inisse. Hanc litem non est nostrum componere.

[e] *Inter captivos Picentium*] Id est, inter eos, qui in agro Piceno capti bello fuerant.

[f] *Prætoriæ*] Alii legunt *prætoria*; et errant, judice Vossio, qui emendant *prætoriæ*; nam ἔλλειψις est præpositionis *cum*, Velleio familiaris.

mallent, sibi nuntiari, quid passi essent,[5] quam quid emeruissent,[6] repugnante Cæsare, sed frustra adversus duos,[7] instauratum Syllani exempli malum, proscriptio.[g] Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo[8] Cicero proscriptus [est,][9] abscisaque[h] scelere Antonii vox publica est, cum ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni, (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio,) nihil, inquam, egisti, mercedem cœlestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicæ tantique consulis invitando[10] necem. Rapuisti tu M.[11] Ciceroni lucem solicitam, et ætatem senilem, et vitam miseriorem[i] te principe, quam sub te triumviro mortem:[k] famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem sæculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcumque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille pæne solus Romanorum animo

g Proscriptio renovata est, illud *malum* cujus *Sylla* dederat *exemplum*.

h Nihil, inquam, effecisti cum dedisti mercedem ei, qui occlusit *os* illud *divinum, et amputavit* illud *illustrissimum caput; et cum incitavisti* eum *ad occidendum tantum consulem, quondam conservatorem Reipublicæ, proposito necis pretio. Eripuisti tu Marco Ciceroni vitam* plenam *solicitudinis, ætate jam provecta, et vitam* quæ *infelicior* fuisset *sub tuo dominatu, quam fuit mors sub tuo triumviratu.*

---

ken. mendum suspicatur in *nuntiari*. Herel. malit *quid possent*.—6 Rhenan. *demeruissent*. Ed. Basil. *meruissent*.—7 Post *duos* Ruhnken. *uno* velit addendum.—8 Ita scripsit Rhenan. Ed. pr. *aut bullo*, unde idem Rhenan. conjecit etiam *ab illo*, quod a Junt. et Ed. Basil. receptum est.—9 Repetitionem τοῦ *est* post *proscriptus*, et mox post *publica*, damnat Herel. Cludius ex utroque loco expunxit.—10 Ed. pr. *irritando*, correxit Lips. recipientibus Ruhnken. et Ed. Bipont.—11 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Rap. tum*.—12 Ed. pr. *quam*

NOTÆ

5 *Quid passi essent*] Nempe, decreto Senatus.

h *Abscisaque, &c.*] Cicero proscriptus in Græciam fugam moliebatur. Dum autem paulum subsistit, a Popilio Centurione, quem in causa capitis defenderat, abscisso capite moritur 7. Decemb. ætatis quarto et sexagesimo anno.

i *Miseriorem*] Sic omnes ediderunt, cum vulgo legeretur *inferiorem*.

vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume; comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet:[i] omnisque posteritas illius in te scripta[k] mirabitur; tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum, quam *** cadet.[12 l]

67. Hujus totius temporis fortunam ne[1] deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam: adeo difficilis est hominibus utcumque conceptæ spei mora. Ne quid ulli sanctum relinqueretur, velut[2] in dotem invitamentumque sceleris,[3] Antonius L. Cæsarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proscriberetur. Eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, (et)[3] inter execrationem civium, usurpabant hunc versum: 'De Germanis, non de Gallis,[m] duo triumphant consules.'[n]

68. Suo præteritum loco referatur:[l] neque enim[o] persona

[i] *Et dum in integro durabit hoc corpus rerum naturæ, vel casu, vel consilio, vel quocumque modo compositum, quod ille* Cicero *prope solus Romanorum cognovit mente, ingenio comprehendit, illustravit eloquentia; tuebitur laudem Ciceronis comitem suæ durationis, &c.*

[k] *Velut in mercedem incitamentumque crudelitatis.*

[l] *Referamus rem quam omisimus suo loco.*

---

cedet. Deesse aliquid in h. l. suspicati sunt omnes Critici. Rhenan. probante Burm. conjecit *quam hujus nomen cadet:* Lips. *quam ea cadet:* Gruter. *quam C.* (sc. Cicero) *cadet.* Boxhorn. *quam ea* (sc. scripta) *cadent.* Manut. *genus hom. concidet.* Popm. *quam ille s.* Cicero *cadet.*—1 *Ne* erat in altero Ed. pr. exemplo; sed in altero, et in Cod. *nec.*—2 Ita correxit Ed. Basil. Ed. pr. *vel.*—3 *Et* ex Heins. conjectura, a Ruhnken. probata, in contextum admisit

NOTÆ

[k] *In tc scripta*] Intelligit orationes, quibus Cic. Philippicarum nomen dedit.

[l] *Quam***cadet*] Apparet hic aliquid deesse, sed lacunam varii varie supplent. Alii scribunt, *hujus nomen:* alii, *Cicero.* Alii cum Lipsio, *quam ea cadet;* nempe, laus Ciceronis.

[m] *De Germanis, non de Gallis*] Acumen erat ex ambiguo: ut nomen gentis videretur, quod alterius gentis nomini opponitur, cum fratres, iique adoptivi significarentur.

[n] *Duo consules*] Intellige designatos consules.

[o] *Neque enim*] Sensus est: Neque

umbram actæ rei capit. Dum in acie Pharsalica [Africaque][4] [p] de summa rerum Cæsar dimicat, M. Cœlius, [U. c. 706. a. Chr. n. 47.] vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, cum in otio ac quiete[q] servari non posset,[5] (quippe pejor illi res familiaris, quam mens, erat,) in prætura novarum tabularum[r] auctor extitit;[m] nequiitque senatus et auctoritate consulis[s] deterreri, accito etiam Milone Annio, qui, non impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat, in Urbe seditionem, in agris[6] [t] autem occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica, mox consularibus armis, auctore senatu, circa Thurios[u] oppressus est. Incepto pari,[7]

[m] *Cum salvus esse non posset in fortuna tenui, (quippe ejus patrimonium pejus erat, quam mens,) fecit novas tabulas.*

Kraus.—4 Vocem hanc, a criticis plurimis damnatam, pro glossemate indocti hominis habet Kraus. Lipsius reposuit *circaque*, probante Ruhnken.—5 Ita emendavit Ruhnken. lectionem Ed. pr. *cum in modica quidem servari posset:* Ed. Basil. Gryph. et al. *cum ne a Diis quidem servari posset:* Ald. Nep. et Manut. *cum ne modica quidem re, &c.* Voss. *cum ne modico quidem, &c.* et ita Ed. Lugd. Bat. 2.—6 Ed. pr. Lugd. Bat. 2. et al. vetustiores *haud magis:* Rhenan. *aut magis:* Burer. quantum ex vet. Cod. conjicere potuit, correxit *magis autem*, quem secutus Lips. emendavit *in agris autem:* Ruhnken. malit *at in agris.*—7 Ita distinguit Ed. pr. ut ablativi sint absoluti. Acidal. conj. *Interfecto pari*, quod refellit Gruter. Voss. *in cæpto pari:* Kraus. forsitan

NOTÆ

enim hujus hominis, de quo agitur, conditio sinit ejus factum quasi in umbra et tenebris manere.

[p] *Africaque*] Lipsius legit *circaque;* quia scilicet Africanum bellum in seditionis Cœlianæ tempus non incidit, cum diu post Cœlii mortem gestum fuerit.

[q] *In otio ac quiete*] Alii, *Cum ne modica quidem re servari posset:* alii, *cum ne a Diis quidem servari posset.* Alii aliter. Ut ut est, hunc puto sensum esse: Cum propter rei familiaris angustiam exire ære alieno non posset.

[r] *Novarum tabularum*] Novæ tabulæ Romæ fieri dicebantur, cum accepti et expensi tabulæ edicto prætoris tollebantur. Quo fiebat, ut exigi debita non possent, neque debitores sortem et usuras creditoribus solverent, sed tantum debita exinde contracta.

[s] *Consulis*] Alii legunt *consulum;* sed potius scribendum *consulis:* quia tunc solus in urbe Servilius; cui Cæsar quidem collega, sed absens et in bello erat.

[t] *In agris*] Ita legit Lipsius: nam ita se res habebat: Romæ seditionem, bellum in agris movebat per Milonem. Verum alii legunt *magis autem occulte.* Alii, *aut magis*, quod verius esse puto.

[u] *Thurios*] Thurium, ante Sybaris, et postea Copiæ juxta Cluverium erat ibi, ubi nunc *Torre del Cupo*, in Calabria citeriore.

similis fortuna Milonis fuit; qui Compsam[x] in Hirpinis oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit; vir inquies, et ultra fortem[y][8] temerarius.[*] Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur, immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Cæsarem, Marullum Epidium, Flavumque[a] Cæsetium,[9] tribunos plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, pæne vim dominationis expertos. In hoc tamen sæpe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus[10] nota, quam animadversione dictatoria, summoveret eos a republica, testareturque, esse sibi miserrimum, quod aut natura sua [ei][11] excedendum foret, aut minuenda dignitas.[*] Sed ad ordinem revertendum est.

69. Jam et Dolobella [U. c. 711. a. Chr. n. 42.] in Asia C. Trebonium consularem, cui succensebat,[12] fraude deceptum, Smyrnæ[a] occiderat, virum adversus merita Cæsaris ingratissimum, particĭpemque cædis ejus, a quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat:[b] et C. Cassius, ac-

[*] *Vir inquietus, et magis temerarius quam fortior.*

[*] *Dum autem refero aliquid ex prætermissis, observetur, quod Marullus Epidius et Flavus Cæsetius, tribuni plebis, usi nimia et præpostera libertate contra Caium Cæsarem, pæne experti sunt potentiam dominationis, dum eum accusant affectati regni crimine. Tamen ira Cæsaris multoties irritati in hoc eminuit, ut eos a publicis negotiis removeret, contentus eos potius notare tanquam Censor, quam punire tanquam Dictator; significaretque sibi molestissimum esse, quod vel esset ei recedendum a sua clementia, vel minuenda sua auctoritas.*

[b] *A quo ipse promotus fuerat ad summam dignitatem consulis.*

transpositione peccatum esse censet, pro *Incep. Milonis pari s. F. f.*—8 Lips. *ultra sortem;* et ita Ruhnken. et Ed. Lugd. Bat. 2. Jacobs. ad calcem Vers. Velleii germ. p. 32. *ultra fidem.*—9 Ed. pr. *Cæsetiam.*—10 Cod. *contemptus.*—11 Ei e margine intrusum suspicatur Kraus.—12 Sic Ed. Bipont. et Ed.

NOTÆ

[x] *Compsam*] Vulgo *Consa*, urbs olim Hirpinorum, nunc regni Neapolitani, in Provincia principatus ulterioris.

[y] *Et ultra fortem*] Est alia lectio: *et ultra sortem temerarius.* Id est, audacior quam pro conditione exulis deceret.

[a] *Flavumque*] Alii *Flaviumque*: sed in editione Gryphiana recte emendatum est *Flavumque*; ne duo gentilitia nomina confundantur. Sane Cæsetio cognomen *Flavi* tribuunt Livius, Suetonius, Plutarchus.

[b] *Smyrnæ*] Urbs est Ioniæ maritima, *Smyrne:* hodieque mercatura celebris, et totius regionis primaria.

ceptis a Statio[7] Murco et Crispo Martio, prætoriis viris, imperatoribusque,[2] prævalidis in Syria legionibus, inclusum Dolobellam, (qui præoccupata Asia in Syriam pervenerat) Laodiciæ,[b] expugnata ea urbe, confecerat,[3] ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolobella non segniter cervicem daret, et decem legiones in eo tractu sui juris fecerat. Et M. Brutus C. Antonio fratri M. Antonii, in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes[4] legiones extorserat: sed Antonium bello lacessierat; Vatinium dignatione[c] obruerat;[5] cum et Brutus cuilibet ducum præferendus videretur, et Vatinius nulli [nomini][6 d] non esset postferendus; in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. Eratque septem legionibus validus. Et[7] lege Pedia, quam consul Pedius, collega Cæsaris, tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua igniquè damnatis[8] interdictum erat. Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippæ subscripsit in[e] C. Cassium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius [U. c. 712. a. Chr. n. 41.] Rhodum,[f] rem immanis operis,

Clud. ex conjectura Ruhnken. Vulg. *succedebat*.—1 Ita Vascosanus et Ursinus Ed. pr. *Siejo*.—2 Ita Bonhomm. probante Voss. Ed. pr. *imperatoribus, qui, &c.*—3 Ed. pr. *Laodiceam expugnata ea urbe fecerat*. Cod. *Laodicia expugnat*. *Laodicia* restituit Vossius; *confecerat* Rhenanus, qui et *interfecerat*, a Ruhnkenio receptum, proposuit. In Heinsii conjectura, *Laodicia expugnata, ceperat*, quod a Vossio habet, placent Kransio verba *ea urbe* expuncta. *Expugnarat* conj. Ald. et Schegk.—4 Cod. *volentis*: Ed. pr. *volventis*. Ursin. legit *volenti*.—5 Ita emendavit Ed. Basil. Ed. pr. *Ant. b. l. Vatinius, d.* o.—6 Vocem hanc pro glossemate suspectam habent fere omnes critici. Putean. legit *minimo*: Acidal. *omnium*: Vascos. *homini*: Faehse pro *nulli nom.* vult reponere simpliciter *nemini*.—7 Lips. *at*.—8 *Damnatis* expunxit P. Delben. apud Ald. Nep. probante Ruhnken.

NOTÆ

[b] *Laodiciæ*] Sita est in ora maris Phœnicii, inter Heracleam et Gabalam, ad radices montis Cassii.

[c] *Dignatione*] Vide sup. lib. II. c. 52. n. m.

[d] *Nulli nomini*] Pro *nemini*. Sic ubique Romanum nomen pro Romanis. Itaque sensus esset: cum Vatinius etiam vilissimo cuique homini postponendus esset.

[e] *Subscripsit in, &c.*] Id est, subscripsit accusationi C. Cassii.

[f] *Rhodum*] Vide supra lib. I. cap. 9. n. p. Addo hanc insulam ab anno 1300. servatam fuisse ab equitibus S. Joannis Hierosolymitani, qui ab ea dicti sunt Rhodii, usque ad annum 1522. quo expugnata fuit a Solimanno Turcarum Imperatore post obsidionem sex mensium.

ceperat; Brutus Lycios[g] devicerat; et inde in Macedoniam exercitus trajecerant: cum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior Fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit,[q] quam Brutum et Cassium.

70. Tum Cæsar et Antonius trajecerunt exercitus in Macedoniam, et apud urbem Philippos[h] cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui[i] Brutus præerat, impulsis hostibus, castra Cæsaris cepit. Nam ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifesta[9] denuntiatione[k] quietis territo.[r] Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum ac male mulcatum,[10] in altiora se[11] receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegæ

[q] *Neque invenias, quibus fortuna magis faverit, aut quos citius tanquam defensa dereliquerit.*

[r] *Qui* medicus *territus fuerat manifesto monitu* somnii *in quietè.*

---

nisi de loco suo, ante *aqua*, ut Grunero placuit, motum est.—9 Ita emendavit Heins. recipiente Ruhnken. Ed. pr. *manifeste*.—10 Ita Putean. Ed. pr. Lugd. Bat. 2. et al. *multatum*.—11 *Se*, quod in Ed. pr. aberat, restituit Ed.

NOTÆ

[g] *Lycios*] Asiæ minoris populos a Lycia, quæ nunc *Aidinelli* vocatur: subestque dominio Turcarum a tribus sæculis, et est Caramaniæ late sumtæ pars.

[h] *Et apud urbem Philippos*] Duplices Philippi fuerunt. Alii in Thessalia ad Peneum fluvium, ubi victus est Pompeius. Alii in extrema Macedonia, in confinio Thraciæ ad Hæmum montem, et ad Strymonem fluvium, ubi victi sunt Cassius et Brutus. Hinc Florum corrige, qui Cassium et Brutum arenam, quæ Cnæo Pompeio fatalis fuit, insedisse scripsit. Hinc explica quoque Virgilii locum, qui intellectus male Lucanum, et aliquot alios Poëtas, impulit in errorem: 'Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro Æmathiam, et latos Hæmi pinguescere campos.' Nam Æmathia (id est Macedonia) vere bis Romano sanguine maduit, Bruto nimirum post paucos dies (numerantur viginti duo) altero prælio victo ibi, ubi antea cum Cassio fugatus fuerat.

[i] *Cornu, cui, &c.*] In prælio cornua dicuntur aciei partes in morem arcus ab utroque latere prominentes. Quæ item partes, cum stant deinceps, sive super eadem linea, vocantur alæ. In exercitu autem dextra et sinistra est ala; dextrum et sinistrum cornu, *l'aile droite, et l'aile gauche.* Quod inter utrumque est, acies media dicitur, *le corps de bataille.*

[k] *Denuntiatione*] Id est, monitu de periculo, quod domino impendebat.

æstimans, cum dimisisset evocatum,[1] jussissetque nuntiare sibi, quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet, tardius eo nuntiante, cum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere facies aut signa denotari possent; existimans, hostes esse, qui irruerent, lacerna[m] caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassii caput, cum evocatus advenit, nuntians, Brutum esse victorem. Qui cum imperatorem prostratum videret: 'Sequar,' inquit, 'eum, quem mea occidit tarditas;' et ita[12] in gladium incubuit.[1] Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus: et victus acie, cum in tumulum[2 n] nocte ex fuga se recepisset, impetravit a Stratone Ægeate, familiari suo, ut manum morituro commodaret sibi; rejectoque lævo super caput brachio, cum mucronem gladii ejus dextera tenens, sinistræ admovisset mammillæ, ad eum ipsum locum, qua cor emicat,[s] impellens se in vulnus, uno ictu transfixus expiravit protinus.[3]

71. Messalla, fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati,[t] cum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Cæsaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Cæsari quicquam ex victoriis suis fuit lætius, quam servasse Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii,[o] quam

[s] *Ubi cor salit.*

[t] *Juvenis spectatissimus, primus auctoritate in illo exercitu post Brutum et Cassium.*

Basil.—12 Herel. *statimque.*—1 Vulg. *occubuit.*—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *tumultum.*—3 Ita ex interpunctione Scheffer. in Misc. Obs. IX. p. 170. edidit Ruhnken. cui in posteriori editione accedit Ed. Bipont. Ed. pr. Lugd. Bat. 2. Burm. et al. *expiravit. Protinus Messala, &c.* ex quo Bipont. pr.

NOTÆ

[1] *Evocatum*] Evocatus dicitur veteranus miles, qui, ob repentinam aliquam necessitatem, ad bellum revocatus est. Is vero cum centurio esset, non male nobis diceretur Gallice, *Capitaine réformé.*

[m] *Lacerna*] Pennula vestis, pluviæ frigoriqne propulsando accommodata, qua milites olim utebantur. Gallice, *Manteau, Casaque.*

[n] *Tumulum*] Proprie locus est e terra nonnihil eminens. Hinc sepulcrum tumulus dici solet, quod, ubi quis sepultus est, ibi terra nonnihil emineat.

[o] *Hominis grati ac pii*] Scilicet Oc-

Corvinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. Nam Varro ad ludibrium morituras Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est.[n] Drusus Livius, Juliæ Augustæ[p] pater, et Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit; Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.

72. Hunc exitum M. Bruti partium septimum et tricesimum annum agentis Fortuna esse voluit: incorrupto[4] animo ejus in diem,[5] quæ illi omnes virtutes unius temeritate facti[6 q] abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus. E quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. In altero major vis, in altero virtus. Qui si vicissent, quantum reipublicæ interfuit, Cæsarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset, habere Brutum, quam Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitii, nuper a nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis[r] viri, avus hujus Cn. Domitii, clarissimi juvenis, occupatis navibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus duce partium.[7] Statius Murcus, qui classi et custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa

[n] *Magna cum libertate prædixit, quem revera finem, dignum illo, habiturus esset.*

Corvinus Messala.—4 Ita correxit Jac. Tollius ad Auson. p. 309. Edd. plurimæ *corrupto.*—5 Manut. conj. *una die.*—6 Ita Rhenan. Ed. pr. *fecit.*—7 Ita

NOTÆ

tavius Cæsar, accepta clade, exercitu exutus, cum in Messalliæ (quem olim proscripserat) potestatem venisset, ab eo tamen conservatus est.

[p] *Juliæ Augustæ*] Constat inter scriptores fuisse *Liviam*: neque tamen idcirco cum Manutio scribe, *Liviæ*. Nam ex quo Livia Augusto nupsit, et *Julia* et *Augusta* nominata est.

[q] *Facti*] Intellige Cæsaris cædem.

[r] *Simplicitatis*] Simplicitas hic sonat priscam morum integritatem, et quasi quandam naturæ bonitatem in ignoratione vitiorum positam, nec ullis adhuc artibus corruptam.

sibi parte exercitus[8] naviumque Sex. Pompeium, Cn. Magni filium, qui, ex Hispania revertens, Siciliam armis occupaverat, petit.[9] Ad quem et e Brutianis castris,[10] et ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum[t] quilibet dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret,[11] perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

73. Hic adolescens erat studiis rudis,[x] sermone barbarus, impetu strenuus,[y] manu promtus, cogitatione[12] celer,[t] fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis: quem senatus, pæne totus adhuc e Pompeianis constans partibus, post Antonii a Mutina fugam,[1] eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decreverat, revocatum ex Hispania, ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, et oræ maritimæ præfecerat. Is tum,[2] ut prædiximus, occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat;[s] perque Menam et Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato

[x] *Ignarus literarum.* [y] *Acer dexterque ad audendum.*

[s] *Recipiens servos et fugitivos* solum ut *suus exercitus esset numerosior, effecerat magnum numerum legionum.*

---

interpunctionem sanavit Ed. Basil. Ed. pr. *duce. Partium*, &c.—8 Ita Ed. Basil. Ed. Bipont. Ruhnken. Burmann. et Clud. *exercitu* Ed. pr. *exercituum* Rhenan. et Ed. Lugd. Bat. 2.—9 Ita Ed. pr. Ed. Basil. *petiit*.—10 Ita Ed. pr. Cod. *Adque me Te brutianis castris*.—11 Ed. Basil. et Lugd. Bat. 2. *sed* ante *perfugium* habent, deest vero in Edd. plurimis.—12 Ita ex emendatione Rhenan. Burmann. Lugd. Bat. 2. Bipont. sec. et al. Ed. pr. *cogitator*: Scheffer. in Misc. Obs. *cogitatu* conjicit, probante Ruhnken. Lips. *concitatu*.—1 Ita edidit Burer. e Cod. vestigiis: *post Ant. A mutinam fugam.* Ed. pr. *p. Antonianam fugam*.—2 Ed. pr. vitiose *Istum*, quod correxit Ed.

NOTÆ

[t] *Statum*] Interpretor, nullam vitæ conditionem certam et tolerabilem habentibus.

[t] *Cogitatione celer*] Intelligenda non est ea cogitandi celeritas, quæ duntaxat summis ingeniis convenit; sed consilii qualiscumque capiendi volubilitas: quæ audacis ac præcipitis animi est.

mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.[a] [3]

74. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius transmarinas obiturus provincias[b] substitit;[u] Cæsar in Italiam se recepit, eamque longe, quam speraverat, tumultuosiorem reperit. Quippe L. Antonius consul [U. c. 713. a. Chr. n. 40.], vitiorum fratris sui[x] consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers,[c] modo apud veteranos criminatus Cæsarem, modo eos, qui justa[4][y] divisione prædiorum, nominatisque coloniis,[5] agros amiserant, ad arma conciens,[d] magnum exercitum conflaverat. Ex altera parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat.[e] Hæc belli[6] sedem Prænestez ceperat. Antonius pulsus undique viribus Cæsaris Perusiama se contulerat: Plancus, Antonianarum adjutor partium, spem[7] magis ostenderat auxilii, quam opem ferebat Antonio. Usus Cæsar virtute et fortuna sua, Perusiam expugnavit [U. c. 714. a. Chr. n. 39.]; Antonium inviolatum dimisit. In Perusinos magis ira militum, quam voluntate sævitum ducis.[f] Urbs incensa, cujus initium [in-

[a] *Cum eum non puderet tenere clausum piraticis deprædationibus* illud *mare, quod liberatum fuerat armis et ductu sui patris.*

[b] *Peragraturus provincias quæ sunt ultra mare.*

[c] *Qui vitia sui fratris habebat, non item virtutes, quæ in* fratre *nonnunquam erant.*

[d] *Ad arma concitans.* [e] *Omnia turbabat armis, et seditionibus.*

[f] *Actum est crudeliter in Perusinos, potius ira militum, quam consensu ducis.*

Basil.—3 Lips. conj. *celocibus*: Ruhnken. *celetibus*.—4 Ita ex emendatione Vascos. Ed. Bipont. sec. *juste* Ed. pr. Lugd. Bat. 2. Burmann. Ruhnken. qui tamen *instituta* conjicit, et Clud. Lips. *injusta*: Heins. *jussa*.—5 Pro vulg. *colonis*, ita scribendum voluerunt Heins. et Ruhnken. nisi quod Heins. pro *nominatisque* malit *ordinatisque*.—6 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *bellis*.—

NOTÆ

[u] *Substitit*] Scilicet in Græcia.

[x] *Fratris sui*] Antonii triumviri.

[y] *Qui justa*] Lege cum aliis *injuste*; aut *injusta*. Nec vero sensit aut scripsit aliter Velleius. Sin minus, putidissimus fit adulator, ut recte Lipsius pronuntiat.

[z] *Prænestæ*] Vide sup. l. II. c. 26. n. m.

[a] *Perusiam*] Vulgo, *Perouse*, urbs ampla, et culta, in ea Etruriæ parte, quæ summo Pontifici subest apud Tiberim.

cendii][3] princeps ejus loci fecit Macedonicus ;[b] qui, subjecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit.[c]

75. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Ti. Claudius Nero, prætorius et pontifex, Tiberii Cæsaris pater, magni vir[9] animi, doctissimique ingenii.[h] Id quoque adventu Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? Quis non diversa præsentibus, contrariaque expectatis aut speret, aut timeat? Livia, nobilissimi et fortissimi viri, Drusi Claudiani, filia, genere, probitate, forma Romanarum eminentissima,[i] quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi[c] ad Deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris manus,[10] bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperii, futurumque ejusdem Cæsaris[d] filium, gestans

[c] *Cujus incendium habuit initium a Macedonico, primo hujus urbis, qui, igne submisso suæ supellectili et suæ domo, in flammam conjecit se, ense transfossum.*

[h] *Et summæ doctrinæ.*

[i] *Clarissima* matronarum *Romanarum, nobilitate, virtute, pulchritudine.*

---

7 Ita Ed. pr. Cod. *spe.*—8 *Incendii* e margine obtrusum censet Kraus. Herel. conj. *c. i. Cestius*, vel *c. i. princeps e. l. f. Cestius Mac.*—9 Ita Ed. pr. Cod. *viri.*—10 Ita restituit et edidit Ruhnken. ex Ed. pr. *Cæsaris arma nus bimum.* Ed. Basil. Lugd. Bat. 2. Burmann. et al. *Cæs. arma, vix bimum:* Rhenan. *tum bimum:* Burer. ex obscuris vestigiis Cod.

NOTÆ

[b] *Macedonicus*] Ei nomen erat *Cestius.* Macedonici cognomen assumserat sibi, quod in Macedonia militasset. Ita Appian. v. Bell. Civil.

[c] *Quam transgressi, &c.*] Id est, quam vidimus etiam Sacerdotem ac filiam Augusti, postquam ille ad Superos migravit. Ubi duplex oritur difficultas. 1. Cur appellet eam *Sacerdotem.* 2. Cur vocet etiam *filiam.* Primam difficultatem solvunt Dio, et Tacitus, cum docent immortalitatem Cæsari tributam, ei Flamines datos, et Liviam ejus Sacerdotem constitutam fuisse. Secundam solvit Vossius ex Numismate Claudii, qui Liviam postea consecravit. Hujus Numismatis adversa pars exhibet: S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FILIÆ. Nomen autem filiæ assumsit Livia: 1. quod in Juliam familiam adoptione transierit. 2. Quod Augustus jusserit eam ferre nomen suum, ut clare Tacitus Suetoniusque testantur.

[d] *Futurumque ejusdem Cæsaris, &c.*] In eo fortunæ vices Velleius notat,

sinu, per avia itinerum,[k] vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

76. Quod alieno testimonium redderem, [in][11] eo non fraudabo avum meum. Quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX. judices loco a Cn. Pompeio lectus, ejusdem, Marcique Bruti, ac Ti. Neronis[12a] præfectus fabrum,[e] vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cujus, ob singularem cum eo amicitiam, partium adjutor fuerat, gravis jam ætate et corpore, cum comes[1] esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inviolatam excedere Italia Cæsar passus Fulviam, Plancumque muliebris fugæ comitem.[f] Nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia,[f] magnis speciosisque rebus circa Altinum,[g] aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc[h] Domitium, quem di-

[k] *Tum fugiens arma Cæsaris, futuri non multo post sui mariti, portans in gremio hunc Tiberium Cæsarem, qui nunc defensor est Imperii Romani, necdum duorum annorum, et futurum filium ejusdem Cæsaris, per devia itinera.*

[l] *Non frustrabor avum meum eo testimonio, quod redderem extraneo. Quippe C. Velleius, vir* qui *nemini cedebat, electus a Cnæo Pompeio inter præcipuos illos trecentos sexaginta judices, et præfectus operum*, quæ *idem* Pompeius, *et Marcus Brutus, ac Tiro in Campania* fieri curabant; *cum jam, propter ætatem et tarditatem corporis, non posset comitari discedentem a Neapoli Neronem, cujus partibus auxiliatus fuerat, ob singularem cum eo amicitiam, ense se ipse transfodit. Cæsar passus* est *abire Fulviam illæsam, et Plancum socium esse fugæ* hujus *mulieris.*

Cæs. arma, cujus bimum: Voss. *Cæs. arma, minus bimum.*—11 *In* ex præcedente *m* ortum delevit Ed. Basil.—12 Ita emendavit Ald. Nep. probante Lips. Vulg. *Tironis.*—1 *Cum* absorptum in Cod. a sq. *comes* restituit Ald.

NOTÆ

et admiratur Dio; quod hæc Livia, quæ tum Augustum fugiebat, ipsi postea nupserit: et Tiberius iste, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Cæsaris postea acceperit.

[e] *Fabrum*] In numero multitudinis usitatius erat etiam Ciceronis ætate, quam Fabrorum. Cicer. in Orat. 'Fabrum et Procum audeo dicere, non Fabrorum et Procorum.' Idem ad Attic. lib. IX. 'Jam duo præfecti Fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt.'

[f] *Venetia*] Est regio Venetorum Italiæ populorum, ab ostiis Padi fluminis post Istriam usque protensa, Hadriatico mari proxima: vulgo, *l'Etat de la République de Venise.* Habet Venetias universæ ditionis caput.

[g] *Altinum*] *Altino*: urbs Mediterranea Venetiæ, ab Hunnis olim eversa.

[h] *Vagum adhuc*] Id est, adhuc incertum quas partes amplecteretur.

gressum e Brutianis castris post cædem ejus prædiximus, et propriæ[†] classis factum ducem, consiliis suis illectum,[2] ac fide data, junxit Antonio. Quo facto, quisquis æquum se præstiterit, sciat, non minus a Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem, esse collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii, præparatusque contra eum Cæsaris[3] habuit belli metum: sed pax circa[4] Brundisium composita. Per quæ tempora Rufi Salvidieni scelesta consilia patefacta sunt: qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa[5] accepisse, et proximus a Cn. Pompeio, ipsoque Cæsare, ex equestri ordine[6] consul creatus[7] esse,[i] nisi[m] in id ascendisset, e quo[8] infra se et Cæsarem videret et rempublicam.

77. Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat, infesto mari, annona,[n] cum Pompeio quoque circa Misenum[k] pax inita [U. c. 715. a. Chr. n. 38.]: qui haud absurde[9] cum in navi Cæsaremque et Antonium cœna excipiperet, dixit: in Carinis suis[l] se cœnam dare; referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit Siciliam[m]

[m] *Qui, ortus ignobilissimis natalibus, existimabat satis non esse* sibi, *quod accepisset summos* honores, *et quod creatus fuisset Consul ex ordine equitum, primus a Cnæo Pompeio, et ab ipso Cæsare; nisi, &c.*

[n] *Querente universo populo, quem maxima ciborum inopia premebat, non libero mari.*

Nep. s. Putean. In Ed. pr. deest *comes*.—† Ita Ed. pr. *propræ* Cod.—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *electum*.—3 Ita Cod. Ed. pr. *præparatusque Cæs. contra eum*. Schegk. conj. *paratusque*.—4 Ita Ed. pr. Cod. *contra*.—5 Ita Lips. Acidal. Lugd. Bat. 2. Burmann. Ruhnken. Ed. Bipont. et al. Ed. pr. *summam*: Rhenan. *summum*.—6 Ita Ed. Basil. Cod. *ex equestri ordinis Cons.* Ed. pr. *ex equestris ordinis Cos.*—7 Ursin. *creatum* malit, quod displicet Vossio.—8 Ita emendavit Putean. Cod. *n. i. is a. equo*: Ed. pr. *ni simul a., e quo*: Ed. Basil. *ni simul a., æque*; Burer. *nisi in iis a. quo*: Manut. Popm. et al. *nisi a. quo*.—

NOTÆ

[i] *Consul creatus esse*] Non audiendus est Ursinus, qui vellet legi, *Cos. creatum esse*. Nam cui non notus Hellenismus? 1. Catulli: 'ait fuisse navium celerrimus.' 2. Virgilii: 'Sensit medios delapsus in hostes.'

[k] *Misenum*] Vulgo, *Monte Miseno*. Promontorium Campaniæ, non procul a Cumis.

[l] *In Carinis suis*] Carinæ nomen erat vici Romani ad pedem clivi Capitolini, in quo tum Pompeii domus erat.

[m] *Siciliam*] Gallis, *la Sicile*. Insula

Achaiamque[n] Pompeio concedere. In quo tamen animus inquies[o] manere non potuit. Id unum tantummodo salutare [adventu suo][10] patriæ attulit, quod omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est.[p] Quæ res et alios clarissimos viros, et Neronem Claudium, et M. Silanum, Sentiumque Saturninum, et Aruntium,[11] ac Titium restituit reipublicæ. Statium autem Murcum, qui adventu suo classisque celeberrimæ vires ejus duplicaverat, insimulatum falsis criminationibus, quia talem virum collegam officii Mena et Menecrates[12] fastidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat.

78. Hoc tractu temporum [U. c. 714. a. Chr. n. 39.] Octaviam sororem Cæsaris M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias: quas magnis momentis[o 1] Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, perducto[2] eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii, concusserat: qui virtute et ductu Ventidii, una cum Parthorum copiis, celeber-

[o] *Animus inquietus.*
[p] *Reditum vitamque* certis conditionibus *promisit.*

9 Ita Rhenan. Ed. pr. *absurdo.*—10 Suspecta hæc verba sunt Oudendorp. et Ruhnken.—11 Cod. *et M. Silanum Sentium Q. Saturninum, et Atruncium:* Ed. pr. *et M. Syllanum, Sentiumque Saturn. et Atruntium:* Ed. Basil. *Aruntiumque* reposuit.—12 Ita correxit Rhenan. Cod. *Menotrades:* Ed. pr. *Menocres.*—1 Ruhnken. *molimentis.*—2 Sic emendavit Arnzen. ad Aurel. Vict. de Vir.

NOTÆ

est ampla, et formæ triangularis, inter mare Tyrrhenum ad Boream, mare Siculum ab ea dictum ad Ortum, et mare Libycum ad Meridiem. Separatur ab Italia angusto freto 1500. passuum: ejusque circuitus est 600. mille passuum. Alias reges habuit proprios: hodie vero Hispaniæ regi subest. Hodie Metropoles sunt Messana, Panormus, et Mons regalis.

[a] *Achaiamque*] Si de Achaia late sumta sermo sit, ut hic esse puto, intellige Græciam propriam, et Hellada, hodie *Livadie.* Si de Achaia propria, intellige Ducatum Clarentiæ in Peloponneso: *le Duché de Clarence.*

[o] *Quas magnis momentis*] Pro *motibus.* Quo modo usurpatur 1. a Seneca Ep. L. Exemplum *(clavi)* a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt. 2. a Cicerone lib. II. de Nat. Deor. num. 117. Astra forma ipsa figuraque, sua momenta *(æquabiles motus)* sustentant.

rimoque[3] juvenum Pacoro,[p] regis filio, extinctus est. [U. c. 715. a. Chr. n. 38.] Interim Cæsar per hæc tempora,[q] ne, res disciplinæ inimicissima, otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiâque[r] expeditionibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum. Eadem tempestate Calvinus Domitius, cum ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi, comparandique antiquis, exempli auctor fuit. Quippe primipili centurionem,[s] nomine Vibillium,[4] ob turpem ex acie fugam, fusti[5][t] percussit.

79. Crescente in dies et classe et fama Pompeii, Cæsar molem belli ejus suscipere statuit. Ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi,[6] navalibusque assuescendo[u] certaminibus atque exercitationibus [U. c. 717. a. Chr. n. 36.], præfectus est M. Agrippa, (vir)[7] virtutis nobi-

[u] *Assuefaciendo.*

Ill. 2. probante Ruhnken. Ed. pr. *producto.*—3 Ruhnken. vult *acerrimoque.*—4 Ita Cod. Ed. pr. *Jubellium.*—5 Ita Cod. et Ed. pr. in altero exemplo, quod penes Ruhnken. erat: in altero *fuste*, et ita Lugd. Bat. 2.—6 Sic correxit Ed. Basil. Ed. pr. *milite ac remige.*—7 Deest *vir* in Edd. plurimis, sed ex conjectura Ruhnken. quasi a prima syllaba sequentis vocabuli interceptum

NOTÆ.

[p] *Pacoro*] Filio Orodis regis Parthorum, qui Crassum dolo circumventum interemerat.

[q] *Interim per hæc tempora*] Alterutrum ut superfluum delendum esse recte putat Acidalius. Neutrum tamen deleto; sed unam voculam sic transpone: *interim Cæsar, ne per hæc tempora, res disciplinæ inimicissima,* &c.

[r] *In Illyrico Dalmatiaque*] Illyricum hodiernum, ampla Europæ regio, apud Geographos continet Dalmatiam, Croatiam, Bosniam, et Sclavoniam. Uno nomine comprehenditur a Gallis, *Esclavonie.*

[s] *Primipili centurionem*] Id est, primum legionis centurionem. Quod ut intelligatur, e Vegetio pauca afferenda sunt. In legione sunt tria peditum genera: *hastati, principes*, et, qui omnes ante stabant, *triarii.* In singulis deni centuriones erant: in *hastatis* et *principibus* ab ordine nominati, nimirum primus hastatus, primus princeps, et sic de reliquis usque ad decimum. In *triariis* dispar est ratio: neque enim dicitur primus triarius, sed primipilus: primipili vero centurio primus centurio vocabatur, eratque in legione post tribunum primus.

[t] *Fusti*] Ritu prisco. Nam moris erat milites fustibus vel vitibus castigare. Honestior autem pœna vitis quam fustis erat. Quare Romani milites vite, fuste autem cædebantur extranei. Hinc, teste Plinio, vitis in manu, insigne fuit Romanorum Centurionum.

lissimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni,[u] scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. Hic in Averno ac Lucrino lacu[x] speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam et militaris et maritimæ rei perduxit scientiam. Hac classi[s] Cæsar, cum prius, despondente ei Nerone[y] [U. c. 716. a. Chr. n. 37.], cui ante nupta fuerat, Liviam, auspicatis reipublicæ ominibus, duxisset eam uxorem, Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum, humana ope invictum, graviter eo tempore [U. c. 718. a. Chr. n. 35.] fortuna concussit. Quippe longe majorem partem classis, circa Veliam,[z] Palinurique promontorium, adorta vis Africi[a] laceravit ac distulit. Ea patrando bello mora fuit, quod postea dubia, et interdum ancipiti[b] fortuna gestum est.[c] Nam et classis eodem loco vexata est tempestate,

[c] *Et in diversa loca tulit. Hoc impedimentum fuit* quominus *absolveretur bellum, quod postmodum gestum est eventu vario, et aliquando periculose.*

---

in textum recépit Kraus. quem sequitur Ed. Bipont.—s Ita Ed. pr. Ruhn-

NOTÆ

[u] *Sed uni*] Scilicet, Augusto.

[x] *Averno ac Lucrino lacu*] Campaniæ lacus in sinu Baiano, contra Puteolos. Maxime Averni aquæ densas inter sylvas adeo fœtent, ut supervolitantes aves mortuæ decidant. Atque hinc ad inferos descendi poëtæ fabulantur, qui etiam Avernum pro inferno usurpant. Nunc vero Lucrini lacus nihil nisi palus lutosa cum arundineto superest, ab anno 1538. quo ingens terræ motus contigit.

[y] *Despondente ei Nerone*] Schema pudendæ rei: quasi maritus uxorem Augusto sponte concederet. Re vera autem 'Tib. Neronis matrimonio Liviam, et quidem prægnantem, abduxit' Augustus: ut simpliciter loquitur Suetonius. Tacitus vero, 'abductam,' ait, 'Neroni uxorem, et consultos per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet.'

[z] *Circa Veliam*] Urbs Lucaniæ est: nunc jacet, ubi nunc *Castel à mar della Brucca*, in provincia principatus citerioris: ubi quoque est Palinuri promontorium, vulgo, *Capo di Palinuro*.

[a] *Vis Africi*] Hic ventus in mari Mediterraneo dicitur *Ponant-lebeche*, in Oceano *Sud-ouest*.

[b] *Dubia, et interdum ancipiti*] Transponit Acidalius copulam, *et*, hoc pacto: *dubia interdum et ancipiti*. Fatetur tamen ancipitem fortunam sumi posse pro periculosa: quo sensu nulla mutatione opus est.

et ut navali primo prælio apud Mylas[c] ductu Agrippæ pugnatum prospere, ita inopinato classis (adversæ)[9] adventu gravis sub ipsius Cæsaris oculis circa Tauromenium[d] accepta clades: neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quæ cum Cornificio erant, legato Cæsaris, expositæ in terra, pæne a Pompeio oppressæ sunt. Sed ancipitis fortuna temporis matura[10] virtute correcta. Explicatis[e] quippe utriusque partis classibus, pæne omnibus exutus navibus Pompeius Asiam fuga petivit, jussuque M. Antonii, cujus opem petierat, dum inter ducem et supplicem tumultuatur, et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio jugulatus est.'[f] [U. c. 719. a. Chr. n. 34.] Cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur.

80. Acciverat [U. c. 718. a. Chr. n. 35.], gerens contra Pompeium bellum, ex Africa Cæsar Lepidum cum XII. semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi junxerat: inflatusque amplius XX. legionum numero, in id furoris processerat, ut inutilis alienæ victoriæ[11] comes, quam diu moratus

[f] *Dum turbas agit, et fluctuans inter* personam *ducis et supplicis, nunc dignitatem retinet, nunc vitam poscit, interfectus est a Titio.*

---

ken. Bipont. et al. Vascos. Ed. Basil. et Lugd. Bat. 2. *classe.*—9 *Adversæ*, quod in Edd. plurimis deest, ex Heins. et Ruhnken. conjectura insertum est in Ed. Kraus. et Bipont. sec. Herel. mavult *inop. Pompeianæ classis.*—10 Ruhnken. malit *mature*, quod in textum recepit Clud.—11 Ita Ed. pr. Bipont. sec. Clud. et al. Cod. *in alienæ victoriæ:* Burer. *in aliena victoria*, probante

NOTÆ

[c] *Apud Mylas*] Urbs est Siciliæ, in valle Demonæ, vulgo *Milazzo.*

[d] *Tauromenium*] In Sicilia quoque, non procul a Drepano promontorio; vulgo, *Taormina.*

[e] *Explicatis*] Id est, in patenti loco expositis et instructis ad ineundum certamen.

[f] *A Titio jugulatus est*] Ubi? Non in urbe Phrygiæ Midaio, ut Dioni placet: sed Mileti, ut Floro, Appiano, et Straboni ejusdem propemodum temporis scriptori, Geog. lib. III.

erat, dissidendo in consiliis Cæsari[a] et semper diversa his, quæ aliis placebant, dicendo, totam[1] victoriam ut suam interpretaretur,[a 2] audebatque denuntiare Cæsari, excederet Sicilia. Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quicquam ausum patratumque fortius, quam tunc a Cæsare. Quippe cum inermis et lacernatus[g] esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quæ jussu hominis pravissimi tela in eum acta erant,[h 3] cum lacerna ejus perforata esset lancea, aquilam legionis rapere ausus est. Scires, quid interesset inter duces.[c] Armati inermem secuti sunt; decimoque anno, quam ad [in][4] dissimillimam vitæ suæ potentiam pervenerat, Lepidus et a militibus et a fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Cæsarem turbam latens, genibus ejus advolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri[5] non poterat, dignitas.[f]

81. Subita deinde exercitus seditio (qui plerumque contemplatus frequentiam suam, a disciplina desciscit, et, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet)[z] partim severi-

[a] *Venerat in eam dementiam, ut arrogaret* sibi, *tanquam suam, totam victoriam, quam retardaverat diu, dissentiendo Cæsari in consiliis, et dicendo semper contraria iis quæ aliis probabantur*, cum esset *inutilis socius in victoria aliorum.*

[c] *Cognoscere posses, quantum discrimen esset inter* eos *duces.*

[f] *Adempta* ei *dignitas*, &c.

[z] *Et non dignatur petere precibus* id *quod credit se posse* vi *obtinere.*

Ruhnken. et ita Lugd. Bat. 2. Bipont. pr. et Burmann.—12 Ed. pr. Lugd. Bat. 2. et vetustiores *Cæsaris;* correxit *Cæsari* Acidal. quod receperunt Ruhnken. Gruner. Bipont. sec. et Clud.—1 Ita Cod. Ed. pr. *tutam.*—2 Ed. pr. *interpretabatur*, quod correxit Ed. Basil. probante Ruhnken. qui etiam mox *auderetque* malit.—3 Ed. Basil. et Lugd. Bat. 2. *jacta.*—4 Ed. pr. *ad indissimillimam vita sua*, cum nota marginali Rhenani: 'al. *vitæ suæ.*' Inde Vascos. et Ed. Basil. dedere: *ad dissim. vitæ suæ*, ejecto in, quod e margine, a correctore ascriptum, in textum irrepsisse videtur. Ruhnken. conj. *ad indignissimam vita sua.* Cod. *ad in (Diis simillima vita) potent. perven.* Junt. *ad indissimillimam vitæ suæ potentiam.*—5 Ita Ed. pr. Cod. *intueri.*—

NOTÆ

[g] *Lacernatus*] Id est, lacerna indutus: de qua supra cap. 70.

[h] *Acta erant*] In editione prima ita legitur: quod Vossius mutare non debuisset: nam *agere tela* recte dicitur pro *adigere*. Hinc ponderum impulsores Ovidius v. Fast. vocat actores. 'Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce Vertit in actores pondera vasta suos.'

tate, partim liberalitate discussa Principis. Speciosumque[i] per id tempus adjectum supplementum Campanæ coloniæ. (Agri)[6] ejus relicti erant publici:[k] pro his longe uberiores reditus duodecies HS. in Creta insula redditi, et aqua promissa,[7] quæ hodieque singulare et salubritatis instar[l] et amœnitatis ornamentum est. Insigne coronæ classicæ,[m] quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Cæsar reversus in Urbem, contractas emtionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est; templumque Apollinis,[8] et circa porticus, facturum promisit, quod ab eo singulari extructum munificentia est.

82. Qua æstate[n] Cæsar tam prospere Libium in Sicilia,

---

6 *Agri* in Ed. pr. excidisse viderunt Scheffer. Misc. Obs. vol. IX. p. 171. et Ruhnken. Ed. Basil., *agri* omisso, *relicti* in *reditus* mutavit, et sic Lugd. Bat. 2. —7 Heins. probante Ruhnken. *permissa* conjicit.—8 Ita Ed. pr. Ed. Basil.

NOTÆ

[i] *Speciosumque, &c.*] Sensus est: Hoc tempore plurimi coloni submissi sunt Capuam ad supplendum numerum hujus coloniæ.

[k] *Agri ejus relicti erant publici*] Alii legunt, *Ejus reditus erant publici.* Hunc locum Dio mirifice illustrat, cum refert seditionem exercitus compositam sic fuisse: Cæsar pecuniam primum, deinde agros militibus dedit. Nam quoniam publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios emit ab iis qui Capuam incolunt; et ipsis tum aquam Juliam, tum terram Cnosiam (melius Gnosiam, est autem Gnosus in Creta), eorum loco dedit. Ergo sensus loci sit: Cum agri, ex quibus Campanæ coloniæ reditus percipiebantur, publici essent, nec sine injuria dividi privatis possent; eos Cæsar emit, ac pro his in insula Creta reddidit alios agros, ex quibus uberiores reditus amplius nonaginta mille librarum provenirent. Insuper promisit se Capuam deducturum aquam, quæ illic et instauravit salubritatem, et est etiam nunc ornamentum amœnissimum.

[l] *Et salubritatis instar*] Existimo sic intelligi debere *instar;* quasi adjumentum et instaurationem salubritatis. Certe Festus ab *instar* deducit *instaurare:* quoniam instaurari proprie dicitur, quod ad formam similem exemplo priori reducitur. Hic vero, ut bene notat Acidalius, *instar* non exemplum est, nec passive sumitur pro eo quod instauratum est: sed active, ut quod instaurat; hic nempe salubritatem.

[m] *Classica*] Id est, navalis. Aurea erat, et rostrata, sive navium quasi rostris adornata.

[n] *Qua æstate*] Hunc locum aut maculatum aut mutilatum Schegkius sic restituit: *Qua æstate Cæsar tam*

bene fortuna in Cæsare et republica militavit ad Orientem.[9] Quippe Antonius [U. c. 718. a. Chr. n. 35.] cum XIII.[o] legionibus ingressus[10] Armeniam, ac deinde Mediam, et per eas regiones Parthos petens,[p] habuit regem eorum obvium. Primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis[q] tormentisque[r] et Statiano legato amisit; mox sæpius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula, quibus[11] servari se posse desperaverat; amissaque non minus quarta parte militum, captivi cujusdam, sed Romani, consilio ac fide servatus. Qui clade Crassiani exercitus captus, cum fortunam,[12] non animum mutasset, accessit nocte

---

Apollini.—9 Locum vexatissimum, ut est in Ed. pr. edi jussimus, cum medicina certior allata non sit. Rheman. *Libium* mutavit in *Lepidum*, cui Bonhommeus in textu suo *in* præposuit. Ed. Basil. post *in Sicilia* verbum deesse, vacuo spatio relicto, monstravit, quod Viri docti quidam apud Schegkium, ejecto *in* ante *Lepidum*, esse putarunt *devicit*; Christius vero in Noct. Acad. Obs. II. p. 39. *vicit*, expuncto sequente *bene*. Schegkius ipse Bonhommeum probans nil nisi *bene* mutavit in *pæne*. Acidal. *Qua ætate quam Cæsari prospera in Lepidum in Sicilia, tam sæva fortuna in Cæsarem et remp. &c.* Heins. *tam prospere pro re civium, pæne, &c.* Burmann. *Q. æ. C. t. p. in Lepidum in Sicilia, bene fortuna pro Cæsare et rep. &c.* Probabilissimum attulit Ruhnkenius: *Qua ætate Cæsar tam prospere sepelivit in Sicilia bellum*, (intelligo, cum Sex. Pompeio,) *fortuna in Cæsare et republica mutavit* (sc. *se*) *ad Orientem.* Vir D. in Ephemer. lit. Gœting. a. 1779. Addit. p. 120. verba *in Cæsare et republica* pro suspectis habet, eaque haud convertit Jacobsius. *Kraus.*—10 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *egressus.*—11 Heins. *e quibus:* Herel. *quibus vindicari se posse desperaverat*, ex II. 28. ne idem verbum mox recurrat. *Servari* forsitan e margine in locum verbi *vindicari* irrepsit. *Kraus.*—12 Ita Ed. pr. Cod. *cum fortuna non animum mutasset.* Succurrit mihi: *cum fortuna statum, non animum mutasset*, ex Sallustii Fragm. p. 999. Ed. Cortii. ap. Ruhnken. ‘ Malæ secundæque res opes, non ingenium

NOTÆ

prospere in Lepidum in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem et rempublicam militavit ad Orientem. Quæ lectio mihi placere posset, si quid adversi ad Orientem Cæsari contigisse legerem: cum vero omnia feliciter illi cesserint, probari mihi non potest. Certe codicibus, non emendatoris conjectura opus est. Satis igitur et aliis et mihi erit proferre sensum loci: is sit, Qua æstate Cæsar in Sicilia adeo prospere pugnavit in Lepidum; eadem fortuna ipsa æque feliciter pro Cæsare et pro republica militavit ad Orientem.

[o] *XIII.*] Scribe cum Freinshemio *sexdecim.*

[p] *Parthos petens*] Notissimos Asiæ populos, olim totius imperii Persici dominos.

[q] *Impedimentis*] In exercitu impedimenta dicuntur sarcinæ, instrumenta, et quævis res aliæ quæ ad exercitus usum conferuntur: Gallice, *le bagage.*

[r] *Tormentisque*] Interpretare bellicas machinas, quæ saxa, tela, et id genus alia torquent.

ad stationem[s] Romanam, prædixitque, ne destinatum iter peterent, sed diverso sylvestrique pervaderent. Hoc M. Antonio ac tot illis[t] legionibus saluti fuit: de quibus tamen, totoque exercitu, haud minus pars quarta, ut prædiximus, militum; calonum servitiique[u] desiderata tertia est; impedimentorum vix ulla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. Qui tertia æstate reversus in Armeniam, regem ejus Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis, vinxit. [U. c. 720. a. Chr. n. 33.] Crescente deinde et amoris in Cleopatram incendio, et vitiorum, quæ semper facultatibus licentiaque et assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit; cum ante, novum se Liberum[x] patrem appellari jussisset, cum redimitus hederis, crocotaque[z] velatus aurea, et thyrsum[y] tenens, cothurnisque[z] subnixus,[3] curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ.

83. Inter hunc apparatum belli, Plancus, non judicio recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæsaris, (quippe

---

mihi mutarunt.'' *Kraus.*—1 Ed. pr. *Hoc M. Antonio acto, illis legionibus:* Ed. Basil. *atque illis legionibus:* Voss. *illius:* Heins. *ac tot illis,* quod præfert Kraus.—2 Sic ex conjectura Ruhnken. ediderunt Kraus. Bipont. sec. Clud. et al. recentiores. Ed. pr. *coronaque.*—3 Sic quoque emendavit idem Ruhnken. Ed. pr. *succinctus.*—4 Ed. Basil. et Lips. *in omnia et omnibus:*

NOTÆ

[s] *Ad stationem*] Statio de quovis loco dicitur, ubi statur. Hic vero dicitur de loco vigilibus ac custodibus ad agendas excubias assignato: Gallice, *Corps de Garde.*

[t] *Hoc M. Antonio ac tot illis*] Malo sic cum Boëclero legere; etsi lectioni editionis primæ suus est sensus.

[u] *Servitiique*] Id est, servorum. Desiderari autem in exercitu dicuntur ii, qui in prælio ceciderunt; eo quod in recensione, quæ solet a prælio fieri, non compareant.

[x] *Liberum*] Bacchum, Jovis ex Semele filium. Deus vini putatus est, ac pro ipso vino poni solet. Unde dictus est, teste Seneca, Liber a *liberando*, quia vinum curas solvit, et ab illis mentem liberat: non vero, ut quidam scripserunt, quod, qui vino usi sunt nimio, libere loquantur.

[y] *Et thyrsum*] Hasta erat aculeata, tecta hedera, et in Bacchi orgiis gestari solita.

[z] *Cothurnisque*] Cothurnus calceamenti genus est subere quodammodo sublevati: quo utebantur tragœdi, et virgines, ut eminentiores viderentur.

hæc semper impugnabat,) sed morbo proditor,[a] cum fuisset humillimus assentator reginæ, et infra servos cliens,[a] cum Antonii librarius, cum obscœnissimarum rerum et auctor et minister, cum in omnia et in omnibus[4 b] venalis, cum cœruleatus et nudus,[c] caputque sedimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset[d] in convivio,[5] refrigeratus[e] ab Antonio,[6] ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. [U. c. 722. a. Chr. n. 31.] Et idem postea[f] clementiam victoris pro sua virtute inter-

[a] *Sed inveterata perfidia, cum fuisset abjectissimus adulator reginæ, et ejus cliens humilior quam servi.*

Heins. *in omnia in omnibus.*—5 Ita interpunxit Lips. Ed. pr. *saltasset, in convivio.*—6 Sic distinguunt Edd. plurimæ. Ruhnken. *refrigeratus, ab A.*—7 Cod.

NOTÆ

[a] *Morbo proditor*] Inveterata et usu corroborata vitia morbi animi dicuntur.

[b] *In omnia et in omnibus*] Lipsius legit, *in omnia, et omnibus venalis*, ut sensus sit, Plancum a quovis ad quod liberet trahi auro potuisse.

[c] *Cæruleatus, et nudus*] Id est, altera parte cæruleo amictu tectus, altera vero nudus.

[d] *Glaucum saltasset*] Id est, Glaucum saltando expressisset, retulisset, imitatus esset. Est simile quid apud Horatium Sat. lib. I. 5. 'In faciem permulta jocatus, Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat.' Glaucus autem Deus maris est. De quo fabula varie narratur. Piscatorem alii aiunt fuisse, qui captos in ripa pisces cum explicuisset, quadam herba contacta, subito prosilierunt in fluvium. Cujus herbæ vim admiratus cum ipse Glaucus degustasset, in aquam insiluit, pisces insecutus; et acceptus est inter maris numina. Alii vero tradunt urinatorem fuisse, qui cum inspectantibus municipibus suis sæpius in fluvium se dejecisset, diutiusque subter aquas moratus semper emersisset; cum tandem frustra illis expectantibus non rediret, Deus maris est creditus.

[e] *Refrigeratus*] An est hic refrigerare, quod dicit Plautus, 'frigidam suffundere?' Certe non abs re omnino, eum, qui Glaucum ageret, aqua joco aspergi. Atqui hæc est Acidalii interpretatio; ingeniosa quidem, at minime vera. Lipsiana verior est. Significatur intepuisse gratiam Planci apud Antonium, propter manifesta filius rapinarum indicia. Hunc porro teporem memini vocari frigus ab Horatio et a Seneca. Ab Horatio quidem Sat. lib. II. 1. quanquam etiam id accipi pro *morte* posse scio: 'majorum ne quis amicus Frigore te feriat.' A Seneca vero adhuc magis ad Velleii mentem Epist. CXXIII. 'Votienus Montanus, et amicitia Tiberii notus et frigore.'

[f] *Et idem postea*] Sensus est: Et idem postea Plancus laudi sibi vertebat victoris clementiam, quasi clementer et benigne ab illo propter suam virtutem exceptus fuisset.

pretabatur, dictitans, id probatum a Cæsare, cui ille ignoverat. Mox autem hunc[7] avunculum Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir prætorius gravissimus, P.[8] Silii socer,[g] cum recens transfuga, multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu objiceret: 'Multa,' inquit, 'me hercules fecit Antonius pridie, quam tu illum relinqueres.'

84. Cæsare deinde et Messalla Corvino consulibus [U. c. 723. a. Chr. n. 30.] debellatum[h] apud Actium,[h] ubi longe ante, quam dimicaretur, exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator; illa[9] marcebant omnia.[i] Hinc remiges[10] firmissimi,[k] illinc inopia affectissimi. Navium hac magnitudo modica nec celeritati adversa; illa species terribilior.[11] Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui[12] transfugiebant. Denique in ore atque oculis Antonianæ classis

[h] *Bellum finitum est.* [i] In *illa omnia languebant.*

Mox a. h. mox a. T. Alterum *mox* expungendum primus vidit Ald. Nep. Ed. pr. Lugd. Bat. 2. et al. *Hunc mox avunculum.* Lips. *M. Titius.*—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Coponius, vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer.* Cod. *Coponius, vir E. prætorius, &c.* Schegk. *vir e prætoriis.* Ruhnken. *Coponius prætorius, vir eminentissimus et gravissimus, P. Silii socer.*—9 Sic Ed. pr. Cod. *illam arcebant:* Vascos. et Burer. *in illa.*—10 Ita correxit Lips. Ed. pr. *reges.*—11 Ed. pr. *Navium hæc magnitudo modicave celeritate, adversa illa specie et terribilior:* Cod. *modicane celeritate, adversa illa species terribilior:* Junt. et Vascos. *adversa illa specie terribilior.* Ed. Basil. *Navium hinc magnitudo modica, sed celerior, ac adverso illa specie terribilior.* Heins. prius membrum correxit, ut editum est; alterum dedit, *illac specie terribilior.* Ruhnken. vero idem e Codice restituit.—12 Ita Ed. pr. Cod. *aliquid transfugiebat,* quod tuetur

NOTÆ

[g] *Gravissimus, P. Silii socer*] Sic Rhenanus edidit. Aliter Vossius vult legi, *gravissimus patris Silii socer.* Quam conjecturam firmat his Suetonii verbis in August. Vita: 'accesserunt convivæ, Vinicius ac Silius pater.'

[h] *Actium*] Epiri promontorium est, ubi Augustus, devictis navali prælio Antonio et Cleopatra, urbem condidit, quam Nicopolim a victoria nominavit.

[i] *Illa marcebant omnia*] Sic Rhenanus edidit, quo modo etiam Freinshemius emendavit; cum in Codice erat, *illam arcebant omnia.* Burerius autem vult legi, *in illa marcebant omnia:* quam lectionem in interpretatione secuti sumus.

[k] *Hinc remiges firmissimi*] Alii, *reges.* Lipsii vero emendationem uno omnes consensu sequuntur. *Firmissimi* remiges dicuntur pro *recentes*, et Siculis bellis probe exercitati.

per M. Agrippam Leucas[l] expugnata, Patræ[m] captæ, Corinthus occupata,[1] bis ante ultimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas[2 n] meliora et utiliora secutus, (nam Dellius[o] exempli sui tenax, ut a Dolobella ***[3] ad Cæsarem) virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam, nisi nomine, salutavit, maximo et præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem.

85. Advenit deinde maximi discriminis[d p] dies, quo Cæsar Antoniusque, productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum navium Julianarum[q] cornu[r] M. Lurio[4 s] commissum, lævum Arun-

[d] *Maximi certaminis.*

Wopkens. in Misc. Obs. Vol. IX. p. 270.—1 Sic interpunxit Ed. Basil. Ed. pr. *Corinthus occupata bis, ante, &c.*—2 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Myntas.*—3 Ed. pr. *nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella ad Cæsarem.* Ed. Basil. *inde illius exemplo vir audax Dolabella, vir clarissimus.* Lipsius correxit ut editum est, e Seneca Pat. Suasor. I. p. 7. sed pro *ad Cæsarem* voluit *ad Cassium*, nec lacunam vidit, quam Ruhnkenius animadvertit et ex eodem Seneca explere tentavit: *Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit ad Cæsarem.*—

NOTÆ

[l] *Leucas*] Urbs insulæ cognominis in Græcia, *Sainte Maure.* Acarnaniæ adjacet, eique ponte jungitur. Unde quibusdam peninsula perperam dicitur.

[m] *Patræ*] Urbs Achaiæ in Peloponneso, apud os sinus Corinthiaci: vulgo, *Patras.*

[n] *Rex Amyntas*] Scilicet Lycaoniæ et Galatiæ.

[o] *Nam Dellius*] In autographo erat: *nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella.* Hinc a Lipsio præter eam, quam textus suppeditat, excogitata duplex lectio. 1. *Nam Dellius exempli sui tenax et illo bello, virque clarissimus* *** *transmisere*, pro transmisit, *ad Cæsarem.* 2. Quæ mihi magis placet, sensum juvat distinctiuncula, et parenthesi hoc modo: *Rex Amyntas meliora et utiliora secutus (nam Dellius exempli sui tenax fuit et illo bello) virque clarissimus Cnæus Domitius* *** *transmisere ad Cæsarem.* Cujus lectionis sensum adhuc facilius erit intelligere, si de Dellio pauca dixero. 1. Historicus fuit. 2. Natura transfuga, ob eamque rem insignis, et ævo illo palam irrisus. 3. A Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Dolabellam, ab Antonio demum transmisit ad Cæsarem, exempli sui sive moris tenax, et usque similis sibi.

[p] *Discriminis*] Interpretatus sum, *certaminis:* quo sensu dixit Virgilius lib. v. Æneid. 'post hos æquo discrimine Pistrix Centaurusque locum tendunt superare priorem.'

[q] *Julianarum*] Octavii Cæsaris naves intelligit, quas Julianas idcirco vocat, quod iis Julii Cæsaris vindictam persequeretur Octavius.

[r] *Dextrum navium cornu*] In navalibus, uti in terrestribus prœliis acies

tio,[5] Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat: classis Antonii regimen Publicolæ Sosioque[6] [t] commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonii regebat Canidius. Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil præter milites. Prima occupat fugam Cleopatra.[s] Antonius fugientis reginæ, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit; et imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite,[7] in longum fortissime pugnandi duravit constantia; et desperata victoria, in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque et ostendens fugisse Antonium, quærebat, pro quo et cum quo pugnarent? At illi, cum diu pro absente dimicassent duce, ægre summissis armis cessere victoriam; citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Quis dubitet, suo,[8] an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad ejus arbitrium direxit fugam? Idem locatus in terra fecit exercitus, cum se Canidius præcipiti fuga rapuisset ad Antonium.

[s] *Primo Cleopatra se dat in fugam ante alios.*

4 *Lario* Ed. pr. quod, probante Lips., correxit Ursin.—5 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Adruntio*.—6 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Publico, Læsosioque*.—

NOTÆ

instruitur: estque sinistra et dextra ala; sinistrum et dextrum cornu. Vide supra cap. 70. n. i.

[5] *M. Lario*] Apud alios *Lario*. Ursinus vero ex æreo quodam Augusti numismate, ubi dicitur P. Lurius. Agrippa. III. Vir. A. A. A. F. F. Ursinus, inquam, legit *Lario*, quod e Dione Lipsius probat.

[t] *Sosioque*] Lipsius mallet *Sossio*, atque ita Græci. Verum Latini omnes cum Velleio scribunt *Sosium*. Ceterum ne erres cum multis, nam de Sosio varie commemorant, sic habeto: duos Sosios in castris Antonii fuisse. Alter ante prælium Actiacum in levi pugna contra L. Arruntium periit, teste Dione lib. I. Alter vero post Actiacam victoriam incolumitatem ab Augusto impetravit, eodem teste lib. II.

86. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem statum[u] pervenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam arctati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima: nec quisquam interemtus est, (nisi) pancissimi, et ii, qui (ne)[9] deprecari quidem pro se sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus [sui,][10] aut in campis Philippiis,[11] si [sic][12] licuisset, victoriæ suæ facturus fuerit (modum).[13] At Sosium L. Aruntii,[2] prisca gravitate celeberrimi, fides, mox, diu (cum)[3] clementia luctatus sua, Cæsar servavit incolu-

---

7 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *detrectato*.—8 Ita Ruhnken. sequentibus Kraus. Bipont. sec. et Clud. Cod. et Ed. pr. *videbit e suo;* ex quo Rhenan. *viderit e suo:* Burer. et Lugd. Bat. 2. *ut dubitet suone, an:* Burmann. in textu suo Rhenan. lectionem sequitur, sed in notis conj. *unde liquet, suo an:* Voss. Burerium in ceteris secutus, restituit *suo*, et mox *fuerit*, pro *fuerat*, quod erat in Cod. et Ed. pr.—9 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *interemp. est: paucissimi, et hi, qui deprecari, &c.* Ruhnken. conj. *paucissimis exceptis, qui ne d.* Heins. *ne* inserendum putavit, quod receperunt Bipont. sec. et Clud.—10 *Sui* damnat Herel., quod cum Krausio uncis inclusit Ed. Bipont., et expunxit Clud.—11 Ita Ed. pr. Ed. Basil. *Philippicis*.—12 *Sic* damnat Burer. uncis inclusit Ed. Bipont. expunxerunt Vascos. et Clud. *sibi* vult Burmann. *id* Gruner.—1 *Modum*, quod deest in Cod. in margine supplevit Rhenan. qui tamen plura deesse arbitratur. Eum secuti sunt Ruhnken., qui etiam *finem* proponit, Lips. Acidal. Burmann. Ed. Bipont. et Clud. Burer. *triumphum*.—2 Emendatio hæc ex Ed. pr. *ad solium alerunt in p. g.* debetur Putean. quam deinde, probantibus Voss. et Heins., receperunt omnes Edd.—3 *Cum*, quod abest ab Ed. pr. restituit Lips.—† Ita Cod.

NOTÆ

[u] *Ex quo in quem statum*] Ab Oligarchia, quæ paucorum dominatio est, ad Monarchiam, sive unius imperium respublica transiit. Actiacæ victoriæ diem diligenter Velleius notat, quod ex eo tempore Romæ repetitus sit uni prorsus parendi mos. Quare ne audias eos, qui a Julio Cæsare potius, quam ab Augusto initia Romanæ Monarchiæ numerant. Non propterea Julio Cæsari eripio primi inter Romanos Imperatores loci decus: sed de Julio et Octavio dici potest, quod de Philippo Macedone et Alexandro Justinus pronuntiavit: 'Orbis imperii fundamenta pater jecit; totius operis gloriam filius consummavit.'

[x] *Facturus fuerit (modum)*] Sensus est: Ex lenitate, quam Cæsar in Actiaca victoria præbuit, judicari potuit, quam moderate sua victoria usurus fuisset, aut initio sui triumviratus, aut in campis Philippiis, si licuisset. Quæ consequuntur, et sunt aut hiulca aut mutila, Cl. Puteanus ita restitnit: *At Sosium L. Aruntii prisca gravitate celeberrimi fides, mox diu clementia luctatus sua Cæsar servavit incolumem*. Hunc locum mirifice illustrat Dio lib. LI. Ubi Sosium unum ex Antonianis ducibus post fugam occultatum ab Arruntio; ab Augusto demum incolumem servatum scribit.

nem. Non prætereatur Asinii Pollionis factum et dictum memorabile. Namque cum[4] se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus se miscuisset,[4] rogante Cæsare, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum; 'Mea,' inquit, 'in Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimini[5] vestro[y] me subtrahaam, et ero præda victoris.'

87. Proximo deinde[6] anno [U. c. 724. a. Chr. n. 29.] persecutus reginam Antoniumque Alexandream,[‡a] ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit,[a] adeo ut multa desidiæ crimina[7] morte redimeret. At Cleopatra,[b] frustratis custodibus, illata aspide,[c] morsu, sane [ejus][8 d] expers muliebris metus, spiritum

---

Ed. pr. *Nam cum*.—4 Ita Cod. Ed. pr. *immiscuisset*.—5 Ita Acidal. Ed. pr. *discrimine*.—6 Ita Cod. Deest *deinde* in Ed. pr.—‡ Ita Cod. Ed. pr. *Alexandriam*.—7 Heins. *crimina sua morte*, ex Senec. Consol. ad Polyb. 31.—8 *Ejus*

NOTÆ

y *Discrimini vestro*] Discrimen sumitur hic pro certamine, sive dissensione, hoc sensu: Itaque vestris dissensionibus me non interponam nec immiscebo; sed ero præda victoris.

a *Alexandream*] Est urbs Ægypti: Gallis dicitur *Alexandrie*. Portum habet percelebrem, cujus ad ostium est Insula Pharos, quæ, injecta mole, nunc terræ adjacet.

a *Non segniter interemit*] Sic acta res est. Cum servus operam Antonio suam, et manum commodare ad mortem noluisset; immo se gladio confodiens cum ad heri pedes accidisset: tum Antonius ei, Recte tu quidem, inquit, qui, quod facere recusabas, quomodo mihi faciendum esset, ostenderis. Simulque vulnus in ventrem sibi impegit. Cetera ex Plutarcho repete.

b *At Cleopatra*] Auletæ filia fuit, soror et uxor Ptolemæi ultimi, regis Ægypti. A Cæsare primum adamata; cui Cæsarionem filium peperit: dein ab Antonio uxoris loco habita est, relicta Octavia Augusti sorore. Spiritum vero reddidit anno ætatis 39. Vide Horatium Od. I. 37.

c *Illata aspide*] Serpentis genus est præsentissimi veneni. In Africa sola nascitur: unde dicitur nunc Libyca, nunc Ægyptia. Nam quod Strabo aliis in regionibus aspidas ponit illud manifesti erroris Salmasius arguit. Neque enim, quas nos vocamus aspidas, habent ullam communem notam cum illis quas veteres describunt. Quarum commune σύμπτωμα somnus est dormiendique libido, ac sine sensu et dolore mors.

d *Morsu, sane ejus*] Ursini lectionem valde probo: *At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide sinui, morsu ejus, expers muliebris metus, spiritum reddidit*. Acidalius voculam *sane* non citra rationem sic transponit: *morsu*

reddidit. Fuitque et fortuna et clementia Cæsaris dignum, quod nemo ex his,[9] qui contra [eum][10] arma tulerant, ab eo [jussuve ejus][11] interemtus. D. Brutum Antonii interemit crudelitas. Sex. Pompeium, ab eo devictum,[12] idem Antonius, cum dignitatis quoque servandæ dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus et Cassius, ante quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonii Cleopatræque quis fuisset[1] exitus, narravimus. Canidius timidius decessit, quam professioni ejus, qua semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Cæsaris, Parmensis Cassius, morte pœnas dedit, ut dederat (primus)[2] Trebonius.[a]

88. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæsar imponit manum, M. Lepidus, juvenis forma, quam mente, melior, Lepidi ejus, qui triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius, Junia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Urbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc Urbis custodiis præpositus C. Mæcenas, equestri,[3] sed splendido, genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra fœminam fluens;[f] non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus (quippe vixit angusti clavi[f] pæne[4] contentus);[g]

f Sed languens desidia et mollitie prope magis quam femina, statim atque negotia concederent illi aliquam relaxationem.

g Contentus equestri ordine.

---

expungendum censet Kraus. Acidal. probante Ruhnken. transponit *morsu ejus, sane expers*: Ursin. delet *sane*, et leg. *illata aspide simul*, &c. Cod. *in morsu sane ejus.*—9 *Iis* malit Kraus. et ita Ed. Clud.—10 *Eum* expungendum censet Herel.—11 Hæc uncis inclusa pro glossemate habent Kraus. et Heyne.—12 Ita correxit Acidal., probantibus et recipientibus Ruhnken. Ed. Bipont. et Clud. Cod. *ab eodem victum*, et ita Lugd. Bat. 2. Burm. et al. Ed. pr. *ob eodem victum.*—1 Kraus. conj. *fuerit.*—2 *Primus* inseruit Ald. Nep. s. Putean. quem secuti sunt Ruhnken. Ed. Bipont. et Clud. deest vero in Edd. plurimis.—3 Ita emendavit Ed. Basil. cui accederunt Ruhnken. Acidal. Putean. Gruter. Gryph. Voss. Burm. Lugd. Bat. 2. Ed. Bipont. et al. Ed. pr.

NOTÆ

ejus, sane expers muliebris metus.

[a] *Trebonius*] Usus Latini sermonis postulat, ut legatur, *ut dederat primus Trebonius.* Quod Manutius observavit ex Philippicis Ciceronis.

[f] *Angusti clavi*] Sic vulgo legitur:

nec minora[5] consequi potuit, sed non tam[5] concupivit. Hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, et mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium.[†] Et ille quidem male consultorum pœnas exsolvit. Æquetur prædictæ jam Antistii,[6] Servilia[h] Lepidi uxor, quæ vivo

equestris et s. g. n. Mamt. *equestri et s. g. n.*—4 Sic Ed. pr. quæ aperto vitio laborat, quod Editor Basil. audacius sanare tentavit, *angusto clavo pene contentus.* Rectius in *pene*, (ita scribit Ed. pr.) latere nomen substantivum, unde casus alter pendeat, judicarunt Viri docti et Ruhnkenius. Rubenius de Lato clavo, teste Heinsio, supplevit *pœnula;* Oct. Ferrarius Analect. de Re vestiar. c. 8. *honore;* Schefferus Misc. Obs. Vol. IX. p. 172. *gestamine;* Gruuerus, *nomine.* Sententia suadet *honore*, s. *decore*, s. *insigni;* quod Velleio usitatissimum est; cf. I. 11. II. 81. Tale quid periisse h. l. et *pene* ex alio adverbio, fortasse *sane*, corruptum est. *Kraus.* Emendationem Ed. Basil. secuti sunt Ursin. Gryph. et Boecler. necnon Lips. qui tamen *plane* pro *pene* conjicit. Ed. Bipont. *angusti clavii persona con.* Clud. *angusto clavo bene con.*—5 Rhenan. probantibus Acidal. et Lips. conj. *majora*, quod Popmæ et Heins. displicet.—† Herel. malit *incendium*, ut supr. 48.—6 Ita Voss. Ruhnken. et Ed. Bipont. Ed. pr. *Antistiæ:* Burm. Lugd. Bat. 2. et al. *prædictæ Calpurniæ*

NOTÆ

alii, Lipsii emendationem Thysiique editionem secuti, legunt, *angusto clavo.* Melius etiam, pro *pœne*, legeretur *plane.* Angustus clavus equestris ordinis insigne fuit, quo a Senatoribus equites discernebantur. Quod ut relinquam penitus perspectum, observo *clavum* genus quoddam vestis esse, aureis clavis distinctæ; quæ et palmata vocabatur a similitudine palmarum: et verrucata, a verrucis clavo similibus. Quod si latior esset, latus clavus dicebatur, conveniebatque duntaxat iis qui Senatores erant. Hac veste tamen induebantur, qui vel patre Senatore, vel equites nati fuissent, ab anno 17. quo togam virilem etiam sumebant, ad annum ætatis Senatoriæ. Quo anno si dignitatem senatoriam consequerentur, lati clavi vestem assumebant: sin minus assequerentur, deponebant; angusto clavo tantummodo contenti.

Delph. et Var. Clas. *Paterc.* N

[5] *Sed non tam*] Schegkius putat *tam* dici pro *valde;* auctoritatemque Plauti affert; 'ferocem facis, quia te herus tam amat.' Mihi quidem videtur hic sumi *tam* pro æque, hoc sensu: Nec ad minores quam Agrippa dignitates pervenire valuit, sed eas non æque ac ille concupivit.

[h] *Servilia*] Quod de Servilia Velleius narrat, vulgo Porciæ, Bruti conjugi, ascribitur: deinde de Servilia Valerius Maximus, alioqui diligens hujus ævi scriptor, nihil commemorat. Denique Lepidi uxor non Servilia fuit, sed Antonia, triumviri filia. Vossius tamen non audet Velleio detrahere fidem: 1. Quia Lepidus, Antonia spreta aut mortua, superducere Serviliam potuit: 2. Quia Serviliam inter aliquot matronas Romanas laudat Ælianus Var. Hist. lib. XIV. cap. 45.

igni[j] devorato, præmaturam mortem immortali nominis sui pensavit memoria.[k 7]

89. Cæsar autem reversus in Italiam [U. c. 725. a. Chr. n. 28.] atque Urbem, quo occursu,[8 k] quo favore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit; quæ magnificentia triumphorum ejus, quæ fuerit munerum,[l] ne in operis quidem[9] justi materia, nedum hujus tam recisi, digne exprimi potest. Nihil deinde[10] optare a Diis homines, nihil Dii hominibus præstare possunt; nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Urbem, reipublicæ populoque Romano terrarumque orbi repræsentaverit.[11 m] Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, senatui majestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo prætoribus allecti duo; prisca illa et antiqua reipublicæ forma renovata.[12] Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatæ utiliter, latæ salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severitate, lectus. Principes viri, triumphisque et amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Urbem illecti sunt. Consula-

[j] *Comparemus cum Calpurnia uxore Antistii*, de qua *supra diximus*, *Serviliam uxorem Lepidi: quæ, devoratis candentibus carbonibus, morte præpropera nomini suo conciliavit sempiternam gloriam.*

Antistii, &c.—7 Burer. *præmatura morte immortalem n. s. p. memoriam.*—8 Ita reposuit Lips. Ed. pr. *atque urbem occursus*, unde Acidal. et Voss. conj. *adque urbem.* Gruter. delendum putavit *occursus*: Heins. *quo ad urbem occursu.* —9 Ita emendavit Ed. Basil. Ed. pr. *nedum in operis siquidem.*—10 Ruhnken. ex II. 113. conj. *denique.*—11 Nonnulli *repræsentavit*, unde Lips. *repræsentarit.*—12 Ita Acidal. probante Ruhnken. Ed. pr. *revocata.*—1 *Ut*, h. l. ne-

NOTÆ

[j] *Vivo igni*] Vivus ignis dicitur pro ardenti: quo pacto dixit Horatius, 'viva lucerna.'

[k] *Occursu*] Dio testatur decretum á Senatu, ut Cæsari urbem ingredienti Virgines Vestæ, Senatus, populusque cum conjugibus et liberis occurreret.

[l] *Quæ fuerit munerum*] Id est, spectaculorum, quæ populo exhibuit. Vide cap. 48. n. 1.

[m] *Repræsentaverit*] Id est, reddiderit, sive præstiterit, et quasi præsentem solverit.

tas (ut)[1] tantummodo usque ad undecimum, [quem] continuaret, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari[2] potuit.[4] Nam dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter[n] repulit. Bella sub Imperatore gesta, pacatusque victoriis[o] terrarum orbis, et tot extra Italiam domique opera, omne ævi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigent.[3 p] Nos memores professionis, universam imaginem principatus ejus oculis animisque subjecimus.

90. Sepultis, ut prædiximus, bellis civilibus, coalescentibusque reipublicæ membris, [et coram altero][4 q] quæ tam longa armorum series laceraverat, Delmatia, viginti et du-

[1] *Obtinari non potuit a Cæsare, ut pergeret gerere consulatum amplius undecies, cum sæpe restitisset* etiam *contra* id *obluctans.*

---

cessarium, a præcedente syllaba *us* extritum, suo loco restituisse putamus. Ed. pr. *Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret.* Ed. Basil. delevit interpunctionem post *undecimum* et pro *quem* legit *ut*. *Quem* vero ab indocto homine Velleio obtrusum videbatur. *Kraus.*—2 Ita Edd. plurimæ ex emendatione Ed. Basil. *impetrare* Ed. pr.—3 *Fatigent* Ed. pr. quod correxit Lips. Acidal. conj. *flagitant:* Voss. *fatigarent.*—4 Expungenda hæc censuerunt Ed. Basil. Ald. Nep. Acidal. Boecler. et Vir Ill. in Ephemerid. lit. Goetting. a. 1779. Add. p. 120. qui hoc monstrum lectionis ex depravato glossemate scioli cujusdam, *eo jam altero*, ad *bella civilia* respicientis, ortum esse conjicit. Alii aliud vix feliciter tentarunt. Burer. *et coram altero*, sc. R. P. membro. Lips. *et curante eo.* Voss. *eo curante serio.* Heins. *et eo cura majore.* Gruner. *in corpus antiquum.* Vir D. in Biblioth. Univers. German. T. XLVIII. Fasc. 2. ex Pacato Paneg. 36. ap. Ruhnk. ad h. l. *sub uno capite.* Nodell in Libello crit. Obss. *et coierunt alia.* Herelius longe melius, *junctura meliore.*

NOTÆ

[n] *Tam constanter*] Hic miror Brissonium, Popmam, et Vossium: quorum duo priores affirmant *tam* sumi pro *valde;* alter vero non dubitat, quin sit reponendum *tamen*. Nam quis non videt *quam* hic non esse pronomen, sed adverbium; eique *tam* opponi hoc sensu. Nam quod spectat ad dictaturam, tanta constantia eam repulit, quanta pertinacia eam illi populus deferebat? Dictaturam autem, rejecta ab humeris toga, nudo pectore, deprecatus est Cæsar.

[o] *Pacatusque victoriis*] Lipsius non incommode legit, *peragratusque, &c.*

[p] *Fatigent*] Id est, fatigarent. Sed forte, quod Acidalio placet, *flagitant.*

[q] *Et coram altero*] Hæc tria verba nonnulli, Aldo duce, tollunt: sed audaciores sunt, cum vulgata lectio auctoritate Ms. nixa sit. Vossium potius aut Lipsium sequor; sed Lipsium magis, qui simplicius legit, *et curante eo, quæ, &c.* hoc sensu: Augusto curam et medicinam adhibente iis reipublicæ partibus, quas tam longa bellorum series laceraverat.

centos (annos)[5] rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii.[k] Alpes,[r] feris incultisque[6] nationibus celebres, perdomitæ. [U. c. 729. a. Chr. n. 24.] Hispaniæ, nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ [U. c. 735. a. Chr. n. 18.], quemusque in tertium consulatum, et mox collegium tribuniciæ potestatis,[l] amicitia Principis evexerat, multo varioque Marte pacatæ. In quas provincias cum initio Scipione et Sempronio Longo consulibus primo anno secundi (belli)[7] Punici, abhinc annos CCL. Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos CC. in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut,[m] amissis populi Romani imperatoribus[8] exercitibusque, sæpe contumelia, [etiam][9] nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim provinciæ Scipiones consumserunt: illæ contumelioso X.[10 s] annorum bello sub duce Viriatho majores nostros exercuerunt: illæ terrore Numantini belli, populum Romanum concusserunt. In illis turpe Q. Pompeii fœdus, turpiusque Mancini, senatus cum ignominia dediti imperatoris[n] rescidit: illa[t] tot consulares, tot prætorios

[k] *Dalmatia*, quæ *rebellaverat viginti et ducentos annos, tandem* ita *pacata est*, ut se perpetuo *imperii* Romani deinceps subditam esse *agnoverit*.
[l] *Et non multo post* usque eo, ut esset ipsius *collega in munere Tribuni*.
[m] *In his pugnatum est ab utraque parte cum tanta effusione sanguinis, ut, &c.*
[n] *Cum dedecore ducis*, qui *traditus* fuit hostibus.

Ruhnkenius nihil ausus est. *Kraus.*—5 *Annos* addidit Lips. probante Ruhnken.—6 Ita emendavit ex Ed. pr. *multisque* Heins. probante et recipiente Ruhnken. Ed. Bipont. *inultisque.*—7 Heins. addidit *belli*, quod deest in Edd. vett.—8 Ed. pr. *amissis prætor imp.* Ed. Basil. *P. R. imp.*—9 Ruhnken.

NOTÆ

[r] *Alpes*] Montes excelsi sunt, qui Italiam separant a Gallia et a Germania. Vulgo dicuntur *les Alpes*. Tamen multiplices sunt, et pro varia locorum nationumque diversitate varia nomina sortiuntur.

[s] *X. annorum*] Alii viginti annos belli Viriathini numeraverunt, alii quindecim, ut epitome Livii et Florus. Appianus aperte docet hoc bellum gestum annis duntaxat octo: Justinus, annis decem. Verum historicos inter se componere facile est. Ergo qui decem aut quindecim annos numerant, illi spectant Viriathi imperium, quod ultra non patuit: qui vero viginti annos, illi de durationе belli potius, quam de annis imperii Viriathini loquuntur.

[t] *Illa*] Scilicet, regio.

absumsit duces; patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit,[11] Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme L. perduxit Cæsar Augustus, ut, quæ maximis bellis nunquam vacaverant, eæ sub C. Antistio,[12] ac deinde P. Silio legato ceterisque postea, etiam latrociniis vacarent.[o]

91. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac rege Parthorum signa Romana, quæ, Crasso oppresso,[13] Orodes, quæ, Antonio pulso, filius ejus Phraates[u] ceperant, Augusto remissa sunt. [U. c. 734. a. Chr. n. 19.] Quod cognomen illi viro, Planci sententia, consensus[x] universi senatus populique Romani indidit. [U. c. 727. a. Chr. n. 26.] Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Quippe L. Murena, et Fannius Cæpio, diversis moribus, (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio et hoc ante[1] pessimus,) cum inissent occidendi Cæsaris consilia [U. c. 732. a. Chr. n. 21.], oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, jure passi sunt. Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori, quam senatori, propior,[p] collecto in ædilitate favore populi, quem extinguendis privata familia[q] incendiis in dies auxerat, in tantum quidem,

[o] *Ut, quæ provinciæ nunquam fuerant sine maximis bellis, eæ* posten *sub Caio Antistio, &c. essent etiam sine latrociniis.*

[p] *In omnibus similior gladiatori, quam Senatori.*

[q] Opera *suorum domesticorum.*

---

etiam expungendum censet.—10 Edd. vett. *XX.*—11 Ita Ed. pr. Cod. *poterit.* —12 Ita correxit Ed. Basil. ex Flor. IV. 12. 51. et Dion. LIII. 25. Ed. pr. *Aristio.*—13 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *presso.*—1 Ita Ed. pr. Ed. Basil. trans-

NOTÆ

[u] *Filius ejus Phraates*] Hic falsus est Ursinus, qui pro *Phraates* substituendum esse putat *Pacorus.* Nam, 1. constat ex Velleio Pacorum ante fugam Antonii a Ventidio jam occisum fuisse. 2. Constat ex Justino, Dione, Zonara, et aliis, Orodem triginta filios habuisse, et inter eos Pacorum et Phraatem.

[x] *Consensus*] Sic, teste Vossio, fuit in veteri codice, non autem *consensu*, ut aliqui ediderunt.

ut ei prætoram continuaret,[y] mox etiam consulatum petere ausus, cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus,[2] nec melior illi res familiaris, quam mens, foret; aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit, ut,[3] quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri, et idem passurus, minus conspici. Neque hic prioribus in occultando[z] felicior fuit: abditusque carceri,[a] cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit.

92. Præclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturnini, circa ea tempora consulis [U. c. 735. a. Chr. n. 18.], ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis[b] Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum orbi præsentia [sua][4] pacis suæ bona. Tum Sentius, forte et solus, et absente Cæsare, consul, cum alia, prisca severitate summaque constantia, [vetere consulum more ac severitate][5] gessisset, protraxisset[r] publicanorum[c] fraudes, punisset avaritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis præcipuum egit consulem.[s] Nam et quæsturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri[d] vetuit; et,

[r] *In lucem protulisset.* [s] *Præcipue se præbuit consulem.*

---

ponit *ante hoc*.—2 Ruhnken. tentavit *omnium f. s. sentina emersus*.—3 *Ut*, quod aberat a Codice et Ed. pr. restituit Burer.—4 *Sua* ejicit Ruhnken. ut *præsentia* pro adjectivo sumatur.—5 Vir D. in Ephemerid. lit. Goetting. an. 1779. Addit. p. 120. hæc merito de glossemate suspecta habet. cf. loc. infr. sub fin. hujus cap. Ruhnkenius ante eum *ac severitate* solum

NOTÆ

[y] *Ut ei prætoram continuaret*] Noli id interpretari, quasi prætor bis fuisset: nam nihil aliud Velleius innuit, quam Egnatium ab ædilitate prætoram obtinuisse. Quod ut penitus intelligas, observa, opus etiam olim fuisse annorum aliquot intervallo a magistratu ad magistratum. Quare Vossius *ei* refert ad ædilitatem; accipitque *continuare* pro continue et sine intervallo jungere.

[z] *Occultando*] Subintelligitur aut *se*, aut *facinore*.

[a] *Abditusque carceri*] Forte, *addictus*: quo modo legit Acidalius.

[b] *In ordinandis*] Subintellige, *occupatus*.

[c] *Publicanorum*] Sic vocantur, qui principum reditus et vectigalia populi exigunt, eaque certo constituto pretio redimunt.

[d] *Profiteri*] Id est, nomen edere,

cum id facturos se perseverarent, consularem, si in Campum[e] descendissent, vindictam minatus est.' Et Egnatium, florentem favore publico, sperantemque, ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit; et, cum id non obtinuisset, juravit, etiam si factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum.[x] Quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor, nisi quod, naturaliter, audita visis laudamus libentius; et præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur; et his nos obrui, illis instrui credimus.

93. Ante triennium fere, quam Egnatianum scelus erumperet, circa Murenæ Cæpionisque conjurationis tempus [U. c. 732. a. Chr. n. 21.], abhinc annos L., M. Marcellus,[f] sororis Augusti Octaviæ filius, (quem homines ita, si quid accidisset Cæsari, successorem potentiæ ejus arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam securo ei[6] posse contingere non existimarent,) magnificentissimo munere ædilitatis[g] edito,[z] decessit admodum juvenis, sane, ut aiunt, ingenuarum[7] virtutum, lætusque animi et ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax. Post cujus obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam,[y] ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensio-

[t] *Et cum asseverarent id se facturos, minatus est se animadversurum in eos auctoritate Consulis, si venissent in campum.*

[x] *Tamen se eum non declaraturum.*

[z] *Exhibito, cum esset ædilis, magnificentissimo spectaculo.*

[y] *Qui sub prætextu legationis pro principe profectus in Asiam.*

damnaverat.—6 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *securos ei*: Rhenan. *secure* vel *securius*.

NOTÆ

dare. Sic profiteri bona dicitur, pro facultatum suarum numerum et vim apud magistratum declarare.

[e] *Si in Campum*] Intellige, *Martium*: ubi comitia habebantur.

[f] *M. Marcellus*] Ille est, de quo Virgilius Æneid. VI. 'Tu Marcellus eris.' Ad cujus libri recitationem coram Augusto, sed maxime ad supradictum versum, defecisse dicitur Octavia mater, atque, ægre collecto spiritu, jussisse Virgilio dena sestertia pro singulo versu dari.

[g] *Munere ædilitatis*] Intellige, *spectaculum*. Ædilium enim erat interdum populo spectacula præbere.

nes,[z] præsenti se subduxerat tempori, reversus inde [U. c. 733. a. Chr. n. 20.] filiam Cæsaris Juliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem, fœminam neque sibi, neque reipublicæ felicis uteri.[a]

94. Hoc tractu temporum Ti.[8] Claudius Nero, (quo trimo,[9 b] ut prædiximus, Livia, [Drusi Claudiani filia, despondente[10] Nerone, cui ante nupta fuerat,][11] Cæsari nupserat,) innutritus cœlestium præceptorum disciplinis, juvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, visuque[12] prætulerat principem,[b] quæstor, undevicesimum annum agens, capessere[13] cœpit rempublicam [U. c. 732. a. Chr. n. 21.]; maximamque difficultatem annonæ, ac rei frumentariæ inopiam, ita Ostiæ[1] atque[1] in Urbe mandato vitrici[2] moderatus est, ut[c] per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Nec multo post [U. c. 734. a. Chr. n. 19.] missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt, provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu[3] editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta

[z] *Ob secretas inimicitias cum Marcello.*

[a] *Fœminam neque sibi, neque reipublicæ, fortunatæ fœcunditatis.*

[b] *Qui a principio* pueritiæ *spem dederat,* se tantum fore *quantus* nunc *est, et qui aspectu solo princeps esse judicabatur.*

[c] *Et, jussu vitrici, ita Ostiæ atque Romæ curavit cibos et rem frumentariam, cujus erat maxima penuria, ut, &c.*

—7 Ita Cod. Ed. pr. *sane ingenuarum, ut aiunt.*—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Titus.*—9 Ita emendavit Ald. Nep. Ed. pr. *primo:* Ed. Basil. *prius nato;* et ita Erasm. Steph. et Popma. Lips. *bimo,* quod placet Boecler.—10 Ita Ed. Basil. Cod., ut videbatur Burerio, *respondente ei:* Ed. pr. *respondente:* Ruhnken. Burm. Lugd. Bat. 2. et al. *despondente ei.*—11 Hæc uncis inclusa ex II. 75. et 79. Ruhnken. inculcata esse judicat.—12 Ita correxerunt Ursin. Scheffer. et Markland. Edd. plurimæ *visusque* ex Ed. pr.—13 Cod. et Ed. pr. *capescere.*—1 Ita Rhenan. Ed. pr. *Ostia eratque.*—2 Sic Ald. Nep. Ed. pr. *victrici,* ut et mox *victrico,* quod correxit Ed. Basil.—

NOTÆ

[h] *Quo trimo*] A quibusdam legitur, *bimo.* Sed potius legendum *trimo;* nam etsi Velleius cap. 75. bimum illum nominavit, tamen ab eo tempore ad nuptias annus fere intercesit.

[1] *Ostiæ*] Urbs in ostiis Tiberinis sita.

ea in potestatem populi Romani, regnum ejus, Artavasdi[j] *** dedit. Quin[5] rex[k] quoque Parthorum, tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.

95. Reversum inde Neronem [U. c. 735. a. Chr. n. 18.] Cæsar haud mediocris belli mole[6] experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia.[d] Quippe uterque, divisis partibus,[e] Rætos Vindelicosque[l] aggressi [U. c. 739. a. Chr. n. 14.], multis urbium et castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi,[f] gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus; plurimo cum earum sanguine, perdomuerunt. Ante quæ tempora [U. c. 732. a. Chr. n. 21.] censura Planci et Paulli, acta inter discordiam, neque ipsis[7] honori, neque reipublicæ usui fuit: cum alteri vis censoris, alteri vita deesset; Paullus vix posset implere censorem,[g] Plancus timere deberet;[m] nec quicquam objicere posset adolescentibus, [aut objicientes audire,][8] quod non agnosceret[n] senex.

[d] *Quem Livia pepererat in domo Cæsaris.*
[e] Seorsim et *diversis locis.*
[f] *Et prœliati etiam feliciter instructa acie.*
[g] *Paullus vix posset obire munus censoris.*

---

3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *tractatu.*—4 Lacunam h. loco Lipsius, Ruhnkenius, et Herelius suspicati sunt, quam ille explet: *regnum ejus, Artavasdi ereptum, Tigrani dedit.* Cf. supr. 82. Herelius: *regnum Tigrani, mox Artavasdi dedit.*—5 Ita Ruhnken. Ed. pr. *Cujus*, unde Lips. conj. *Cum.*—6 Ita Heins. probante Ruhnken. Ed. pr. *molem.*—7 Ed. pr. *ipsi;* et mox *foret*, pro *fuit;* quæ ambo correxit Ed. Basil.—8 Hæc uncis inclusa Ruhnkenio a glossatore profecta esse

NOTÆ

[j] *Artavasdi*] Armeniæ regnum Tigrani, non Artavasdi, a Tiberio datum omnes affirmant. An esset autem verosimile Velleium in rebus sui Tiberii, tam recenti memoria, erravisse? Pro Velleio facit Tacitus Annal. II. his verbis: 'datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tib. Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, &c. dein Augusti jussu impositus Artavasdes.' Ergo litem sic compono: Tigranem, cum brevi spatio imperaverit, omisit quidem Velleius: at satis erat indicare Artavasdem a Tiberio, Augusti jussu, impositum regno fuisse.

[k] *Quin rex*] Cum Lipsio lege, *cum rex, &c.*

[l] *Rætos Vindelicosque*] Vide supra cap. 39. n. r.

[m] *Plancus timere deberet*] Intellige, *censorem:* quippe qui sibi malefactorum conscius esset.

[n] *Quod non agnosceret*] Id est, quod

96. Mors deinde Agrippæ [U. c. 742. a. Chr. n. 11.] (qui novitatem suam[o] multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut et Neronis esset socer; cujusque liberos, nepotes suos, D. Augustus, præpositis Caii† ac Lucii nominibus adoptaverat) admovit propius Neronem Cæsari. Quippe filia ejus Julia,‡ quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum,[p] quod, inchoatum (ab)[9] Agrippa, Marco Vinicio, avo tuo, consule,[q] [U. c. 735. a. Chr. n. 18.] magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est. Gentes Pannoniorum, Delmatarumque nationes,[r] situmque regionum ac fluminum, numerumque et modum virium, excelsissimasque et multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio loco explicabimus. Hoc opus servet formam suam. Hujus victoriæ compos Nero, ovans triumphavit.[s]

---

videbantur.—† Ed. pr. *Gaii*.—‡ Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Q. f. J. e. Ejus* tamen fortasse e margine intrusum est.—9 *Ab* deest in Edd. plerisque:

NOTÆ

non in se susciperet et confiteretur, etsi senex.

[o] *Novitatem suam*] Id est, qui multis factis nobilitaverat genus suum, antea parum cognitum. Vide cap. 34.

[p] *Pannonicum*] Pannoniæ bellum. Est autem Pannonia Europæ regio, quam Ptolemæus in superiorem et in inferiorem dividit. Pannonia superior hodie partim ab Austria, partim a Carinthia et Carniola occupatur: inferior tota sub Hungaria est, *Hongrie, et Autriche en partie*.

[q] *Agrippa, Marco Vinicio, avo tuo, consule*] Sigonius et Onuphrius ex hoc loco male astruunt Agrippæ quartum consulatum. Sed nec bene multi commentatores Agrippam volunt ad hoc bellum esse missum. Nam 1. ex his Velleii verbis, 'quem usque in tertium consulatum amicitiæ principis evexerat,' patet, Agrippam tertium consulatum non transcendisse. 2. Duos annos Velleius ibi signat: I^um^, quo Pannonicum bellum natum est, scilicet Agrippæ consulatu: 2um, quo idem bellum adolevit, avo Vinicii consule. Certe totum illud bellum Tiberius administravit. Quare Lipsio non est dubium, quin Velleius scripserit, *quod inchoatum Agrippa, Marcoque Vinicio, avo tuo, Cos.*

[r] *Delmatarumque nationes*] Petrus Ranzanus in sua Hungaria scribit universam Dalmatiam cum sibi conterminis Illyride atque Liburnia uno vocabulo dici *Sclavoniam, Esclavonie;* et quicquid trans Savum agrorum est, per quos iter sit versus Italiam, *Croatiam* nominari.

[s] *Ovans triumphavit*] Ovatio est minor triumphus: a triumpho, κατ' ἐξοχὴν dicto, hoc præcipue differt, quod triumphans curru, ovans autem vel equo vel pedibus urbem ingrederetur. Hinc a Græcis θρίαμβος πεζὸς, sive triumphus pedestris appellatur.

97. Sed dum in hac parte imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades [U. c. 738. a. Chr. n. 15.] sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi, cupidiore, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo,[h] amissaque legionis quintæ aquila,[i] vocavit ab Urbe in Gallias Cæsarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio, [U. c. 741. a. Chr. n. 12.] fratri Neronis, adolescenti tot sanctarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit,[10] cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est.[i] Morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos æqua ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit.[k] Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit.[l] [U. c. 745. a. Chr. n. 8.] Moles deinde ejus belli[l] translata in Neronem est, quod is sua et virtute et fortuna administravit, pervagatusque[11] victor[m] omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus, (quod præcipue[12] huic duci semper curæ fuit,) sic perdomuit eam, ut in formam pæne stipendiarise[n]

[h] *Et vitiosissimo simul et dissimulantissimo vitiorum* suorum.
[i] De *cujus ingenio dubitatur, utrum fuerit magis capax bellicorum factorum, an artium quæ pertinent ad administrandam rempublicam.*
[k] *Nam pulchritudine corporis proxime accessit ad fratrem.*
[l] *Deinde onus ejus belli, &c.* [m] *Et* cum *percurrisset victor, &c.*
[n] *Tributariæ.*

inseruit Lips. Ed. pr. *A. Marcoque V. a. t. Consulibus.*—10 *Perficit* a Lipsio receperunt Burmann. Gruner. Ruhnken. A. Thys. et Ed. Bipont. Ed. pr. *percipit.*—11 Ita Ruhnken. Ed. pr. *peragratus.*—12 Vir D. in Biblioth. Phil.

NOTÆ

[i] *Legionis quintæ aquila*] Aquila signum est totius legionis princeps. Signa quidem alia, Lupos, Minotauros, Equos, Apros, Dracones, Romani habuerunt: postea tamen, ceteris rejectis, unam servaverunt Aquilam, quam Marius, in secundo suo consulatu, Romanis legionibus præcipue addixit.

[l] *Fatorum iniquitas rapuit*] Teste Livio, lapsu equi, fracto crure, perilt intra tricesimum diem. Ejus laudes scripsit Horatius, Carm. IV. 4.

redigeret provinciæ. Tum alter triumphus, cum altero consulatu, ei oblatus est. [U. c. 747. a. Chr. n. 6.]

98. Dum ea, quæ prædiximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, [U. c. 742. a. Chr. n. 11.] omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum, atque eundem lenissimum securitatis urbanæ custodem[x] habemus, virtus compressit. Quippe legatus Cæsaris triennio cum his bellavit: gentesque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum; ejusque patratione[o] Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores ejus vigore[y] ac lenitate temperatissimos,[1] et vix quenquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quæ agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi.

99. Brevi interjecto spatio Ti. Nero, duobus consulatibus totidemque triumphis actis, tribuniciæ potestatis consortione[z] æquatus Augusto [U. c. 748. a. Chr. n. 5.], civium post unum (et hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere alterum reipublicæ lumen et caput, mira quadam et incredibili atque[2] inenarrabili pietate, [cujus causæ mox detectæ sunt,][3] cum C. Cæsar sumsisset jam virilem togam,[a] Lucius item

[o] *Et redegit gentes ferocissimas ad conditiones primæ pacis, cum plurima earum pernicie, nunc præliis, nunc expugnationibus* urbium, *et hujus* belli *consummatione, &c.*

Vol. I. p. 46. conj. *præcipuæ.*—1 Ita correxit Ruhnken. ex Ed. pr. *mixtissimos.*—2 Ruhnken. *ac pæne.*—3 Hæc Viro D. in Ephemer. lit. Goetting. 1779.

NOTÆ

[x] *Securitatis urbanæ custodem*] Id est, urbi præfectum, quem nos Galli diceremus, *Chef de la Police, et Juge criminel de Rome.*

[y] *Vigore*] Cl. Puteanus interpretatur rigore, sive severitate.

[z] *Consortione*] Id est, consociatione. Qua voce Cicero utitur Offic. lib. III. 'dissolvatur necesse est omnis humana consortio.'

[a] *Sumsisset jam virilem togam*] Septimo et decimo anno hæc toga sume-

maturus esset, veritus,[4] ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, dissimulata causa consilii sui,[o] commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus,[p] qui singulorum animi, quæ digredientium a tanto viro omnium lacrymæ, quam pæne ei patria manum injecerit, justo servemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum,[5] ut omnes, qui pro consulibus[b] legatique in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum venientes,[6 c] semper privato (si illa[7] majestas privata[d] unquam fuit) fasces suos submiserint, fassique sint, otium ejus honoratius imperio suo.

100. Sensit terrarum orbis, digressum a custodia Neronem [Urbis].[8] Nam et Parthus desciscens a societate Romana, adjecit Armeniæ manum ;[q] et Germania [U. c. 754.

[p] *Item* cum *Lucius esset proximus ætati virili, ne splendor suus noceret primordiis* horum *juvenum* in regimen *introeuntium, tecta ratione sui consilii, postulavit a socero atque eodem vitrico facultatem abeundi et desistendi a continuandis laboribus. Quis hoc tempore fuerit status urbis, &c.*

[q] *Armeniam invasit.*

Addit. p. 120. e margine obtrusa videbantur.—4 Lectio hæc debetur Vascos. Ed. pr. *viris*, unde Putean. *viri* conjicit, quod displicet Heins., a quo *curis* tentatum est. Ed. Bipont. *viribus*, et ita Clud.—5 Ita Cod. Ed. pr. *moratum est:* Vascos. *esse.*—6 Ald. Nep. probantibus Ursin. et Voss. *ad eum convenientes*, expuncto *qui* post *omnes*. Ed. pr. *ad quem convenientes.* Rhenan. et Lips. *atque conveniendi.* Vascos. *visendi ejus gratia convenissent.* Acidal. *ut omnes pro consulibus...qui in transmarinas...ad eum convenere.* Ruhnkenio postulare videbatur constructio: *ad eum venissent.*—7 Ita correxit Lips. ex Ed. pr. *semper privatos illa m. p. nunquam f.*—8 *Urbis* ejiciendum putat Herel.

NOTÆ

batur, quo prætexta deponebatur; tanquam non pueriliter, sed viriliter esset vita peragenda.

[o] *Dissimulata causa consilii sui*] Non est ea, quam Velleius adulatorie indicat. Ergo veram ex Tacito repete. Hanc causam ait fuisse Juliam uxorem; quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset.

[b] *Qui pro consulibus*] Alii *Proconsules;* sed hoc loco Vossius profitetur, se Ms. codicis fide restituisse, *qui pro consulibus*, vel *pro consule.*

[c] *Ad eum venientes*] Lipsius legit, *visendi ejus gratia atque conveniendi.* Nonnulli autem cum minore licentia reponunt, *visendi ejus gratia ad eum convenientes.* Quam lectionem præ duabus aliis probamus.

[d] *Si illa majestas privata*] Id est, Si tamen Tiberius Nero, qua se oris majestate fert, haberi privatus unquam potuit.

p. Chr. n. 1.], aversis domitoris sui oculis, rebellavit. At in Urbe, eo ipso anno,[e] quo magnificentissimis[9] gladiatorii numeris naumachiæque spectaculis, D. Augustus, abhinc annos XXX. [U. c. 752. a. Chr. n. 1.], se et Gallo Caninio consulibus, dedicato Martis templo,[f] animos oculosque populi Romani repleverat, fœda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit.[f] Quippe filia ejus Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor,[g] nihil, quod facere aut pati turpiter posset fœmina, luxuria, libidine infectum[10] reliquit; magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet, pro licito vindicans. Tum Julius Antonius,[g] singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator ejus domus, ipse sceleris a se commissi ultor fuit: quem, victo ejus patre, non tantum incolumitate donaverat, sed sacerdotio, prætura, consulatu, provinciis, honoratum, etiam matrimonio sororis suæ filiæ in arctissimam affinitatem receperat. Quinctiusque[11] Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens, et Appius Claudius, et Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique mino-

[f] *At quo* anno *Divus Augustus, qui consul erat cum Gallo Caninio, post dedicatum templum Martis, recreaverat oculos et animos populi Romani spectaculis magnificentissimi ludi gladiatorii et pugnæ navalis,* (sunt *abhinc triginta anni,*) *hoc ipso anno exorta est in Augusti domo tempestas turpis dictu, et* quam *meminisse horret animus.*

[g] *In omnibus oblita* gloriæ suæ, *sui patris, et sui conjugis.*

—9 Ed. pr. *magnificentissimi.*—10 Herel. malit *intentatum*, vel *intactum.*—11 Ed.

NOTÆ

[e] *Eo ipso anno*] Hic fuit annus urbis 752. Dio tamen ab hoc calculo valde abit, et commemorat Juliam relegatam anno 748. Lælio Balbo et C. Antistio Vetere consulibus: at vehementer errat. Erravit quoque Joseph. Scaliger prochronismo quadriennii, Dionem secutus; nec attendens apud Dionem hiatum esse, et aliquot annorum defectum: quod diligenter annotavit ejusdem Dionis interpres.

[f] *Martis templo*] Illud Ovidius eleganter describit Fast. v. Fuerunt alia Martis Ultoris templa: sed hoc nobilissimum. Nunc S. Martinæ consecratum est, in foro Augusti.

[g] *Tum Julius Antonius*] Marci Antonii filius. Quod autem Velleius affirmat, eum sceleris a se commissi ultorem fuisse, diversus est Dio lib. LV. ubi illum cum aliis mulctatum, non vero necem sibi conscivisse dicit.

ris nominis,[g] utriusque ordinis viri, quasi cujuslibet[h] uxore violata, pœnas pependere,[i] cum Cæsaris filiam et Neronis violassent conjugem. Julia relegata in insulam,[k] patriæque et parentum subducta oculis, quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria[12 l] exilii permansit comes.

101. Breve ab hoc intercesserat spatium, cum C. Cæsar, [U. c. 754. p. Chr. n. 1.] ante aliis provinciis ad visendum[13] obitis, in Syriam missus, convento prius Ti. Nerone, cui omnem honorem, ut superiori,[m] habuit, tam varie se ibi gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum[14] mediocris materia deficiat.[u] Cum rege Parthorum juvenis excelsissimus[n] in insula,[15] quam amnis Euphrates[o] ambiebat, æquato utriusque partis numero,[x] coiit. Quod spectaculum stantis ex diverso, hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile,

[g] *Et alii obscurioris conditionis.*

[u] *Ut* is, qui *laudaturus est* hunc Caium, *non careat ingenti materia, et*, qui eundem *insimulaturus est, non* careat *mediocri.*

[x] *Utrinque comitante pari hominum numero.*

pr. *Quintiusque.*—12 Ita Lips. Ed. pr. *voluntarii.*—13 Ita correxit Lips. Cod. *adsidendum.* Ed. pr. Lugd. Bat. 2. et al. *ad sedandum.*—14 *Non* inserendum ante *mediocris* censet Kraus. quasi elapsum vel extritum a vicino *m.*—15 Ita

NOTÆ

[h] *Cujuslibet*] Hoc pronomen eo sensu dicitur, quo dixit Horatius, 'Non cuivis homini contingit adire Corinthum:' pro cujuslibet fortunæ et conditionis homine.

[i] *Pœnas pependere*] In exilium lege Julia pellebantur adulteri, cujuscumque tandem conditionis essent.

[k] *In insulam*] Dictam Trimerum, haud procul Apulis littoribus, ubi vigesimo exilii anno diem obiit.

[l] *Voluntaria*] Id est, sponte: neque enim exilium Juliæ voluntarium erat.

[m] *Cui omnem honorem, ut superiori*] Adulatorie pro more suo Velleius. Contra enim Dio planissime scripsit lib. LVI. 'Caium missum ad bellum Armeniacum Tiberius coluit et veneratus est.' Idem scripsit Zonaras.

[n] *Juvenis excelsissimus*] Aliqui scribunt, *excelsissimo, in insula, &c.* Hoc autem difficile est, immo incredibile. Erat enim Phraates hoc tempore rex Parthorum; et cum eo colloquium. Nec juvenis erat: sed, teste Lipsio, annorum et regni vetus. Ergo verissime emenda, *juvenis excelsissimus;* ut sermo sit de Caio, summo juvenum, et ad spem imperii ab Augusto destinato.

[o] *Euphrates*] Fluvius Mesopotamiæ, quem Strabo, Plinius, et Sallustius tradiderunt ex Niphate Armeniæ monte nasci; et in mare Rubrum in-

sub initia stipendiorum meorum, tribuno militum mihi[p] visere contigit. Quem militiæ gradum ante sub patre tuo, M. Vinici,[1 q] et P. Silio auspicatus, in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque, et omnibus ad Orientem visis provinciis,[r] et ore atque utroque maris Pontici latere,[s] haud injucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est.

102. Quo tempore M. Lollii, quem veluti moderatorem juventæ filii sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata Cæsari, fama vulgavit.[2] Cujus mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro. Sed quam hunc decessisse lætati homines, tam paulo post, obisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.[t] Armeniam deinde (Caius)[3] ingressus, prima parte introitus prospere (rem)[4] gessit; mox in colloquio,[5] cui se temere crediderat, circa Artageram[u] graviter a quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reipublicæ habere cœpit.

[s] *Et ostiis atque utroque latere Ponti Euxini.*
[t] *Virum* officiosissimum, et *natum ad sibi devinciendos homines.*

---

emendavit Lips. quem secutus est Ruhnken. Ed. pr. *juvene excelsissimæ insulæ*: Ed. Basil. *juvene excelsissimo in insula.*—1 Ita Ed. pr. Cod. et Edd. nonnullæ *Vinicio.*—2 Ita Lips. emendavit ex Ed. pr. vestigiis *C. jam avulgavit*: Nonnulli *Cæs. ira evulgavit.*—3 *Caius*, cujus compendium *c* a præcedente *e* absorptum erat, inseruimus, necessitate postulante. *Kraus.* Eum secuti sunt Ed. Bipont. et Clud.—4 Heinsius vel *rem* inserendum censebat, vel *gessit* in *cessit* mutandum.—5 Sic Ed. Basil. Ruhnken. et Clud. *colloquium*

NOTÆ

fluere, Tigrique conjunctum facere Mesopotamiam.

p *Tribuno militum mihi*] An in legione Tribuno, cum imperio in mille milites? An vero Tribuno castrorum, sive Gallice, quemadmodum vocant, *Maréchal de Camp*? Hoc postremum existimem ex infra dicendis: 'Hoc tempus me, functum ante tribunatu castrorum, Tiberii Cæsaris militem fecit.'

q *M. Vinici*] Vulgo, *M. Vinicio.* Sed procul dubio male, nam ejus pater *Publius* vocabatur.

r *Visis provinciis*] Alii legunt *versus;* sed Schegkius ex editione veteri reposuit *visis*, sicque censeo legendum; et redundare, *versus*, cum scripserit *ad Orientem.*

s *Circa Artageram*] Est urbs Armeniæ, quam nonnulli appellant *Artaxata.*

Nec defuit conversatio hominum, vitia ejus assentatione alentium. Etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio. Per quæ eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quam Romam regredi, mallet. Diu deinde reluctatus,[6] invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciæ[t] (Limyra[7] nominant) morbo obiit [U. c. 757. p. Chr. n. 4.]; cum ante annum ferme L.[8] Cæsar,[u] frater ejus, Hispanias petens, Massiliæ[9][x] decessisset. [U. c. 755. p. Chr. n. 2.]

103. Sed Fortuna, quæ subduxerat spem magni nominis, jam tum reipublicæ sua præsidia reddiderat.[s] Quippe, ante utriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio consule [U. c. 755. p. Chr. n. 2.], Ti. Nero, reversus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleverat. Non est diu cunctatus Cæsar Augustus. Neque enim quærendus erat, quem legeret,[10] sed legendus, qui eminebat. Itaque, quod post Lucii mortem, adhuc Caio vivo, facere voluerat, atque[11] vehementer repugnante Nerone, erat inhibitus, post utrius-

[s] *Sed fortuna, quæ ademerat reipublicæ spem, quam dabat ingens* Caii et Lucii *nomen, jam tum* ipsi *reddiderat suum columen.*

Ed. pr.—6 Ita Ruhnken. Ed. Bipont. et Clud. In Ed. pr. *diu* deest. Burer. e vestigiis Cod. *diu reluctatus*, vel *de reditu luctatus*, et exinde Acidal. conj. *dein diu*, vel *diu inde reluctatus*, probantibus Voss. et Heins.—7 Ita edidit Ruhnken. ex Strabon. XIV. p. 981. Cod. *Lymira:* Ed. pr. *Limyram.*—8 Lectio hæc, quam receperunt Edd. omnes recentiores, Ed. Basil. debetur. In Ed. pr. erat *quom ante annum quinquagesimum Cæsar.*—9 Ita Cod. Ed. pr. *Massilia.*—10 Ita Ed. pr. Cod. *legerat.*—11 Ita Ed. pr. E Cod. vestigiis apparebat

NOTÆ

[t] *In urbe Lyciæ*] Seneca rhetor, Florus, ac Rufus Festus Caium in Syria mortuum volunt. Aliunde Suetonius et Zonaras Velleium sequuntur. Urbem porro Limyram, ut et Limyrum fluvium, Ptolemæus in Lycia collocat. Est autem Lycia Asiæ minoris regio, inter Pamphyliam et Cariam.

[u] *Cum ante annum ferme L. Cæsar*] Hoc loco turpiter erratum est in editione, quam Gerardus Vossius curavit ann. 1654. Scripsit: *Cum ante annum ferme quinquagesimum Cæsar, &c.* Deceptus litera L. quam sumsit pro quinquagenarii nota, cum hic intelligi debeat Lucius Cæsar, de quo Suetonius in Augusto: 'Caium et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos.'

[x] *Massiliæ*] Vide sup. lib. II. cap. 15. n. r.

que adolescentium obitum facere perseveravit, ut et tribuniciæ potestatis[y] consortionem Neroni constitueret,[b] multum quidem eo cum domi, tum in senatu recusante, et eum Ælio Cato, Sentio consulibus v. Kal. Jul.[c] post Urbem conditam annis DCCLVII.[12] [p. Chr. n. 4.] abhinc annis XXVII., adoptaret.[z] Lætitiam illius diei, concursumque civitatis, et vota pæne inserentium cœlo manus, spemque conceptam perpetuæ securitatis æternitatisque Romani imperii, vix in illo justo opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Contenti simus,[d] id unum dixisse,[a] quam in illo (omnia) omnibus fuerint.[1] Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis;[e] adeo, ut nec plus sperari potuerit, nec speî responderi felicius.

[b] *Ut et sibi adjungeret Neronem socium tribunicii muneris.*

[c] *Vigesimo septimo Junii.*

[d] *Vix poterimus satis exprimere in illo prolixo opere,* quod meditamur, *tantum abest ut conemur hoc loco plane explicare.*

[e] *Tum reluxit parentibus certa spes* educandi *liberos, maritis habitandi cum uxoribus, privatis possidendi bona paterna, omnibus hominibus* agendi vitam *in quiete, in pace, in securitate.*

Burer. *atque eoque*, sive *eo quod*, et inde Ruhnken. tentavit *quoque*, i. e. *et quo.* —12 Cod. *ACC.LIIII.* Ed. pr. cum multis aliis *DCCLIIII.* Ald. Nep. ex æra Catonis *DCCLVI.* et ita Burmann.—1 Ed. pr. *nedum hinc implere tentemus: id unum dixisse quam ille omnibus fuerit, tum refulsit, &c.* Rhenan. *id unum dixisse contenti, quam ille charus omnibus fuerit tum apparuit. Tum refulsit.* Burer. *id unum dixisse juvat, quam ille omnibus fuerit charus, cum refulsit, &c.* Heinsius, *nedum hic implere. Tentemus, &c.* Lips. *quam ille omnia omnibus fuerit.* Ruhnken. *quam in illo omnia omnibus fuerint.* Burmannus, ut editum est,

NOTÆ

[y] *Tribuniciæ potestatis*] Intellige tribuniciam potestatem iterum Tiberio communicatam. Augustus enim antea sibi Tiberium adjunxerat socium hujus muneris. Observa, tum, scilicet Augusti tempore, Tribunatum fuisse præcipuam supremæ dominationis imaginem.

[z] *Adoptaret*] Id est, in filii locum asciscceret. Adoptio, teste Gellio, duobus modis fiebat. 1. Per prætorem, et erat proprie adoptio. 2. Per populum, aliquo magistratu rogante; et arrogatio dicebatur. Hæc nunc nostra ætate fit per principes. Hinc Jurisconsulti tradunt, 1. Adoptionem esse, cum is, qui sui juris non est, apud Magistratum transit alienam in familiam. 2. Arrogationem esse, quando auctoritate principis adoptamus eos qui sui sunt juris.

[a] *Id unum dixisse, &c.*] Lipsius legit, *id unum dixero, quam, &c.* Vossius, *id unum dixisse habeo, quam, &c.*

104. Adoptatus eadem[2] die etiam M. Agrippa, quem post mortem Agrippæ Julia enixa erat. Sed in Neronis adoptione illud adjectum, his ipsis Cæsaris verbis: 'Hoc,' [inquit][3] 'reipublicæ causa[b] facio.' Non diu vindicem custodemque imperii sui morata in Urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. Erat id[4] ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter: eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum ante tribunatu,[5] castrorum Ti. Cæsaris militem fecit.[f] Quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cœlestissimorum ejus operum per annos continuos IX. præfectus aut legatus, spectator,[6] pro captu mediocritatis meæ adjutor fui. Neque illi spectaculo, quo fructus[7] sum,[c] simile conditio mortalis recipere videtur mihi; cum per celeberri-

[f] *Hoc tempore militavi sub Tiberio Cæsare, cum antea fuissem tribunus castrorum.*

correxit.—2 Kraus. malit *eodem*, ut est infr. 112. sub fin.—3 *Inquit* suspectum videbatur Herel. et Scheffer.—4 Ed. pr. *Erat et*, quod correxit Lipsius.—5 Sic interpunxit Jo. Masson. in Novell. lit. T. XI. p. 363. Vulg. *tribunatu castrorum.*—6 Ed. pr. *spectatus:* correxit Ed. Basil. qui *et* ante *pro captu* addidit. Ed. Clud. *aut pro captu.*—7 Ita Cod. Ed. pr. *fruitus.*—8 Ita Edd.

NOTÆ

Id vero de Tiberio interpretantur: at num forte melius de ipsius diei celebritate?

[b] *Hoc, inquit, reipublicæ causa*] Longe a Velleii mente Tacitus, apud quem aliqui putant ab Augusto Tiberium non caritate aut reipublicæ cura ascitum esse successorem; sed Augustum, quoniam arrogantiam sævitiamque Tiberii introspexerat, comparatione deterrima gloriam sibi quæsivisse. Cum Velleio tamen Suetonius, liberi alias prudentisque judicii scriptor, consentit, et ab Augusto removet eam suspicionem, dum in Tib. XXI. scribit: 'Adduci nequeo quin existimem, circumspectissimum et prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse; sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cum et reipublicæ causa adoptare se eum pro concione juraverit, et epistolis aliquot ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi Romani præsidem prosequatur.'

[c] *Quo fructus sum*] Pro fruitus sum, a fruor. Ita Cicer. in Hortens. 'et amœnitate summa perfructus est.' Et Lucretius lib. III. 'Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa.'

mam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, veterem imperatorem et ante meritis ac virtutibus,[g] quam nomine, Cæsarem revisentes, sibi quisque, quam illi, gratularentur plenius.[e] At vero militum conspectu ejus elicitæ gaudio lacrymæ: alacritasque et salutationis nova quædam exultatio,[h] et contingendi manum cupiditas, non continentium[9] protinus quin adjicerent:[i] 'Videmus te, imperator, salvum recepimus:' ac deinde: 'Ego tecum, imperator, in Armenia;[d] ego in Rætia fui; ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum;' neque verbis exprimi, et fortasse vix mereri fidem potest.[10]

106. Intrata protinus Germania: subacti Caninefates,[e] Attuarii, Bructeri,[11] recepti Cheruſci [gentes],[12 f] et amnis,[1] mox nostra clade[g] nobilis, transitus Visurgis;[2 h] penetrata ulteriora; cum omnem partem asperrimi et periculosissimi

[e] *Equidem non puto, conditionem mortalium posse percipere* lætitiam *parem huic, quam cepi ex iis, quæ vidi: eum per frequentissimas oras Italiæ, et per omnes plagas provinciarum Galliæ, universi, qui revisebant* illum *veterem ducem*, qui *ante meritis et virtutibus, quam nomine Cæsar* erat, *gauderent* de ejus reditu, *magis sua, quam illius causa.*

[h] *Et lætitia quædam insolita in eo salutando.*

[i] *Non valentium se tenere, quominus adficerent, &c.*

---

plerœque recentiores ex conjectura Lips. Ed. pr. *viribus.*—9 Ita interpunxit Acidal. Ed. pr. *cont. protinus, quin.*—10 Contra Editionem pr. hæc ultima a recentioribus ad sequens caput tracta sunt. Revocarunt ea Gruner. et Ruhnken.—11 Ed. pr. *Caninifaci, Attuari, Bructeri.* Rhenan. *Caninefates, Cattuari, Bructeri. Attuarii*, Popma,. Voss. Heins. et Ruhnken.—12 Hoc, de glossa suspectum, delendum censet Lipsius, probante Ruhnken., qui tentarat, *receptæ Cheruscorum gentes*, ex II. 106.—1 Ita Rhenan. Ed. pr. *et inamnius:* Cod. *et inamnius*, ex quo conjecit Burer. *et inamenus:* Voss. *et utinam minus.* —2 Sic correxit et interpunxit Rhenan. Ed. pr. *nobilis transitu V.*—3 *In*

NOTÆ

[d] *In Armenia*] *Turcomanie.* Rætia, in aliquibus marmoribus sic scribitur sine afflatu, *Grisons et Tirol. In Vindelicis, Partie de Suaube et de Baviere. In Pannonia, Hongrie et Autriche en partie.* De quibus singulis suo loco supra dictum est.

[e] *Caninefates*] *Kennemerlandt en Hollande, et Province d'Utrect. Attuari, partie d'Ouer-issel, et de l'Evêché de Munster. Bructeri, Evêché de Paderbon, en partie. Cherusci, Duchez de Brunsvic et de Luneburg.*

[f] *Gentes*] Hanc veculam tanquam glossema delet Lipsius.

[g] *Mox nostra clade*] Intelligit eladem Varianam, de qua mox infra.

[h] *Visurgis*] Germaniæ fluvius est, hodie, *Le Weser.* Oritur in confinio Franconiæ, et inter Ducatum Bremensem et Comitatum Oldenburgensem Oceano Germanico miscetur.

belli Cæsar vindicaret;[4] [in][3] iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris ejus[4] in Germania erat,[5] præfecisset, virum multiplicem [in][6] virtutibus, navum,[7] agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem, ita tamen, ut eum splendidum aut[7] hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem, diceres. De cujus viri claro celebriquc consulatu prædiximus. Anni ejus æstiva,[i] usque in mensem Decembrem perducta,[8] immanis emolumentum fecere victoriæ. Pietas sua Cæsarem,[k] pæne obstructis[9] hyemæ Alpibus, in Urbem traxit: at tutela[10] imperii eum veris initio reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus, ad caput Lupiæ[11][l] fluminis, hyberna digrediens princeps locaverat.

106. Pro Dii boni, quanti voluminis opera insequenti æstate [U. c. 758. p. Chr. n. 5.], sub duce Tiberio Cæsare,

[4] *Cum Cæsar* sibi *sumeret id omne*, quod erat *difficillimum et periculosissimum* in hoc *bello*.

[3] *Hominem præditum multis virtutibus, diligentem, &c.*

---

damnant Herel. et Kraus. Cludius delevit, et addidit *sibi* post *vindicaret*.—4 *Ejus* suspectum Krausio.—5 Ita Ruhnken. Ed. pr. *fuerat*.—6 *In* damnat Rapheleng. probantibus Voss. Heins. Burmann. Ruhnken. et Herel. In Ed. Clud. deest.—7 Ita Ruhnken. Ed. pr. *ac*.—8 Lips. et Ruhnken. *producta*.—9 Ed. pr. *exstructis*, quod emendavit Ed. Basil. plurimis recipientibus.—10 Alii *traxit ad tutelam imperii*: Voss. *ad tutelam i. e. v. initium*, &c. Ed. pr. *veris initi*.—11 Ita ex emendatione Lips. pleræque recentiores. Ed. pr. et

NOTÆ

[i] *Anni ejus Æstiva*] Gallice, *la Campagne de cette année*. Bellum sic appellamus, quod geri æstate solet. Hinc æstiva castra dicuntur loci, in quibus æstate milites degunt: ut hyberna, in quibus hyemem transigunt.

[k] *Pietas sua Cæsarem*] Hujus loci duplex lectio. 1. Lipsiana: *pietas sua Cæsarem....in Urbem traxit: at tutela imperii eum veris initio, &c.* 2. Vossiana: *pietas sua Cæsarem....in Urbem traxit: ad tutelam imperii eum veris initium reduxit in Germaniam.* Utraque placet. Sensus est: Cæsaris pietas in suos, eum in Italiam retraxit: ad tutelam autem imperii, quod ei defendendum erat adversus barbaros, eum veris initium in Germaniam reduxit.

[l] *Lupiæ*] Consensus omnium et res ipsa jam pridem evicit ita legendum esse. Est autem Lupia Germaniæ fluvius in Rhenum per Westphaliam decurrens, et se exonerans apud Wesaliam urbem. Vulgo, *La Lippe en Westphalie*.

gessimus!m Perlustrata armis tota Germania [est]:11 victæ gentes, pæne nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorumn nationes. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, una cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti Langobardi13 o gens etiam Germana feritate ferocior.n Denique, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliariump a Rheno usque ad flumen Albim,p qui Semnonum1 q Hermunduorumque fines præterfluit,2 Romanus cum signis perductus3 exercitus: et eodem, mira felicitate et cura ducis, temporumque observantia, classis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abun-

m *Prok Dii boni, quam prolixo libro* digna describi *facta patravimus insequenti estate, sub ductu Tiberii Cæsaris!*

n *Natio etiam ferocior quam sunt* vulgo *Germani.*

---

al. eam insequentes *Julias*.—12 *Est* ejiciendum censet Herel.—13 Ita Cod. Ed. pr. *Longobardi*.—1 Ita Putean. Ed. pr. *Senonum*.—2 Nonnulli *præfluit*.

NOTÆ

m *Cauchorum*] Hæc natio complectitur Comitatus Embdanum et Oldenburgensem; et Episcopatum Bremensem.

n *Langobardi*] Germaniæ populi, qui in Ducatu Mechleburgensi circa Oderam *(l'Oder)* fluvium incolentes, egressi suis finibus in Italiam profecti sunt, et victis ibi Gothis, usque ad Caroli Magni tempora imperaverunt: a quibus Gallia Cisalpina maxima ex parte adhuc Lombardia quasi *Lancobardia* nominatur: hodie, *La vieille Marche de Brandebourg*.

o *Ad quadringentesimum milliarium*] Ad ducentas leucas, juxta communem Franciæ leucam, quæ duo millia passuum continet. Ad centum vero et triginta tres leucas cum tertia parte leucæ, juxta astronomicam leucam, quæ tria passuum millia comprehendit.

p *Albim*] Vulgo, *l'Elbe*. In Silesiæ finibus oritur, et per Bohemiam, Misniam, et Saxoniam in Oceanum fluit infra Hamburgam urbem Holsatiæ maximam.

q *Qui Semnonum*] Ita cum Thysio edidimus, ex Schegkii lectione, quam Ptolemæi, Strabonis, Tacitique stabilit auctoritas; cum vulgo legeretur *Senonum*. Sunt autem Semnones Germaniæ populi in eo tractu, ubi hodie Lusatia provincia, et pars Silesiæ inferioris. *Hermundorum*, sunt quoque Germaniæ populi, quorum regio olim Misnia vocabatur. Nunc vero habitant, ubi Voitlandia, pars australis Thuringiæ, et pars superior Franconiæ.

dantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se junxit.[o]

107. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecunque est, inseram.[p] Cum citeriorem ripam prædicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium juventute fulgeret, sub omnem ***[4] motumque nostrarum navium protinus refugientium, unus e barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia[r] conscendit alveum,[s] solusque id navigii genus temperans, ad medium processit[q] fluminis; et petiit, liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus,[5] egredi ripam, ac videre Cæsarem. Data petenti facultas.[6] Tum appulso lintre,[r] [et][7] diu tacitus contemplatus Cæsarem: 'Nostra

[o] *Et eodem* tempore, *cura et mira felicitate ducis, etiam observatione temporum, classis, postquam circumnavigavisset sinus Oceani, ingressa mari inaudito, et antea incognito, in flumen Albim, devictis plurimis nationibus, junxit se exercitui et Cæsari, cum maxima copia omnium rerum.*

[p] *Non possum tenere me, quin narrem inter tantas res hoc, qualecumque est.*

[q] *Et tenerent ulteriorem* ripam *copiæ hostium, quorum arma fulgebant,* et qui *ad omnem motum nostrarum navium statim recedebant; unus ex barbaris ætate senior, statura procerus, dignitate præstans, quantum conjiciebatur ex* ejus *vestibus, conscendit cymbam cavatam, pro eorum consuetudine, ex arbore, et solus gubernans hoc genus navigii, processit,* &c.

[r] *Appulsa cymba.*

—3 Burmann. malit *productus.*—4 Burerius lacunam suspicatus est. Cod. *sub omnem motumque.* Ed. pr. *sub omnem motum.* Ruhnken. in *omnem* substantivum latere putat: Forsitan *molem* excidit, vel latet in *omnem.* Kraus. Voss. *sub omnem motum quoque:* Heins. *sub omnem motum cujusque n. s. p. refugientibus.* Clud. *sub omen metumque.*—5 Cod. *tendebamus,* unde Boecler. leg. *qua armis,* s. *qua in armis tendebamus.*—6 Ed. pr. *Data a Cæsare p. f.* sed desunt *a Cæsare* in Cod.—7 *Et* expunxit Vascos. probantibus Heins. et Ruhnken.—8 *Fugit* leg.

NOTÆ

[r] *Ex materia*] Materiæ appellatione præcipue intelligimus ligna, quæ ædificiis aptantur, ut arbores, &c. Hoc sensu Livius accepit materiam: 'multam,' inquit, 'materiam ceciderat miles.'

[s] *Alveum*] Alveus hic accipitur pro naviculâ ex arboris cortice cavata, Gallice, *un canot.* Certe hujusmodi naviculas ex arborum cortice sic vocant, qui degunt in nova Francia, ubi plurimus earum usus est. Mirum est quot acceptiones præter superiorem patiatur idem nomen. 1. Significat fossam, per quam amnis decurrit; *Lit d'une rivière.* 2. Vas, cujus usus esse solet in balneis, *Bassin.* 3. Tabulam lusoriam, *Damier.* 4. Receptaculum, in quo apes mellificant, *Ruche.*

quidem,' inquit, 'furit[a] juventus, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit, quam sequitur fidem.' Sed ego beneficio ac permissu tuo, Cæsar, quos ante audiebam,[b] hodie vidi Deos: nec feliciorem ullum vitæ meæ aut optavi, aut sensi diem.' Impetratoque,[9] ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est. Victor omnium gentium locorumque, quos adierat, Cæsar, [cum][10] incolumi inviolatoque, et semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu,[c] in hyberna legiones reduxit, eadem, qua priore anno, festinatione Urbem petens.

108. Nihil erat jam in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum;[11][d] quæ, Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in interiora[12] refugiens, incinctos Hercynia sylva[13][e] campos incolebat. Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque[1] fortuitum, neque mobilem et ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum; sed[2] certum imperium, vimque regiam complexus animo, statuit,[f] avocata procul a Ro-

[a] *Nostri milites, ait, non sunt ausi, qui vos colentes ut numina, cum absentia, timent potius vestra arma, cum adestis, quam se tradunt* vestræ *fidei.*

[b] *Quos ante cognoveram auditione.*

[c] *Et oppugnato solum semel hostium insidiis, cum ingenti eorum clade.*

[d] Ob *nullam festinationem debeo præterire hunc hominem silentio. Marobeduus* erat ortus *nobili familia, robusto præ* aliis *corpore, animo ferox,* et *barbarus gente*

P. Delben. quod displicet Putean. Voss. et Lips.—9 Ita Ed. pr. Cod. *imperatoque.*—10 *Cum* expungendum censet Herel.—11 Ed. pr. *Marcomanersed* infr. 109. *Marcomannos.*—12 Ita Ed. Basil. Lips. Gryph. Stephan. Ruhnken. Lugd. Bat. 2. Erasm. et Clud. Ed. pr. aliæque vetustiores *inferiora.*—13 Ita correxerunt Heins. et Ruhnken. Ed. pr. *Hercynia sylvæ.*—1 Herel. malit *atque.*—2 Heins. leg. *neque mobilem, sed ex v. p. c. i. s. o. p. et c. i.*

NOTÆ

[a] *Marcomannorum*] Germaniæ populi fuerunt, primum incolæ tractuum Palatini ad Rhenum, Brisgoi, et Suevi maximam partem: unde egressi, deinde Hercyniam sylvam habitaverunt. Hinc Sanson, Brietius, aliique, Marcomannos posuerunt, ubi postea Bohemia propria: Vulgo, *La Bohème.*

[b] *Hercynia sylva*] Sylva est alias amplissima Germaniæ, et varii nominis pro varietate locorum: nunc autem angustioribus limitibus restringitur, et Bohemiam propriam circumcingit. Unde dicitur hodie Gallis, *Forêt de Bohème.*

manis gente sua, eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima.

109. [3]Occupatis igitur, quas[4] prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit:[y] corpus suum custodia munivit: [5]imperium, perpetuis armorum exercitiis (exercitu) pæne ad Romanæ disciplinæ formam redacto, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium:[z] gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, et, si lacesseretur,[6] superesse sibi vim ac voluntatem resistendi (ostenderet).[7] Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis desciscentibus erat apud eum perfugium; totusque[8] ex male dissimulato agebat æmulum;[a] exercitumque, quem LXX.[9] millium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat,[10] operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, cum Germa-

potius, quam intelligentia. Usurpavit dominatum inter suos, non dominaturus tumultuarie, et quasi casu, et obsecutus mutationi, et hominibus qui obedirent ex arbitrio suo: sed cogitatione complexus ideam *imperii stabilis, et regiæ potestatis, decrevit, &c.*

[y] *Aut pactionibus redegit in suam potestatem.*

[z] *Brevi extulit ad majestatem altissimam et formidolosam nostro etiam imperio,* tum *corpus suum,* quod *satellitio muniebat, tum regnum suum, quod redegerat continua exercitatione fere ad modum Romanæ disciplinæ.*

[a] *Id omnino se ostendebat æmulum nostrum, postquam malitiose dissimulaverat.*

—3 Ex emendatione Ruhnken. novum caput ab his verbis ordiendum putavit Kraus. Ed. Bipont. et Clud. Vulgo tamen incipit a seqq. *corpus suum, &c.*—4 Ita Ed. pr. In Cod. erat *quis*, sc. pro quibus, quod placet Burer.—5 Hæc ita usque ad *redacto* correxit Ruhnken. qui addidit *exercitu.* In Ed. pr. erat, *corpus suum custodia, tum imperium perpetuis exercitiis pæne ad R. d. f. redactum,* e quo Lips. *custodia tutum;* quod placet Heinsio: Burmann. *corpus suorum c. tutum, imperium...redactum.* Burer. e vestigiis Cod. *corpus suum custoditum,* et sic plurimæ Edd.—6 Ita ex conjectura Rhenan. ediderunt plurimi. Ed. pr. *neque bello nos lacesseretur, superesse s. v. a. v. resistendi. Legati, &c.* Ed. Basil. pro *et* dedit *at*, quod placuit Rhenan. Voss. et Ruhnken.—7 *Ostenderet* supplevit Burmann. Rhenan. conj. *declararet.*—8 Ed. pr. *totumque*, quod correxit Heins.—9 E vestigiis Cod. apparet *LXX.* fuisse, eraso *X.* posteriore, ex quo Ed. pr. habet *LX.*—10 Post *habebat* Kraus. supplendum censet *in manibus*, quasi librarii vitio elapsum. Heins. *obibat*: Grævius Syll. Epist. T. IV. p. 415. et Burmann. *agebat*, probante Ruhnken. Burmann. quoque proposuit *gerebat*, e Liv. XXI. 2. Herel. *jactabat*, ne statim

niam ad lævam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum haberet Noricos,[x] tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam:[b] quippe cum a summis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus[11] finium haud multo plus cc. millibus passuum[y] abesset. Hunc virum et hanc regionem, proximo anno [U. c. 759; p. Chr. n. 6.], diversis e partibus, Ti. Cæsar aggredi statuit, Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos,[z] excisis continentibus Hercyniæ sylvis,[c] legiones Boiohœmum[12 a] (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) (duceret;)[1 b] ipse a Carnunto,[c] qui locus Norici regni[a] proximus ab hac

[b] *Nec ejus incrementa sinebant Italiam securam esse.*
[c] *Amputata sylva Hercynia* in locis *proximis.*

verbum *agere* recurrat.—11 Ita Ed. pr. Cod. *cujus*.—12 Ita scribit Ed. pr. nonnulli *Boiemum*. Cluver. in *Boiohæmum*.—1 Deest *duceret* in Edd. vett. sed ex auctoritate Lipsii recentioribus suppletum est.—2 Cluver. leg.

NOTÆ

[x] *Noricos*] Nomen gentis pro regione, quæ Europæ est, alias Illyrici Occidentalis pars extra Germaniam, a qua Danubio dividebatur; nunc intra Germaniæ limites contenta. In Norico sunt Austria pro majori parte, et versus Occidentem, Stiriæ pars superior, Carinthia, Carniola superior, ditio Salisburgensis, aliquot loca Comitatus Tirolensis ad Boream, et minuta pars Bavariæ superioris et ad Ortum. Ex quo liquet errare, 1. Ortelium, qui Noricum *Bavariam* appellat, cum major Bavariæ pars in Vindelicia sit; quem errorem Thysius erravit Ortelium secutus. 2. Illos, qui Noricum *Austriam* esse contendunt, quod non nisi de Norico Ripensi verum est.

[y] *CC. millibus passuum*] Centum leucis.

[z] *Ut per Cattos*] Germaniæ populos, qui alias erant, ubi nunc Hassia cum parte Thuringiæ et Brunsvicensis Ducatus: quorum urbs primaria Castellum Cattorum erat, hodie *Cassel*.

[a] *Boiohæmum*] Quibusdam scribitur, *Boiemum*. Ampla Germaniæ regio est: ubi primum Boii fuerunt, deinde Marcomanni, denique Bœmi. Nunc Gallis dicitur *Boheme*.

[b] *Duceret*] Hoc verbum deest in aliquibus editionibus: addidimus vero, auctore Lipsio; alioqui imperfecta foret sententia. Aliud addere quoque Cluverius conatur. Quod enim *Boiohæmum* sit nomen regionis, vult legi, *in Boiohæmum duceret*. Fallitur: neque enim, ut bene notat Vossius, hæc regula semper observatur. Unus sit instar omnium qui sic locuti sunt, Virgilius Æneid. lib. vi. 'finesque Venturum Ausonios.'

[c] *Ipse a Carnunto*] Urbs olim Pannoniæ superioris erat ad Danubium: nunc Austriæ pagus in Hungariæ confinio, qui, teste Lazio, dicitur, *S. Petronel*, ob cœnobium D. Petronillæ dicatum non longe a Vienna.

parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

110. Rumpit,[3] interdum moratur proposita hominum fortuna. Præparaverat jam hyberna Cæsar ad Danubium,[d] amotoque[4] exercitu non plus quam quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum admovere copias jusserat;[e] quæ[5] pæne æquali[f] divisæ intervallo ab hoste, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæsare se[6] junctura erant: cum[7] universa Pannonia, insolens longæ pacis bonis, et adulta[8] viribus Dalmatia,[d] omnibus quoque[9] tractus ejus gentibus in societatem adductis, constituto[10] [e] arma corripuit. Tum necessaria gloriosis præposita: neque tutum visum, abdito[11] in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quæ rebellaverant, omnis numerus amplius DCCC. millibus[12] explebat. CC. fere peditum colligebantur armis habilia; equitum novem. Cujus immensæ multitudinis, parentis[1] acerrimis ac peritissimis

[d] *Et Dalmatia aucta viribus.* [e] *Ad decretum diem.*

Norico regno.—3 Heins. conj. *Rumpit interdum, interdum moratur*: Kraus. malit *At rumpit*.—4 Ita Heins. Ed. pr. *admotoque*.—5 Ita correxit Ruhnken. qui etiam ante *admovere* elapsum putat *eodem*. Ed. pr. *Saturninum admoveri placuerat, pene, &c.* Lips. pro *admoveri* conj. *admoneri*, et post *placuerat* inserebat *cujus copiæ*, quæ receperunt Heins. Burmann. et al. uncis inclusa.—6 *Se* deest in Edd. vett. Ruhnken. a syllaba *es* in dies absorptum esse putavit, sed Krausio potius ab ultima syllaba *re* in *Cæsare* extritum videbatur.—7 Ita Ed. pr.: Cod. *tum*.—8 *Adjuta* conj. Ursin.—9 Ed. pr. *omnibusque*, unde Ed. Basil. expunxit *que*, sed Ruhnken. in *quoque* mutavit.—10 Ed. pr. *constitit*, unde Ed. Basil. corrigit *ex constituto*, sed Voss. *ex* malit omittere. Heins. conj. *adjunctis, constituta arma c.*—11 Ita correxerunt Vascos. et Ed. Basil. Ed. pr. *addito*.—12 Ita Ed. pr. Acidal. malit *millia*.—1 Ita Cod. et pleræque

NOTÆ

[d] *Ad Danubium*] Notissimum et maximum Germaniæ fluvium. Gallice, *Le Danube*. Oritur ex monte Abnoba, in comitatu *Bar* dicto, prope Villingam oppidum Sueviæ. Deinde per plurimas regiones delatus, et auctus inter eundum sexaginta navigabilibus amnibus, tandem in Pontum Euxinum se per sex ostia exonerat versus Bessarabiam.

[e] *Admovere jusserat*] Etsi Boeclerus observat tolerari posse *admoveri*; cum Lipsio tamen lege *admoneri*, scilicet, certiorem de suo adventu fieri.

[f] *Pæne æquali*] Hanc lacunam cum Lipsio et Vossio supple hoc modo: *Saturninum admoneri placuerat: cujus copiæ pæne æquali divisæ intervallo*, &c.

ducibus, pars petere Italiam decreverat, junctam[2] sibi Nauporti[g] ac Tergestis confinio; pars in Macedoniam se effuderat;[3] pars suis sedibus praesidium esse destinaverat.[f] Prima duobus Batonibus[4 h] ac Pinneti ducibus auctoritas erat. In[5] omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam[6] literarum usus, et familiaris animorum erat exercitatio. Itaque, hercules, nulla unquam natio tam mature consilio belli bellum junxit, ac decreta patravit.[e] Oppressi cives Romani,[k] trucidati negotiatores, magnus vexillariorum[l] numerus ad internecionem, ea in regione, quae plurimum ab impera-

f Pars remanserat ad tuendum suas sedes.

e Itaque nunquam profecto gens ulla tam cito junxit bellum consilio belli, et perfecit quae *statuerat.*

k Cives Romani ex improviso *occisi sunt.*

Edd. Ed. pr. *pars*, quod placet Burer. mox pro *pars petere*, quod etiam in Cod. erat, Ed. pr. *properare*.—2 Ursin. conj. *juncta*.—3 Ita corrigit Ursin. ex Ed. pr. *in M. effugerat*, probante Lips. Ed. Basil. Erasm. et al. *in M. erupcrat*. Heins. conj. *effusa erat*.—4 Ita ex Lipsii conjectura quaedam Edd. Alii cum Rhenan. corrigunt *Proxima duobus Batoni*: Heins. pro *proxima*, quod in Ed. pr. conj. *porro maxima*. Ursin. Schegk. Acidal. aliique damnant *Batonibus*, et emendationi Rhenan. accedunt *Batoni*, quod displicet Putean. et Lips. qui vulgatum tuentur. Lips. etiam proposuit *Proxima duobus Batonibus a Pinnete*.—5 *In* delere malunt Heins. et Ruhnken.—6 Heins. conj.

NOTÆ

g Nauporti] Nunc est urbs parva Germaniae, dicta Gallis, *Le petit Laubac*, in Carniola superiori ad amnem cognominem. *Tergestis*] Urbs fuit alias Carnorum, nunc Istriae in ora maris Hadriatici; parva quidem, sed munitissima, sub Austriacorum dominio: Gallis *Trieste*.

h Prima duobus Batonibus] Huic lectioni Lipsius auctoritatem nescio quam quaerit e Dione, qui duos Batones in hoc bello fuisse docet. Sed fuerint duo: quid hoc ad historiae nostrae contextum? Enimvero duos hic duces Velleius recenset, Batonem et Pinnetem; non Batones duos. Quare cum Delbenio et Acidalio scribe *Batoni*. Est autem Bato, teste Josepho Scaligero, populare nomen Pannonum. Deinde cum Vossio malumus *prima*, quam *proxima*: quod etiam Lipsio in mentem venit.

l Vexillariorum] Juxta Vegetium lib. II. cap. 1. Vexillarii erant equites, primum *Alarii* dicti, quod veluti alis aciem ab utraque parte protegerent: deinde *Vexillarii*, quod equitum alae postea Vexillationes vocatae sint. Juxta Turnebum Advers. lib. III. 8. et lib. V. 2. Vexillationum nomen tribuitur emeritis veteranis (*Subsignanos* appellavit Ammianus, *Vexillarios* Tacitus) id est, iis militibus, qui licet exauctorati sub signo adhuc tenebantur, donec praemia et agros acciperent.

tore aberat, cæsus. Occupata armis Macedonia; omnia et in omnibus[7] locis igni ferroque vastata. Quin[8] tantus etiam hujus belli metus fuit, ut stabilem illum, et firmatum[9] tantorum bellorum experientia, Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret.

111. Habiti itaque delectus, revocati[10] undique et[11] omnes veterani; viri, fœminæque ex censu libertinum conectæ dare militem.[12 f] Audita in senatu vox Principis: decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romæ[1] venire conspectum. Senatorum equitumque Romanorum exactæ[k] ad id bellum operæ ex pollicitatione.[2] Omnia hæc frustra præparassemus, nisi, qui illa regeret, fuisset. Itaque, ut præsidium ultimum,[3] respublica[l] ab Augusto ducem in bel-

[f] *Itaque conscripti* sunt *milites, omnes veterani undique revocati* sunt, *viri et fœminæ coactæ sunt suppeditare pro suis facultatibus militem ex numero libertorum.*

---

plerisque et lit. usus famil. s. *ut famil. et etiam animorum.*—7 Heins. malit *omnia omnibus.*—8 Ed. pr. *Quia*, quod correxerunt Vascos. et Ursin. probantibus Acidal. et Voss.—9 *Firmatum* debetur conjecturæ Burer., cui accedunt Boecler. Ruhnken. et Burmann. Ed. pr. *fortunatum.* Cod. *formatum*, quod placet Voss. Heins. malit *obfirmatum.*—10 Ita Edd. plurimæ ex correctione Ed. Basil. *revocatus* Ed. pr. Acidal. conj. *evocati.*—11 In nonnullis *et* deest.—12 Ita Rhenan. Ed. pr. *militum.*—1 Al. *Romanæ.*—2 Ita corrigente Ruhnken. Edd. recentiores. Ed. pr. *operæ pollicitati*: Ed. Basil. *pollicitæ*: Heins. *pollicitæ et oblatæ*, s. *pollicitatæ*: Hottinger. *operæ. Pollicitati omnia*, &c. —3 Ita, probante Ruhnken., emendavit Lips. ex Ed. pr. *militum*, quod criticis

NOTÆ

[k] *Senatorum equitumque exactæ*, &c.] Duplex sensus esse potest: 1us, Senatores equitesque Romani operam diligentem in hoc bellum polliciti sunt: 2us, Postulatum est a Senatoribus equitibusque Romanis, ut traderent suas operas (homines qui pretio conducti aliquid operis faciunt), idque promiserunt se facturos.

[l] *Ut præsidium ultimum, respublica*] Lipsium, Acidalium, Vossium, aliosque sollicitos habuit hic locus. Lipsius non probat ducem *præsidium militum* esse, cum potius dici debeat regimen: ergo legit *præsidium ultimum*. 'Acidalius verbis immutatis scribit, *itaque ut præsidium mœnium Respublica Augustum, ita ducem bellum popescit Tiberium.* Vossius nihil mutat, existimans Tiberium ideo dici *præsidium militum*, quod militum sanguini studiose parceret. Boeclerus *præsidium* interpretatur *præcipuum robur decusque militum.* Sed quid illi omnes, alioqui eruditi viri, se impediunt ipsi in re aperta et facili? Absque mutatione rem expedire mihi videor hoc sensu: Itaque ut respublica ab Augusto petiit (scilicet *urbi*) præsidium militum; ita ab eodem poposcit, ut Tiberius esset hujus belli dux. Atqui hic sensus efficitur ex superioribus verbis: 'Audita vox Principis (Augusti), decimo die, ni caveretur,

lum poposcit Tiberium. Habuit in hoc quoque [bello][4] mediocritas nostra[m] speciosi ministri[5 n] locum.[k] Finita equestri militia,[o] designatus quæstor,[p] nec dum senator æquatus senatoribus, etiam[6] designatis tribunis plebei,[7 q] partem exercitus ab Urbe, traditi ab Augusto, perduxi[8] ad filium ejus. In quæstura deinde [U. c. 760. p. Chr. n. 7.], remissa sorte provinciæ,[l] legatus ejusdem ad eumdem missus, quas nos primo anno acies hostium fudimus?[9] quantis prudentia ducis opportunitatibus (usi)[10] furentes eorum

[k] Etsi *parvi sumus, gessimus* tamen *honorificum munus in hoc bello.*
[l] *Postquam cessi jure sortiendi provinciam.*

omnibus displicuit. Acidal. conj. *ut p. mænium Resp. Aug. ita ducem, &c.* Gruter. *unicum:* Heins. *jam solitum:* Burmann. *ut p. militum Augustus a rep. resp. ab Augusto ducem, &c.*—4 *Bello* expungendum censent Burmann. et Ruhnken.—5 Lips. malit *ministerii.*—6 Nonnulli *et jam.*—7 Rhenan. et Mannt. conj. *designatus tribunus plebi:* Heins. conj. *necdum S. a. s. ut jam tribunis plebei.* 'Verba: *nec dum senator...tribunis plebei* de glossemate suspecta habeo, præeunte Viro D. in Ephem. lit. Goett. 1779. Addit. p. 121. qui ita de prioribus, *nec dum...senatoribus* judicat.' *Kraus.*—8 Ita Rhenan. Ed. pr. *perduxit.*—9 Ita Heins. Ed. pr. *vidimus*, quod placet Burmann.—10 *Usi* supplevit Heins.

NOTÆ

posse hostem in urbis Romæ venire conspectum.' Ergo quid aliud operæ pretium erat ab Augusto petere ad urbis Romæ custodiam, quam militum præsidium, Gallice, *Une Garnison?*

[m] *Mediocritas nostra*] Jam tum hujusmodi formulæ loquendi usurpari cœperunt, ubi de se ipso, aut ad Principes viros sermo erat. Jam tum, scilicet sub Tiberio, Valerius Maximus ausus est dicere, 'mea parvitas,' pro *ego.*

[n] *Ministri*] Lipsius non incongrue legit, *ministerii.* Tamen vulgatam lectionem tolerat.

[o] *Finita equestri militia*] Absoluto stato tempore merendi inter equites: Gallice, *Ayant achevé mon temps de service parmi la Cavalerie.*

[p] *Designatus quæstor*] Non urbis, sed exercitus: quod munus militare est.

[q] *Etiam designatis tribunis plebei*] Aliqui emendant, et edunt, *etiam designatus tribunus plebis.* Quam lectionem sequi me cogit Romanæ reipublicæ ritus: Tribunos eligi non posse, nisi e Senatu: cum prius e plebe duntaxat eligerentur. Hunc ritum Lipsius eruit quidem e situ: at eundem in alienum sensum, meo judicio, detorquet. Ait enim Velleium, nondum Senatorem, æquatum esse Senatoribus, id est, *Tribunis plebis*, in eo quod æque ac tribuni copiis præfuerit. Nonne magis est ad Velleii mentem, Velleium finita equestri militia, non modo designatum quæstorem urbis; sed etiam designatum tribunum plebis, (in quo, cum nondum esset Senator, æquatus est Senatoribus, e quibus solum tribuni plebis eligebantur,) præfuisse copiis, earumque partem duxisse ad Tiberium?

vires universas exhausimus[11] partibus?[12 r] quanto cum tem-peramento simul ***[1] utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus? qua providentia[2] hyberna disposita sunt? quanto opere, inclusus custodiis exercitus nostri (hostis,)[3] ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, et intra se furens, viribus haustis,[4] elanguesceret?[m]

112. Felix eventu, forte conatu, prima æstate belli,[5] [U. c. 759. p. Chr. n. 6.], Messallini opus mandandum est memoriæ.[n] Qui vir animo etiam,[6] quam gente, nobilior, dignissimus,[7] qui et patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottæ fratri relinqueret, præpositus Illyrico, subita rebellione,[o] cum semiplena legione vicesima[8] circum-

[m] *Quanto labore hostis inclusus* est *custodiis nostri exercitus, ne qua posset effugere, et* ut *carens* omni *cibo, et vertens furorem in se ipsum, debilitaretur propriis viribus.*

[n] *Oportet tradere literis factum Messalini primo anno* hujus *belli:* cujus facti *exitus* fuit *felix*, et *animosa susceptio.*

[o] *Cum rebellio capit erumpere.*

---

quasi a præcedente syllaba absorptum.—11 Cod. *furenteis e. v. u. evasimus:* Ed. pr. pro *eorum* habet in *eum*. Grutero debetur *exhausimus*, quem probat Ruhnken., *florentes* pro *furentes* conjiciens: Heins. *urgentes*. Lips. vellet *invasimus*.—12 Rhenan. conj. *artibus*.—1 Lacunam hic vidit Heins., et explevit *virtutis et*: Gruner. *simul utilit. et auctoritatis, &c.* Ruhnk. ad Rutil. Lup. I. 13. p. 46. *simul civitatis et auctoritatis, &c.* quod tamen in nota ad h. l. reprobat. —2 Sic Burmann. probante Ruhnken. Ed. pr. *prudentia*.—3 *Hostis* deesse vidit Ruhnken.—4 Ed. pr. *hostis*, quod correxit idem Ruhnken. Urain. *virus hostis*, quod displicet Heinsio, qui leg. *et interea se suis terens viribus hostis e.* —5 Heins. leg. *bellum*.—6 Kraus. conj. *animo, etiam factis, quam, &c.* ex Liv. IV. 28.—7 Heins. malit *dignissimaque*.—8 *Ita* Hottinger. in Epist. ad Herel. ejiciendum censebat, ut *fiducia* casus sextus sit, quod Herel., qui olim *ista* conjecerat, valde probat, assentiente Kraus. Heins. pro *placebat* vult

NOTÆ

[r] *Exhausimus partibus*] Rejectis variorum lectionibus, 1. Rhenani, *evasimus artibus*; 2. Lipsii, *invasimus partibus*; 3. Gruteri, *exhausimus partibus*; cum Vossio sequi malim editionem primam, *evasimus partibus*. Quam lectionem Suetonius in vita Tiberii confirmat his verbis: 'Batonem Pannonum ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit, gratias referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere.'

[s] *Legione vicesima*] Legiones vulgo agnominabantur ab ordine temporis quo conscriptæ fuerant. Erant tamen alia legionum cognomina. 1. Ab Imperatoribus: *Augusta, Claudia, Flavia.* 2. Ab Hybernis: *Gallica, Scythica, Macedonica, &c.* 3. A Diis: *Apollinaris, Minervia.* 4. Ab armis: *ferrata, &c.* 5. A locis: *fretensis*, id est, freto asita. 6. Ab insigni scutorum: *fulminatrix, victrix, &c.*

datus hostili exercitu, amplius XX. millia hostium fudit fugavitque; et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, [ita][p] fiducia virium, ut, ubicumque Cæsar esset, nihil in se reponerent.[q] Pars exercitus eorum, proposita[9] ipsi duci, et ad arbitrium utilitatemque nostram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque instantes[10] sustinere, neque cum[11] facientibus copiam pugnandi, dirigentibusque aciem[12] ausa congredi, occupato monte Claudio,[t] munitione se defendit.[r] At ea[1] pars, quæ obviam se effuderat exercitui, quem A. Cæcina et Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque, et equitatui[u] regio (quippe magnam Thracum manum, junctus[2] prædictis ducibus, Rhœmetalces,[3] Thraciæ rex, in adjutorium ejus belli secum trahebat,) pæne exitiabilem omnibus cladem intulit. Fusa[4] regiorum equestris acies,[x] fugatæ alæ, conversæ cohortes sunt, apud signa[y] quoque legionum trepidatum.[r] Sed Romani

[p] *Placebat quidem barbaris multitudo sua, et* ii *fidebant suis viribus; ita tamen, ut ubicumque Cæsar esset, nullam spem in se haberent.*

[q] *Pars exercitus eorum opposita ipsi Tiberio, et attenuata* inopia quam pertulerat *ex arbitrio nostro et ad nostram utilitatem, et redacta ad famem,* quæ *multos ebuumebat, non ausa concurrere* nobis *offerentibus pugnam, et instruentibus aciem, recessit in montem Claudium, ubi se munimentis defendit.*

[r] *Cohortes terga verterunt; legiones trepidaverunt etiam circum signa.*

---

reponere *jacebat*.—9 Lips. conj. *opposita*.—10 Ita Acidal. et Lips. Ed. pr. *instantem*.—11 Ed. pr. *ut*, quod delevit Ed. Basil. Lips. mutavit in *aut*: Heins. in *sui*, et mox *pugnando*: *cum* debetur Ruhnken.—12 Ita Cod. et Edd. plurimæ. Ed. pr. *etiam*, quod tuetur Lips.—1 Ita Cod. Ed. pr. *Antea*.—2 Ita Rhenan. Manut. Ald. Nep. Voss. et al. Ed. pr. *magna T. manu vinctus*. Cod. *junctus*.—3 Ita Rhenan. Ed. pr. *Rhomo et Alces*.—4 Ita Edd. recentiores ex conjectura Voss. Cod. *fuga*, unde Ed. pr. et al.

NOTÆ

[t] *Monte Claudio*] In Hungaria et Stiria: vulgo *Motay*.

[u] *Et equitatui*] Vulgo *equitatu*. Sed maluimus Acidalium sequi legentem *equitatui*, quod ratio suadet. Nam ea pars inimici exercitus Romanas legiones, non autem Romanæ legiones eam inimici exercitus partem circumdederant.

[x] *Regiorum equestris acies*] Gallice, *les Escadrons du Roi. Alæ, les deux ailes. Cohortes, les Bataillons d'Infanterie.*

[y] *Apud signa*] Jam observavimus signum Romanæ legionis aquilam fuisse. Cujus moris originem alii repetunt a Jove, qui aquilam insignæ suæ militiæ habuit: alii a Trojanis.

virtus militis[5] plus eo tempore vindicavit[6] gloriæ, quam ducibus reliquit: qui, multum a more imperatoris sui[x] discrepantes,[7] ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Jam igitur in dubiis rebus semetipsæ legiones[a] adhortatæ, jugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interemto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruentis centurionibus, (e)[8] quibus[9] etiam primi ordines[10 b] cecidere, invasere hostes, nec sustinuisse contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaverunt.[i] Hoc fere tempore [U. c. 760. p. Chr. n. 7.] Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, et jam[11] ante biennium, qualis esset, apparere coeperat, mira pravitate animi[c] atque ingenii

[i] *Victoriam prater spem retulerunt.*

---

eam insequentes *fugate*.—5 Nonnulli *Romana v. militi*, unde Gruter. et Popm. conj. *militibus*.—6 Ita Putean. Ed. pr. *vindicatum*: Boecler. malit *vindicandum*.—7 Ita emendavit Is. Pontan. Anal. lib. I. 1. Ed. pr. *amore imper. s. crepantes*. Lips. pro *multum* conj. *ultum*, et mox *properantes*.—8 *E* supplevit Boecler.—9 Ita Cod. Ed. pr. *qui*: nonnulli *quin*.—10 Acidal. Lips. aliique emendare voluit *ordinis*.—11 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *etiam*.—12 Ita legunt et interpun-

NOTÆ

Sed forte, teste Lipsio, Romani id reperernnt a se ipsis, cum vicinos viderent animalium rapacium figuras in bello præferre. Aquilæ porro Romanæ forma talis erat: summæ hastæ insistebat extensis alis, et sæpe fulmen unguibus tenens, quasi jaculatura.

[x] *A more imperatoris sui*] Vulgo, *amore imperatoris sui crepantes*. Quæ verba sic fracta sunt, ut Gruterus et Lipsius non ea capere se fateantur. Isaacio vero Pontano debemus, quod restituta sunt.

[a] *Legiones*] Legiones dixit, pro *legionariis militibus*: unde subjecit, 'nec sustinuisse contenti.'

[b] *Quibus etiam primi ordines, &c.*] Ita in Ms. legitur, ut nec audiendi sint Lipsius, Acidalius, et alii qui sic emendant, *qui etiam primi ordinis ce-*

cidere; nec necesse sit cum Vossio subintelligere præpositionem *e*. An Vossio non placuit hic dandi casus, *quibus?* Num autem est oratio tam congrua, *alicui cadere*, quam *alicui commori*, hoc sensu: primos legionum ordines adeo pertinaciter incubuisse suis centurionibus, ut sola nece divelli ab iis potuerint.

[c] *Mira pravitate animi*] Suetonius inter alios 'ingenium sordidum et ferox' Agrippæ tribuit. Hunc Dio vocat 'iræ præcipitis' hominem; ausum etiam 'novercalem animum' Liviæ, et Augusto 'paternorum bonorum detentionem' exprobrare. Tacitus Ann. I. eum 'rudem bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum' memorat.

in præcipitia[a] conversus, patris atque ejusdem avi sui animum[d] alienavit sibi; moxque, crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo habuit exitum.[e]

113. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem.[12] Junctis exercitibus, quique sub Cæsare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, LXX. amplius cohortibus, quatuordecim[f] (alis),[1] et pluribus quam decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio,[g] tanto denique exercitu, quantus nullo unquam loco post bella fuerat civilia; omnes eo ipso læti erant, maximamque fiduciam victoriæ in numero reponebant. At imperator, optimus eorum, quæ agebat, judex, et utilia speciosis præferens, quodque semper eum facientem vidi in omnibus bellis, quæ probanda essent, non, quæ cuique[2] probarentur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat,[3] ad refovendas ex itinere ejus vires, moratus, cum eum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit: prosecutusque longo et perquam laborioso itinere, cujus difficultas enarrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet aggredi, et partem digredientium, suorum[5] quisque metu finium,[4]

[a] *Ad perniciosa* consilia.
[g] *Et multis equitum turmis* quas *reges* adduxerant.

---

gunt Cod. et Edd. optimæ. Ed. pr. *in pace vides. Principes, &c.*—1 *Alis* supplevit Lips. probantibus Voss. Boecler. Heins. et Ruhnken.—2 Al. *utique.*—3 Heins. scribendum censet *subvenerat.*—4 Ita emendavit et interpunxit hunc locum Vascos. Edd. vett. *partem digredientium suorum, &c.* In quibusdam τὰ

NOTÆ

[d] *Avi sui animum*] Augusti, a quo in exilium pulsus est.

[e] *Dignum furore suo exitum*] Sua temeritate. Hoc primum imperii Tiberiani facinus, adulationis velo hic obductum, Dio revelavit his verbis: 'Agrippam Nola misso percussore [Tiberius] necavit. Quam cædem cum postea injussu suo factam diceret, eique, qui fecisset, minaretur; non tamen ultus est. Quod variis sermonibus locum dedit.'

[f] *Quatuordecim*] Eruditis Lipsii conjectura placuit, hic scilicet adjiciendum esse *alis*; Gallice, *quatorze corps de cavaleria.*

[g] *Et partem digredientium, suorum*] Sensus est: Et ne hostes quoque pos-

universi tentare non possent, remisit eo, unde venerant: et ipse asperrimæ hyemis initio [U. c. 760. p. Chr. n. 7.] ingressus Sisciam,[5 h] legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hybernis.

114. O rem dictu non eminentem,[i] sed solida veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve nostrum aut præcedentibus aut sequentibus, imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tanquam distractissimus[6] ille tantorum onerum[7] mole huic uni negotio[8] vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum[9] vehiculum;[k] lectica ejus publicata,[y] cujus (usum)[10] cum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei,[l] nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant; ceterum[11] nihil, quod ab illis aut præstari aut desiderari

y Ejus lectica erat *facta publica.*

---

quisque et *finium* omissa sunt.—5 Ita Cod. Ed. pr. *Sistiam.*—6 Ita Rhenan. et Edd. plurim. Ed. pr. *distraximus.*—7 Santenius, teste et probante Ruhnken. ad h. l. *operum* malebat.—8 Ita Ed. Basil. et fere omnes Edd. Cod. *genitio*, unde Burer. *genti* conj. quod displicet Burmann. qui *beneficio* vel *officio* conjecit. Ed. pr. *huic uni vacaret.*—9 *Junctum* pro glossemate habet Kraus.—10 *Usum*, quod in Ed. pr. deest, supplevit Lips. probantibus Voss. et Heins. Rhenan.

NOTÆ

sent oppugnare partem eorum, qui a se Tiberio digrediebantur, propter hunc metum, ne scilicet sui fines aliorum, qui remanebant, incursionibus paterent.

[h] *Sisciam*] Olim erat urbs Pannoniæ superioris: nunc pagus, vulgo *Sisseg*.

[i] *O rem dictu non eminentem*] Sensus est: Narraturus sum rem dictu quidem minime speciosam, sed maximam, si eam solida veraque virtute et utilitate metiamur; et suavissimam iis qui experti sunt, quæque singularis est humanitatis nota.

[k] *Junctum vehiculum*] Idem plane legitur apud Livium: 'juncto vehiculo uti,' id est, juxta Gellium lib. XX. cap. 1. 'jumento uti.' Est quidem jumentum pecus quodlibet, aut sarcinas gerens, aut plaustrum trahens, aut terram excolens: sed præterea significat, inquit, vehiculi genus, quod junctis pecoribus trahitur, quodque veteres dixerunt junctum vehiculum.

[l] *Balinei*] Instrumento balinei significatur supellex quælibet idonea balneo. Βαλανεῖον Græci appellant; quo sanitatis causa utebantur, ut per sudores elicerent malignos vapores.

posset. Adjiciam[12] illud, quod, quisquis illis temporibus[9] interfuit, ut alia, quæ retuli, agnoscet[2] protinus. Solus semper equo vectus est: solus cum iis, quos invitaverat, majore parte æstivarum expeditionum, cœnavit sedens;[m] non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens [in]erat[3] et castigatio, vindicta rarissima:[4] agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. Hyems emolumentum patrati belli contulit.[5] Sed[5] insequenti[n] æstate [U. c. 761. p. Chr. n. 8.] omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Delmatia manentibus,[6] pacem petiit. Ferocem illam tot millium juventutem, paulo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem arma, quibus usa erat apud flumen, nomine Bathinum,[o] prosternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque et Pinetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum[7] deditum,[p] justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero.[8] [q] Au-

[z] *Pepercit* iis qui *non observabant disciplinam, dum non prodebatur perniciosum exemplum; admonebat et objurgabat sæpe* eos qui *peccaverant*, *puniebat* autem *rarissime: et tenebat* quoddam *medium plurima dissimulans, nonnulla prohibens. Hyems attulit commodum consummati belli.*

[q] *Spero me narraturum ordine, prolixioribus libris,* quomodo *tot millia militum illorum ferocium,* qui *paulo ante minati* erant *servitutem Italiæ, deposuerint arma, quibus usi erant ad ripam fluminis vocati Bathini;* quomodo *universi provoluti sint ad pedes Tiberii;* quomodo *ex ambobus ducibus Batone et Pinete, altissimæ staturæ* viris, *unus captus sit, alter vero deditus.*

---

beneficium.—11 Heins. leg. *ceterorum.*—12 Alii *Adjice.*—1 Heins. post *temporibus* inserendum censet *rebus.*—2 Lips. aliique *agnosceret.*—3 Τὸ *in* in *inerat* ex præcedentibus *ns* ortum putavit Kraus. Vir D. in Ephemer. Gœtting. 1779. Addit. p. 121. expungendum censet *inerat*, vel legendum *interdum.*—4 Ita corrigit Rhenan. Ed. pr. *amarissima.*—5 Lips. *Et* probantibus Raphel. et Ruhnken.—6 Heins. conj. *in Dalmatiam emanantibus.*—7 In Ed. pr. erat pro *alterum*, quod dedit Ed. Basil., *a se*, unde Lips. *alterum a se.* Heins. conj. *se dedentem.*—8 Kraus. vult transponere *ut spero, ordine narrabimus.*—

NOTÆ

[m] *Cœnavit sedens*] Romani in cibo capiendo vulgo discumbebant, non more nostro sedebant. Hinc lectus dicitur Plinio 'discubitorius,' super quo cœnaturi discumbebant.

[n] *Sed insequenti*] Auctore Lipsio lege *et insequenti.*

[o] *Bathinum*] Scribe cum Pontano, *Batinum.* Fluvius est Picenorum in Aprutio, Interamnam urbem alluens, et ad Flavianum castrum in mare Hadriaticum exiens.

[p] *Alterum deditum*] Vossius addit, *a se deditum*, auctore Dione, qui Batonem docet ad Tiberium sponte venisse, seque dedidisse. Quam notulam

tumno[9] victor in hyberna reducitur exercitus, cujus omnibus copiis a Cæsare M.[10] Lepidus præfectus est, vir nomini[11] ac fortunæ. eorum proximus:[a] quem in quantum quis aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum judicat.[b]

115. Cæsar ad alteram belli Delmatici molem[1] animum atque arma contulit. [U. c. 762. p. Chr. n. 9.] In qua regione[12] quali adjutore legatoque fratre meo, Magio Celere Velleiano,[2] usus sit, ipsius patrisque ejus prædicatione testatum est, et amplissimorum honorum,[3] quibus triumphans eum Cæsar donavit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus, educto hybernis exercitu, per gentes integras,[4] immunesque adhuc clade belli, et eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, cum difficultate locorum, et cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris,[c] exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædaque onustus, pervenit ad Cæsarem: et ob [ea][4] quæ, si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, orna-

[a] *Vir* qui *proxime accedit ad famam et ad fortunam suorum: quem quisque admiratur et amat, et judicat* esse *decus illustrium majorum a quibus oriundus est, prout potuit illum cognoscere et penitus perspicere.*

[c] *Vastatis agris.*

---

9 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Autumni.*—10 Ed. pr. *Cæsarem Lepidus præfectus est.* Rhenano debetur, *a Cæsare:* Burerio, *M. Lepidus.*—11 Ed. pr. *nominis.*—12 Ruhnken. *In qua expeditione:* Herel. *in eo negotio:* Forsitan *in qua quali*, ut *regione* a glossatore, et *in qua* referendum sit ad *belli molem.* Kraus.—1 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Magio Celere ulli fleno:* Cod. *Magio Celere Ulifleno.*—2 Lips. *donorum*, probante Ruhnken.—3 Ita Ed. Basil. Cod. *pergentis in integras*, vel *in integritas.* Ed. pr. *pergentis integras.*—4 Ea ejiciendum censet Ruhnkenius,

NOTÆ

Rhenano debere se profitetur.

[a] *Ac fortunæ eorum proximus*] Vossius aliique recte emendant et legunt *suorum*, scilicet Æmiliorum: e qua gente Lepidus erat.

[b] *Ad alteram belli Delmatici molem*] Ad aliud bellum, quod restabat in Dalmatia æque difficile.

[c] *Et amplissimorum honorum*] Lipsius legit *donorum*; quia mox de fratre et de se, 'quem [triumphum] mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros comitari contigit.' Notus mos triumphorum, in quibus coronæ, torques, et phaleræ bello meritis dabantur. Si tamen servas *honorum*, intellige triumphales honores.

mentis triumphalibus,[t] consentiente cum judicio Principum voluntate senatus, (donatus)[s] est. Illa æstas maximi belli consummavit effectus. Quippe Perustæ ac Desitiates[6] Delmatæ,[u] situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, sed præcipue angustiis saltuum pæne inexpugnabiles, non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, cum pæne funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre majus, aut mirari magis potui, quam quod imperatori nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis.[d] Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum; et ante conscientiæ, quam famæ, consultum: nec unquam[7] consilia ducis judicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.

116. Magna in bello Delmatico[†] experimenta virtutis in incultos ac difficiles locos præmissus Germanicus[x] dedit:

[d] *Quam vellet emere jactura suorum militum.*

---

et legendum *propriis res gessisset, &c.*—5 Rhenan. ita supplet. Herel. *honoratus*, ex II. 112.—6 Ed. pr. *Perusia æde siciales.* Ed. Basil. *Daorisi et Desitiates.* Voss. *Pirustæ ac Desitiates*, pro quo Heins. scripsit *Perustæ.* Rhenan. conj. *perfidiæ exitiales Dalmatæ.*—7 Ita Ed. pr. Cod. *ne cum quod consil.*—† Ita Cod. Ed. pr. *Dalmatico.*—8 Ita Voss. Ed. pr. *celebri...diligenti, quibus*: Cod.

NOTÆ

[t] *Ornamentis triumphalibus*] Hæc ornamenta et insignia erant corona, patera aurea, sella curulis, scipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea; quibus appellationem imperatoris adjicit Onuphrius: sed falso, ut notat Schegkius ex Tacito Ann. III. et ex Velleio, infra de Blæso, 'qui post paucos annos Procos. in Africa ornamenta triumphalia cum' (vides imperatoris appellationem, tanquam augustius aliquid, ab ornamentis triumphalibus distingui) 'appellatione imperatoris meruit.'

[u] *Perustæ ac Desitiates Delmatæ*] Illyrici populi in Dalmatia. Alii legunt *Daorisi et Desiates*, sed Vossius pro *Daorisi* substituit *Pirustæ* ob literarum vicinitatem, cum in Ms. esset, *Perusia æde Sitiates Delmatæ.* Ad id probandum movet, quod hos populos situ locorum ac montium pæne inexpugnabiles esse Velleius dicat. Nam *Pirustæ* in confinio Dalmatiæ, et Macedoniæ ad ortum siti sunt, ad Glanam fluvium, juxta Scardum montem, qui magna parte eos ambit. Vignereo nunc dicuntur *Albanesi.*

[x] *Germanicus*] Drusi ex juniore Antonia filius, C. Cæsaris Caligulæ pater, a Tiberio patruo adoptatus.

celebri etiam opera diligentique[8] Vibius Postumus,[9 y] vir consularis, præpositus Delmatiæ,‡ ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi[10] operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non majoribus experimentis testatum esset, quantum in omni re fortuna posset! Sed in hoc[11] quoque genere abunde agnosci vis ejus potest. Nam Ælius Lamia,[12 z] vir antiquissimi moris, et priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania, Illyricoque, et mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est.' Et A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius, quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est,[1] ne nihil non[2] optimo civi, simplicissimo duci,

' *Privatus est.*

celebris: Lips. *diligentiaque.*—9 Pigh. Annal. T. III. p. 538. *C. Vibius Posthumus:* Ed. pr. *Julius Posthumus:* Cod. *Jul. P.* Ed. Basil. *diligenti Q. Julius P.* —‡ Ita Cod. Ed. pr. *Dalmatiæ.*—10 Ed. pr. *At Posthumi.* Cod. *Ad Postumio.* —11 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *loco.*—12 Ita Ruhnken. ex Tacit. Ann. IV. 18. Nonnulli *Nam et Sejanus:* Ed. pr. *Nam et etiam vir, &c.*—1 Burmann. conj. *quem vivum qui intellexit, ne quidem abunde mir. est.*—2 Ita Cod. *Non*

NOTÆ

y *Vibius Postumus*] Alii legunt *Q. Julius Postumus*, quem Schegkius ex Tacito Annal. IV. putat illum esse, quem Sejanus post Drusi mortem ad tollendos Germanici liberos delegerat socium. Falso putat: affirmant enim Pighius et Vossius ex Floro lib. IV. cap. ultimo, intelligendum hoc loco esse *C. Vibium Postumum.*

z *Nam Ælius Lamia*] Alii legunt *Nam et Sejanus;* sed hæc certe in Sejanum non cadunt, ut bene Lipsius observavit, qui equestri loco provincias aut exercitus non rexit; quare Lipsius vult legi *nam et Blæsus.* Causa suspicionis ex Velleii capite 125. ubi 1. dicit Junium Blæsum 'in Illyrico celeberrima militia fuisse,' &c. 2. interserit, 'ut prædiximus.' Ubi autem de Junio et Illyrico aliquid prædictum, nisi hic? Adde quod Junio Blæso convenit Africæ præfectura, cujus hic quoque mentio est. Turbat tamen, quod ait Velleius Junium Blæsum 'defectum materia adipiscendi triumphalia:' nam ea retulit ex Africa. Sed Velleii verba ad Germaniam et Illyricum tantum restringenda sunt.

perisset, præreptus immature,[3] et fructu amplissimæ principis amicitiæ, et consummatione evectæ[a] in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est.[4 f] Horum[5] virorum mentioni si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. Neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est.[6 g]

117. Tantum quod[7] ultimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar manum [U. c. 762. p. Chr. n. 9.], cum, intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari,[8] trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum; et sex cohortium ***:[9] velut in hoc salutem[10] tantummodo indulgente nobis Fortuna, ne occupato duce[b] ***.[h 11] Sed causa et persona mo-

f Vir, quem ii qui illum *introspexerant optime, non potuerunt satis admirari; et nihil esset, quod civis optimus, et dux summi candoris non amisisset, extinctus morte immatura, privatus est fructu maximæ amicitiæ imperatoriæ erga* ipsum, *nec potuit assequi altissimam* illam *fortunam, ad quam suus pater pervenerat, et* cujus *ideam animo conceperat.*

g Nam nuda rerum *expositio sine mendacio non maretur* [*sic*] *ullam vituperationem apud bonos.*

h Vix Cæsar finierat bellum Pannoniæ et Dalmatiæ, cum quinto die post consum-

---

deest in Ed. pr.—3 Ita Ed. Basil. Lugd. Bat. 2. Bipont. aliæque, probante Ruhnken. Ed. pr. Burmann. et quædam vetustiores *præferens immatura.*—4 Burmann. mavult *deceptus est*, probante Ruhnken. ne eadem vox statim tam ingrate recurrat. Sed *decipere* Velleio familiare non est, potius *fraudare*, *frustrare*, *destituere* (II. 120.), quæ tamen a scriptura Ed. pr. nimis abhorrent. *Kraus.*—5 Ita Burer. ex Cod. *Honorum:* Ed. pr. *Quorum.*—6 Ita fere omnes Edd. ex correctione Ed. Basil. In Ed. pr. legebatur *crimini est, tantum quod. Ultimam, &c.*—7 Ursin. malit *Tantum non:* Acidal. *Tandem quoque* conjecerat, sed postea vulgatum tuetur.—8 Heins. conj. *cum intra quintum consumm. t. o. diem funestæ ecce e Germania epistolæ de casu Vari* (subaudito *afferuntur*).—9 Lacunam manifestam explet Burmann. *venerunt*, vel *nuntiæ venerunt.* Vir D. in Biblioth. Philolog. Vol. I. p. 44. *redditæ sunt*, ex Cic. ad Div. VII. 28. Vide supra II. 18. 42.—10 *Salutem* debetur conjecturæ Schegkii, cum in Ed. pr. et plurimis aliis legeretur *saltem.* Mox Vir D. Joh. Ortuin. *tantummodo* e glossa *τοῦ saltem* enatum censebat.—11 *Duce* correctioni Ed. Basil.

NOTÆ

[a] *Et consummatione evectæ, &c.*] Præter hujus loci sensum, quem habes in interpretatione, ecce affero alium, in quo inest aliqua Romani moris notitia; *privatus est fructu maximæ amicitiæ imperatoriæ erga* ipsum, *et perfectione* consilii quo destinabat *extollere suam imaginem ad altissimum culmen*, ad quod *pater eum extulerat.* Hoc sensu sumeretur *imago* pro nobilitate, et pro familiæ stemmatis.

[b] *Ne occupato duce*] Aliquibus hic locus videtur mutilus. J. Gruterus

rum exigit.[c] Varus Quintilius, nobili magis, quam illustri[12] ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore, ita[1] animo immobilior,[i] otio magis castrorum, quàm bellicæ assuetus militiæ: pecuniæ vero quam non contemtor, Syria, cui præfuerat, declaravit;[k] quam pauper dives ingressus, dives pauperem reliquit. Is cum exercitui, qui erat in Germania, præesset, concepit[2] esse homines, qui nihil præter vocem membraque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque pro tribunali[3] ordine,[d] trahebat æstiva.[l]

nationem tanti operis, allatæ sunt ex Germania tristes literæ de clade Vari, et de cæde trium legionum, et totidem turmarum equestrium, et sex cohortium, fortuna autem velut obsequente nobis in eo, quod hæc clades non *contigerit occupato alibi Tiberio.*

[i] *Æque corpore et mente tardior.*

[k] *Syria vero, quam rexerat, patefecit quam non pecuniam aspernabatur.*

[l] *Hac cogitatione progressus in medium Germaniæ, traducebat æstatem, qua fit bellum, reddendo jus, et præcipiendo e tribunali gradu, quasi fuisset inter homines amantes dulcedinem pacis.*

---

debetur, qui et hic τελείαν στεγνὴν imposuit. Edd. plurimæ *occupato duce, et causa persona, &c.* Ed. pr. *occ. ducem, et causa persona:* Lacunam explet Voss. *ne occ. duce in debellandis Pannoniis victores Germani iis se conjungerent,* ex Sueton. Tib. XVII. Lips. post *duce* addit *saviret,* et mox corrigit *Sed causa et.* Heins. conj. *rei causa.* Ed. pr. *et c. p.*—12 Ita transposuit Ruhnken. ut rei veritas constet; Quintilii enim vetustate generis, non rebus gestis, clari fuerant. *Kraus.* Ed. pr. et plurimæ aliæ *illustri magis, quam nobili.*—1 Ita Acidal. Alii *et corpore, et animo:* Ed. pr. *ut corpore et animo.*—2 Herel. *concepit spem, homines, &c.* Kraus. post *concepit* suspicatur excidisse *animo Germanos.* —3 Heins. malit *tribunalis.*—4 Ita correxit Lips. Ed. pr. *credebat:* Heins.

NOTÆ

animadvertit *eâdem tantummodo* superfluè dici. 2. Lipsius, ut sibi videtur, lacunam supplet unico verbo: *ne occupato duce saviret.* Sed quare mutilus hic locus? Habent verba, ut jacent, facilem sensum: nimirum in eo positam fuisse fortunæ indulgentiam, quod Vari clades non acciderit, occupato et districto alibi duce Tiberio. Quia secus futurum fuisset, ut hostis unus victoria istum arma protulisset, nisi obviam itum esset.

[c] *Sed causa et persona, morum exigit*] Omissa lectione Delbenii, *sed causæ persona morum exigit;* et neglecta observatione Gruteri, qui *causa* ablativo casu accipit; secuti sumus Lipsii lectionem, *sed causa, et persona, morum exigit,* hoc sensu: Sed hujus causa cladis, et Varus qui illam accepit, postulant ut in iis consistamus.

[d] *Pro tribunali ordine*] Has duas voces existimo cum Lipsio conjungendas simul esse: *pro tribunali ordine.* Id est, e loco sive sede, unde jus tanquam judex reddebat.

118. At illi, quod nisi expertus vix credat,[4] in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus,[m] simulantes fictas litium series, et nunc provocantes[5] alter alterum injuria,[6] nunc agentes gratias, quod ea Romana justitia finiret, feritasque sua novitate[7] incognitæ disciplinæ mitesceret,[8] et solita armis decerni[9] jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium, usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra[10] barbarum promtus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus[e] filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes,[n] (cum)[11] jure etiam civitatis Romanæ[12] jus[1] equestris consequens gradus, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est, haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; et frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem[2] consilii recipit:[3] opprimi posse Romanos, et dicit,[4] et persuadet; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem clarique nominis Segesten indicatur. Sed obstabant jam[5] fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstrinxerant.[6 f] Quippe ita se res

[m] *Et gens nata dissimulationi.*
[n] Qui *diu militaverat inter nos superioribus bellis.*

credas.—5 Ita Rhenan. multæque Edd. Cod. *procat æs.* Ed. pr. *procaces.* In una *provocare.*—6 Lips. *injuriis.*—7 Ruhnken. conj. *suavitate.*—8 Ita Ed. pr. Cod. *mutesceret.*—9 Ita corrigit Gronov. Obss. III. 18. In Ed. pr. et plurimis aliis est *discerni.*—10 Lips. *et ultra.*—11 *Cum* inserendum judicavit Heins., sed deest in Edd. vett. quarum nonnullæ pro *etiam* legunt *et jam.*—12 Ita correxit Burer. ex Ed. pr. *Rhomæ.*—1 Burmann. conj. *decus.*—2 Ita omnes ex correctione Rhenan. Ed. pr. *pluris in societate consili.*—3 Ita Vascos. et Ed. Basil. Ed. pr. *præcipit:* Rhenan. *recepit.*—4 Heins. conj. *docet.*—5 Ita Lips. Ruhnken. Ed. Bipont. et aliæ recentiores. Ed. pr. et eam insequentes *postulabat etiam*, unde Ed. Basil. *prævalebant jam*, et ita Lugd. Bat. 2. Burmann. et Clud.—6 Ita Ed. Basil. et al. recent. Ed. pr.

NOTÆ

[e] *Principis gentis ejus*] Cattorum, de quibus supra.

[f] *Præstrinxerant*] Num potius Velleius scripsit, *præstruxerant*, quod idem est atque *obstruxerant?* quo modo Julius Celsus: 'perituris oculos

habet, ut plerumque [qui][7] fortunam mutaturus Deus[8] consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit, id[8] etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam[9] transeat. Negat itaque se credere, spemque in[10] se benevolentiæ[11] ex merito æstimare profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus.[o]

119. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla, post Crassi[12] in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere. Nunc summa deflenda est.[b] Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites[1] princeps, marcore ducis,[p] perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus, (cum ne pugnandi quidem [egredie] ***[2] aut occasio iis, in quantum voluerant, data esset impune, castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis et armis et animis usi fuissent,) inclusus sylvis,

[o] *Et denuntiat se metiri fiduciam, quam habere debet in benevolentia* Germanorum *erga se, officiis suis* erga ipsos. *Nec longo tempore post primum delatorem opportunitas fuit* audiendi *alterius.*

[p] *Languore imperatoris.*

---

præstruxerat: Vascos. *perstrinxerat:* Ed. Lugd. Bat. 2. *præstinxerant*, quod tuetur Acidal.—7 *Qui* sustulit Vascos. sed Voss. malit reponere *cui*.—8 *Id* deest in Ed. pr., sed in Cod. erat *et etiam*, unde Burer. dedit *id etiam*.—9 Ita Ed. pr. Cod. *culpa*.—10 *In* ejecit Ed. Basil.—11 Ed. pr. *benevolentia*.—12 Ita Ed. pr. Cod. *Cassi*.—1 Ruhnken. *milites* e glossa fluxisse videtur.—2 Ed. pr. *cum ne pugnandi quidem egregie, aut occasionis, in quantum voluerant, data esset immunis.* Cod. pro *egregie* habebat *egredie*. Ed. Basil. *cum ne pugnandi quidem egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis:* Voss. *egrediendive occasio iis*. Burmann. *congrediendive*. Ruhnkenio in *egredie* substantivum latere videbatur. Equidem hoc monstrum lectionis, e *congrediendive*, quod e margine obtrusum sit, natum existimans uncis inclusi, et lacunam ostendi, quæ forsitan hausit vocem *copia*, (cf. II. 112.) vel *potestas*. Pro *immunis* conjecit Burmannus Misc. Obs. Vol. VIII. p. 406. *impune*, probante Ruhnkenio.

NOTÆ

obstruit fortuna.' Apud Ciceronem quidem Philip. XII. legitur: 'Præstrinxerat aciem animi D. Bruti salus.' Sed forte idem est error.

[8] *Qui fortunam mutaturus Deus*] Vossius pro *qui* censet esse reponendum *cui*, rectissime.

[b] *Nunc summa deflenda est*] Nunc oportet eam cladem deplorare breviter, et omnibus quasi simul comprehensis. Non omittendus est Augusti luctus, de quo refert Suetonius cap. 23. 'Eum adeo Variana clade consternatum esse, ut per continuos menses, barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, redde legiones.'

paludibus,[3] insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus, nunc ira, nunc venia temperaret.[g] Ducei plus ad moriendum, quam ad pugnandum, animi fuit. Quippe paterni avitique[4 i] exempli successor se ipse transfixit. At e præfectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. Eggius,[5] tam turpe (C.) Cejonius[6] prodidit: qui, eum longe maximam partem absumsisset acies, auctor deditionis,[f] supplicio, quam prælio, mori maluit. At Vala Numonius,[7 k] legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite[8] peditem relinquens, fuga cum alis[9] Rhenum petere[10] ingressus est. Quod factum ejus fortuna ulta est: non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis[11] laceraverat feritas; caput ejus abscisum, latumque ad Marobeduum, et ab eo missum ad Cæsarem, gentilitii tandem[12] tumuli sepultura honoratum est.[t]

[g] *Ut decerneret de vita militum prout* tantum *suadebant nunc ira, nunc misericordia.*

[f] *Suasor, ut se in hostium potestatem traderent, &c.*

[t] *Tandem mandatum est*, cum *honorificis* exequiis, *tumulo suæ familiæ.*

Krause.—3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *paludis ins.*—4 Ita Ed. pr. Cod. *evique.*—5 Al. *Egilius.*—6 Ita Heins. probante Burmann. Ed. pr. *C. Ejonius*: Ed. Basil. tantum *Cejonius.*—7 Ita corrigit Ursin. ex Ed. pr. *Valumonius.* Burer. conj. *Valumnius.*—8 Ita fere omnes ex correctione Ed. Basil. Ed. pr. *equitem, peditem, &c.*—9 Ed. pr. *fuga cum aliis*: Cod. *fugatum aliis*: correxit Ed. Basil. recipientibus omnibus.—10 Burer. conj. *pectore.*—11 Ed. pr. et multæ aliæ, *hostium*: Cod. *hosti*, unde Burer. dedit *hostilis.*—12 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *tamen.*—1 In Cod. erat *præsidia et se, &c.* unde Burer. supplevit *munit*, quem

NOTÆ

[i] *Paterni avitique*] Ejus pater Varus Quintilius in bello Philippensi, ut vidimus supra cap. 71. cum se insignibus honorum velavisset, liberti manu interfectus est. De avo non tam obvium. Lipsius tamen reperit apud Cæsarem Bell. Civil. 1. Quintilium Varum quæstorem L. Domitii fuisse: ut probabile sit, eum aut in Pharsalia aut in Africa sic periisse.

[k] *At Vala Numonius*] Ursinus ex argenteo denario sic legit, cum in manuscripto Velleii codice legeretur *Valumonius.* Addit Ursinus se credere Valam Numonium eum esse ad quem Horatius scripsit Epistolam 15. lib. 1. Ubi Vossius dubitat, an non potius scribendum sit, *Ad Cn. Umonium Valam*: et in Velleio, *Vala Umonius*, ut Golzius ex Lauredani numismate expressit, et Cruquius ad prædictam Horatii epistolam monet.

120. His auditis revolat ad patrem Cæsar [U. c. 763 p. Chr. n. 10.]; perpetuus patronus Romani imperii, assuetam sibi[t] causam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit;[u] se magnitudine sua, non fiducia (ducis) metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabatur,[2 w] ultro[3] Rhenum cum exercitu transgreditur. Arma infert genti,[1] quam arcuisse[4] pater et patria contenti erant; penetrat interius, aperit limites,[x] vastat agros, urit domos, fundit obvios;[5] maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hyberna revertitur. Reddatur verum L. Asprenati testimonium; qui legatus sub avunculo suo Varo militans, nava virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit; matureque ad inferiora hyberna descendendo, vacillantes jam cis Rhenum[6] sitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita jugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hæreditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo[7] aditam.[y] Lucii etiam Cædicii, præfecti castrorum, eorumque, qui una circumdati Alisone[8 m] immensis Germanorum copiis obside-

[t] *Quam tueri solitus erat.*

[u] *Qui minitabantur Italiæ bellum par* bello *Cimbrorum ac Teutonum.*

[x] *Latiores vias facit.*

[y] *Et cito recedendo in hyberna ad inferiorem Rhenum, continuit* in officio *nutantes animos nationum, quæ sunt citra hunc fluvium. Sunt tamen, qui putaverunt* quod, *si liberaverat* milites *vivos, invasisset etiam in bona eorum, qui sub Varo trucidati fuerant, et* quod *in se transtulisset, ad arbitrium suum, pecuniam relictam ab exercitu delato.*

---

secuti sunt omnes Editores, sed τὸ *et* ab aliis retinetur, ab aliis expungitur. Mox pro *ducis*, quod supplevit Ruhnken., alii cum Rhenano legunt *hostium*. —2 Ita Cod. Ed. pr. *minabantur*.—3 Ita probantibus Voss. et Boecler. emendavit Jo. Freinshem. Ed. pr. *ultra*.—4 Ita Ruhnk. Ed. pr. *Arma interfecti, quæ arguisse:* Lips. *arma infert, quæ arcuisse:* Voss. *arma infert hosti, quem arcuisse:* nonnulli *Arminio territo:* alii aliter.—5 Ita Ed. pr. Cod. *obvios*.—6 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Rheno*.—7 Suspecta habet *ab eo* Herel.—8 Ita

NOTÆ

[1] *Arma infert genti*] Vossiana lectio paulo diversa est: *arma infert hosti quem, &c.* hoc sensu: Rhenum transgreditur, et ultro petit in suis sedibus Arminium, quem arcuisse a nostris satis habebant Augustus et cives.

[m] *Alisone*] Urbs est non procul ab ortu Lippiæ in Westphalia, vulgo *Elsen*. Aliis dicitur *Iselburg* in Guelderia,

bantur, laudanda virtus est; qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentia usi,[9] speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum sane gravem et bonæ voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio,[n] quam virtute destitutum[10] militum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum. Cum in captivos sæviretur a Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius, adolescens[11] vetustate familiæ suæ dignissimus: qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas illisit capiti [suo],[12] ut protinus pariter sanguinis[o] cerebrique influvio[1] expiraret.

121. Eadem et virtus et fortuna subsequenti tempore [ingressa animum][2] imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat. Qui contusis[3] hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximæ molis, accensasque[4] plebis Viennensium[p] dissensiones, coërcitione magis quam pœna mollisset; et senatus populusque Romanus, postulante patre ejus, ut æquum ei jus[5] in omnibus provinciis exercitibusque esset, [quam erat ipsi][6] decreto complexus esset: (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; et qui ad opem ferendam primus erat,

---

Rhenan. Ed. pr. *a Lisone.*—9 Ita Ed. pr. Burer. conj. *adjuti* e vestigiis Cod: *uiti.* Heins. *juti* vel *adjuti.*—10 *Destitutum* intrusum putat Herel.—11 Ita Ruhnken. Ed. pr. *Cælius ad vetustatem f.* Ed. Basil. *Cælius vetustate:* Gruner. *cir vetustate:* Lips. *ac vetustate.* Heins. *alta vetustate:* Burmann. *adeo vetustate.*—12 *Suo* damnat Herel.—1 Ita Ed. pr. *profluvio* Ed. Basil. *effluvio* Lips.—2 Vir D. in Ephemer. Goetting. 1779. Addit. p. 121. hæc ejicienda censet. Cod. *animam.* Ed. pr. *animum.*—3 Ita Rhunken. Ed. pr. *concussis.*—4 Ita Ed. pr. Cod. *accensaque.*—5 Ita Rhenan. et Edd. plurimæ. Ed. pr. *æquum ejus.*—6 *Ipso* Ed. pr. Ald. Nep. hæc uncis inclusa ejicienda putavit.

NOTÆ

ad fluvium Isalam: H. Junio *Wesel* in Ducatu Clivensi ad Rhenum: verum, opinor, male.

[n] *Magis imperatoris defectum consilio*] Sensus est: Amisisse exercitum sua potius, quam militum culpa; et caruisse magis prudentia quæ inesse debet imperatori, quam generosis militibus.

[o] *Ut protinus pariter sanguinis, &c.*] Ut statim moreretur profuso sanguine simul, et sparso ex vulnere cerebro.

[p] *Viennensium*] Incolæ sunt Viennæ, quæ urbs est Galliæ ad Rhodanum, et cujus tractus in Delphinatu Viennensis dicitur, vulgo *Le Viennois.*

ad vindicandum honorem non judicari parem): in Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum.[e] [U. c. 765. p. Chr. n. 12.] Cujus magnificentiam quis miretur in Cæsare?[q] Fortunæ vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnes eminentissimos[r] hostium duces non occisos, fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit. Quem mihi,[7] fratrique meo, inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.

122. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Ti. Cæsaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod, cum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, et ex rege ei præposito,[8] cujus capiti insigne regium[s] sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumpharet[t] debuerit? et, Vindelicorum

[e] *Eadem virtus, et eadem fortuna, quæ initio Tiberium comitata fuerat, eum* adhuc *comitata est subsequenti tempore. Is reversus Romam debilitatis viribus hostium expeditionibus navalibus et terrestribus, postquam composuisset difficillima negotia Galliarum, et dissidia inflammata Viennensium; postquam Senatus et populus Romanus edixisset, rogatu ejus patris, ut haberet in omnibus provinciis et exercitibus eandem potestatem, quam ipse habebat, (nam non erat æquum non judicari æque dignum honoribus* eum, *qui primus auxilium præstabat patriæ;)* is, inquam, Tiberius *egit triumphum qui jam dudum ipsi debebatur ob victorias, quas retulerat ex Pannonibus et Dalmatis, sed quem continua bella retardaverant.*

—7 Sic leg. Rhenan. in vita Velleii, Burer. et fere omnes Edd. Ed. pr. *militi.*
—8 Ed. pr. *ex rege propositi:* Cod. *præpositi,* unde Rhenan. dedit *ei præposito,*

NOTÆ

[q] *In Cæsare*] Id est, cum Cæsar esset is qui triumpharet.

[r] *Quippe omnes eminentissimos, &c.*] In eo fuit indulgentia fortunæ, tum quod, ejus honoris causa, hostium clarissimi duces non occisi in prælio, sed capti fuerint: tum quod eos fortuna vinctos ostenderit prius in triumpho, quam captos fama narraverit. Hostium duces captos Romani imperatores reservabant in triumphum, ut his per eum ductis pulcherrimum spectaculum fructumque victoriæ populus Romanus percipere posset. Sed cum de foro in Capitolium triumphalem currum flectere incipiebant, illos in carcerem duci jubebant; idemque dies et victoribus imperii sive triumphi, et victis vitæ finem faciebat. Ita Cicero Orat. x. lib. v. in Verrem num. 76.

[s] *Insigne regium*] Diadema: intelige porro *Tigranem,* cui impositum est hoc insigne regium.

[t] *Ovans triumphare*] De ovatione supra cap. 96. n. s. Addo ovationem,

Rætorumque victor, curru Urbem ingredi? Fractis deinde post adoptionem continua triennii militia Germanicæ viribus, idem illi honor et deferendus et recipiendus fuerit? et post cladem sub Varo acceptam, ocyus[9] prosperrimo rerum eventu eadem excisa Germania triumphum summi ducis adornare[10] debuerit?[a] Sed in hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an, quod honorum temperavit.

123. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Cæsar Augustus, cum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam [U. c. 766. p. Chr. n. 13.], Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda[11] pace, quæ bello subegerat; prosequens eum, simulque interfuturus athletarum[u] certaminibus[12] Iudicro, quod ejus honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam. [U. c. 767. p. Chr. n. 14.] Quanquam jam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit: at[1] ingravescente in dies valetudine, cum sciret, quis, volenti omnia post se salva remanere, arcessendus foret, festinanter revocavit filium.[x] Ille ad patrem patriæ[2] expectato

[a] *Nam quis potest dubitare, quin meruerit triumphum ovationis, quod recuperavit Armeniam, quod ei præfecit regem, cujus super caput posuerat insigne regium;* et *quod ordinavit negotia Orientis?* Quis potest dubitare, quin *victor et Vindelicorum et Rhætorum debuerit introire Romam curru? quin deinde debuerit hic honor ei tribui, et quin debuerit eundem recipere, consumtis post adoptionem suam viribus Germaniæ, continuo trium annorum bello? et quin eadem Germania everea statim a clade quam acceperamus sub Varo, debuerit ornare triumphum maximi imperatoris?*

---

quem secuti sunt omnes.—9 Ita Ed. pr. Cod. *totius*.—10 Ita Ed. pr. Cod. *adornari*.—11 Ita Burer. Cod. et Ed. pr. cum quibusdam aliis *formanda*.—12 Ita corrigunt Cellar. et Oudendorp. ad Sueton. Aug. 98. Ed. pr. *certaminis*.—1 Ita Herel. Ed. pr. *et*.—2 *Patriæ* a scioli manu esse putaverunt Acidal. et Scheffer.—

NOTÆ

quæ minor est triumphus, ab ove dictam esse; quod ovantibus mos esset ovem immolare.

[u] *Athletarum*] Hoc nomine gymnici omnes intelliguntur, luctatores, cursores, pugiles, item disco et salta certantes. Athletæ, inquam, dicti sunt a verbo Græco ἀθλέω, quod est *certo*.

[x] *Revocavit filium*] Longe aliter Ta-

revolavit maturius.[a] Tum securum se Augustus prædicans, circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quicquam jam de fine, si fata poscerent, recusans, surrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus,[3] mox cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Apuleioque consulibus,[†] septuagesimo sexto anno, animam cœlestem cœlo reddidit.[y] [c]

124. Quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam arcto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo.[4] Cujus orbis[5] ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus. Tantaque unius viri majestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civilis[6] fuit pugnantis cum Cæsare senatus populique Romani, ut stationi paternæ succederet; illius, ut potius æqualem civem,

[a] *Quamvis jam sensisset motus debilitatis, et initia valetudinis labentis in pejus, tamen, vi animi contra nitente, comitatus filium, et digressus ab eo Beneventi, ipse Nolam ivit; et morbo crescente in dies, revocavit filium celeriter, cum sciret, quis* esset, quem *oporteret advocari, si vellet omnia remanere in bono statu post suam mortem. Ille* protinus *rediit ad patrem patriæ citius* quam *expectatus fuerat.*

[c] *Et nihil jam recusans de morte, si fata peterent, paulum recreatus primo aspectu et alloquio hominis, quem unice diligebat; mox, fatis superantibus omnem curam, dissolutus in principia, ex quibus compositus erat, reddidit cœlo animam* quam *inde acceperat,* ætatis *anno septuagesimo sexto, sub consulatu Pompeii et Apuleii.*

---

3 *Spiritus* a glossatore esse censet Kraus.—† Ita Burer. Cod. et Ed. pr. *Cos.*—4 Ruhnken. conj. *satis habeo.*—5 *Urbis,* et mox *eam...commotam* malit Burer.—6 Ita Ruhnken. Ed. pr. *civitatis.*—7 Cod. *tandem magis rone:* Ed.

NOTÆ

citus. Ait Tiberium properis Liviæ literis accitum; neque satis compertum esse, spirantem adhuc Nolæ Augustum, an exanimem repererit. Aeribus namque custodiis domum, viasque Livia sepserat, lætosque interdum vulgabat nuntios, donec provisis, quæ tempus monebat, Augustum excessisse simul et rerum potiri Neronem fama ipsa nuntiavit.

[y] *Cœlo reddidit*] Anno Christi 14. decimo quarto Kal. Septemb. cum annos a primo edito Magistratu vixisset 56. ab Antonii nece tres et quadraginta solidos. Augustum obiisse non sine suspicione veneni a Livia dati referunt Dio lib. LV. Suetonius cap. 98. et Tacitus Annal. I. De Nola ubi dicunt eum obiisse, non inter omnes veteres constat. Nam id Atellæ in Campania contigisse scripserunt Eutropius et Eusebius.

quam eminentem liceret agere Principem.[4] Tandem magis ratione,[7] quam honore, victus est;[z] cum, quicquid tuendum non suscepisset, periturum videret. Solique huic contigit, pæne diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnaverant. Post redditum cœlo patrem,[a] et corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum, primum principalium ejus operum fuit ordinatio comitiorum,[e b] quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis[8] Cæsaris,[c] proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quenquam D. Augustus,[d] neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius.

[4] *In urbe tamen fuit una quasi concertatio,* hinc *Senatus et populi Romani enitentis obtinere a Cæsare, ut succederet loco patris:* illinc *Tiberii* rogantis, *ut sinerent se esse potius æqualem* omnibus *civem, quam inter eos dominum.*

[e] *Postquam* Tiberius *ascripsisset patrem inter Deos, postquam detulisset ejus corpori humana officia, et ejus nomini divinos* honores, *illud primum,* quod tanquam *princeps egit, ordinatio fuit comitiorum, &c.*

---

pr. *tandem ratione magis.*—8 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *candidatos.*—9 Ita emen-

NOTÆ

[z] *Tandem magis ratione, &c. victus est*] Ergo Augusto patri Tiberius successit in imperium; cœpitque illo ipso, quo Augustus mortuus est, anno imperare, cum ageret annum ætatis 55.

[a] *Redditum cœlo patrem*] Augusti apotheosis est. Dio refert Liviam antea Numerio cuidam Attico, Senatori et Prætorio, decies sestertium dono dedisse: quod juravisset visum a se Augustum in cœlum ascendere, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidisse perhibetur.

[b] *Ordinatio comitiorum*] Ad magistratuum creationem. Jus comitiorum, sive creandi magistratus, olim ad populum pertinebat. Augustus illud primo cum populo partitus est, Consulum creatione sibi Senatuique duntaxat reservata: quod deinde Tiberius, ademtum populo, sibi vindicavit.

[c] *Candidatis Cæsaris*] Candidati dicuntur viri principis, quos vir princeps populo commendat, et sua gratia promovet ad magistratus. Ita Suetonius in vita Augusti: 'quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, prensabatque more solenni.'

[d] *D. Augustus*] Augusto etiam viventi aræ et ludi quinquennales constituti. Unde a Virgilio 'Deus' passim vocatur Eclog. I. Atque hinc de ejus flaminibus ac sacerdotibus plena sunt omnia monumenta. In Augusti sacerdotio præcipuum fuit, tum quod ei non viri solum, sed etiam fœminæ ascriptæ sint; tum quod ejus uxor Livia, ex decreto Senatus, illius pa-

125. Tulit protinus ut voti, ita[9] consilii sui[e] pretium respublica;[f] neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. Quippe exercitus, qui in Germania militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam et profunda confundendi omnia cupiditate, novum ducem, novum statum, novam quærebant rempublicam. Quin etiam ausi sunt minari, daturos senatui, daturos principi leges; modum stipendii, finem militiæ[f] sibi ipsi constituere conati sunt.[10] Processum etiam in arma, ferrumque strictum est; et pæne in ultimum[11] gladiorum erupit impunitas:[g] defuitque, qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam, præcipue noxiorum,[12] ultionem, mitis aliorum castigatio[1] brevi sopiit ac sustulit.[h] Quo quidem tempore, ut pleraque egit nave[2] Germanicus,[b] ita Dru-

[f] *Quo tempore evenit mihi et meo fratri designari prætoribus, omnium primis post nobilissimos viros et* insignitos *sacerdotio,* cum *a Cæsare propositi* fuissemus. Id *habuimus præcipue, ut neque Divus Augustus post nos, neque Tiberius Cæsar ullum ante nos commendaret. Respublica statim percepit fructum votorum* suorum, *atque consilii sui.*

[g] *Ventum* est *etiam ad arma, et enses districti sunt; et impunitas,* qua sumti sunt *gladii, tulit* omnia *pæne in extremum discrimen.*

[h] *Sed prudentia ducis, longo usu bellorum edocti, sopiit atque extinxit brevi hos omnes* tumultus, *tum prohibendo multa, et nonnulla promittendo cum gravitate, tum maxime puniendo rigide auctores* horum tumultuum, *et animadvertendo leniter in alios.*

---

davit Burmann. Ed. pr. et aliæ cum Rhenan. *ut voti et consilii:* aliæ cum Ed. Basil. *et v. et c.*—10 *Sunt* tollendum censet Gruter. probante Ruhnken. —11 Ita Ed. pr. Cod. *in ultimam.*—12 Ita corrigit Gronov. Obss. II. 23. Ed. pr. *nostrorum:* Lips. *auctorum.*—1 Gronov. l. l. conj. *miti al. castigatione,* probante Ruhnken.—2 Ita Ruhnken. Ed. pr. *ignave:* Boecler. *gnave.*—3 Ita

NOTÆ

riter sacerdos fuerit.

[e] *Consilii sui*] Scilicet consilii, quod ceperat, enitendi quacumque ratione, Tiberius ut imperii habenas regimenque capesseret.

[f] *Finem militiæ*] Legitimæ militiæ tempus erat, pedestris quidem viginti annorum, equestris vero decem. Nauticorum militum paulo diuturnior erat militia, scilicet annorum quinque et viginti. Intra quos qui se subducebat, morte aut servitute pœnam luebat.

[g] *Præcipue noxiorum*] Cum Lipsio legimus, *præcipue auctorum.*

[h] *Ut pleraque egit nave Germanicus*] Ita lege, i. e. strenue, fortiter, non *ignave;* ob eam in primis rationem, quod ex usu et more assentatoris aulici, qualis erat Velleius, minime fuisset

sus,[3] qui a patre in id ipsum plurimo pridem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus, ancipitia sibi,[4] tam re,[4] quam exemplo perniciosa ***, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit, singulari adjutore in eo negotio usus Junio Blæso, viro nescias utiliore in castris, an meliore in toga.[i] Qui, post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria,[k] meruit. Atque[5] Hispanias exercitumque, virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia ***, (ut) prædiximus, cum imperio obtinens, in summa pace (ac) quiete continuit; cum ei pietas rectissima sentiendi, et auctoritas, quæ sentiebat, obtinendi superesset. Cujus curam ac fidem Dolobella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maritima parte Illyrici per omnia imitatus est.

[i] *Quo quidem tempore ut Germanicus egit pleraque fortiter, ita Drusus, qui a patre missus erat ad* extinguendum *illud ipsum incendium seditionis militum, quod profecto plurimum ardebat;* Drusus, inquam, agens *cum gravitate* digna *veterè et antiqua* Roma, et *ausus rem dubii* exitus; *repressit* motus *æque damnosos exemplo atque re; et eos qui ipsum obsidebant repressit, cum his ipsis armis militum, quibus obsessus erat. In quo negotio usus* est *singulari opera Junii Blæsi, viri,* de quo *vix dicas utiliorne sit in bello, an præstantior in pace.*

Ed. Basil. Ed. pr. *Brutus.*—4 Editum ex Ed. pr. nisi quod interpunximus post *sibi*, h. e. Druso, et verbum aliquod, v. c. *adiit*, s. *aggressus est*, lacuna haustum esse putamus. Cod. *timere* pro *tam re.* Gronov. l. l. *severitate, ausos ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa, his ipsis:* Ruhnken. *severitate usus, amputavit tam re, &c.* Kraus. Voss. *ausus ancipitia, sibi tam e re, quam e p.* Heins. post *exemplo* addit *in publicum:* Burmann. leg. *prisca a. s. ancipiti auso, tam re, &c.*—5 Ita Ruhnken. constituit periodum. Ed. pr. *ac Hispanias exercitumque, virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, prædiximus, cum imperio obtineret, in summa pace, quiete continuit.* Cod. *ad Hispanias.* Lacunam h. l. etiam Ruhnken. suspicatus est. Kraus. excidisse putat *meritus*; cf. supr.

NOTÆ

Augusti nepoti, et Tiberii adoptivo, convicium publice facere.

[4] *Severitate usus, ancipitia sibi, &c.*] Hunc locum fœde corruptum varie emendant Gruterus, Acidalius, et Vossius. Ex quorum lectionibus hanc, quam secuti sumus in Interpretatione, confecimus: *Prisca antiquaque severitate, ausus ancipitia sibi; tam re quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit.* Ita ut *coërcuit* referatur tum ad *obsidentes*, tum ad *perniciosa.*

[k] *Cum appellatione Imperatoria*] Lipsio recte observatum est, Junium Blæsum omnium postremum a Tiberio fuisse Imperatorio nomine insignitum.

126. Horum XVI. annorum opera quis, cum universa***[6] oculis animisque omnium, partibus eloquatur?[k] Sacravit parentem suum[l] Cæsar non imperio, sed religione: non appellavit [eum],[7] sed fecit Deum. Revocata in forum[8] fides, summota e foro seditio,[9] ambitio Campo,[m] discordia curia; sepultæque ac situ obsitæ[10] justitia, æquitas, industria civitati redditæ;[l] accessit magistratibus auctoritas, senatui majestas, judiciis gravitas; compressa theatralis seditio;[m] recte faciendi omnibus aut incussa[11] voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur recta, prava puniuntur. Suspicit potentem humilis, non timet. Antecedit, non contemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? Quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, et quicquid meridiano[n] aut septemtrione finitur, Pax Augusta per (omnia)[12] omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes.[n] Fortuita non civium tantummodo,

[k] *Quis enarret particulatim res gestas per hos sexdecim annos, cum positæ sint ante oculos et in mentibus omnium?*

[l] *Seditio depulsa est e castibus* publicis, *ambitio e Campo* Martio, *discordia e curia: et justitia, æquitas, industria, quæ sepultæ et obsoletæ fuerant, restitutæ sunt in civitate.*

[m] *Repressæ sunt seditiones* solitæ exoriri *in theatro.*

[n] *Augusta* illa *pax, quæ dispersa est in plagas Orientis et Occidentis, et in omnia loca, quæ terminantur Meridie et Septemtrione, præstat* cunctos homines, *in omnibus angulis orbis terrarum, securos a latrociniis.*

---

80. sub init. *Ut* supplevit Burerius.—6 Cod. *cum insera oculis.* Ed. pr. *cum inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur?* Heins. *quis universa inquam, inserta oculis:* Ruhnken. *quis, cum universa sint in oculis, &c.* Equidem *inhærent* elapsum esse putarim, ob I. 14. II. 86. *In* ante *partibus* expunxit Vascos. probantibus Voss. Heins. Burmann. Ruhnken. *Kraus.*—7 *Eum* tollit Gruter. Burer. vult mutare in *Deum.*—8 *In forum* a sciolo esse putat Krans. —9 Rhenan. leg. *summotæ foro seditio, ambitio campo; discordia curiæ sepultæ.* Herel. ejicit *e foro seditio.*—10 Ed. pr. *discordia curiæ, sepultæ: ac situ oppositæ, justitia:* correxit Ed. Basil., qui mox etiam *magistratibus* dedit pro *militibus*, quod in Ed. pr.—11 Ruhnken. conj. *infusa.*—12 *Omnia* a seq. *omnes* ab-

NOTÆ

[l] *Sacravit parentem suum, &c.*] Sensus est: Cæsar sui parentis memoriam consecravit, eumque Diis immortalibus ascripsit vero religionis sensu magis quam edicto: nec etiam satis illi fuit eum vocare Deum, sed talem et habuit et vere coluit.

[m] *Campo*] In Campo Martio comitia habebantur ad magistratuum creationem.

[n] *Et quicquid meridiano, &c.*] Aliter et Lipsius legit, et Thysius edidit: *Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, quidquid Meridiano finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immune.*

sed urbium damna Principis munificentia vindicat.[z] Restitutæ urbes Asiæ. Vindicatæ ab injuriis magistratuum provinciæ. Honor dignis paratissimus. Pœna in malos sera, sed aliqua. Superatur æquitate gratia, ambitio virtute. Nam facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.

127. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Lælliis, quos per omnia æquaverunt sibi; ut Divus Augustus M. Agrippa, et proxime[1] ab eo, Statilio Tauro. Quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus, triumphosque, et complura eveherentur[2] sacerdotia.[a] Etenim magna negotia magnis adjutoribus[3] egent; (neque in parvo paucitas[o] ministeria defecit:[4]) interestque reipublicæ, quod usu necessarium, et dignitate eminere; utilitatemque auctoritate muniri.[5] Sub his exemplis Tiberius Cæsar Sejanum Ælium,[p] principe equestris

[z] *Reparat.*

[a] *Quos obscuritas* suæ *familiæ non impedivit, quominus ascenderent ad consulatus multoties* repetitos, *et ad triumphos, et ad plurima sacerdotia.*

---

sorptum censent Gruner. et Ruhnken.—1 Ita correxerunt Scheffer. Misc. Obs. Vol. IX. p. 177. et Burmann. Ed. pr. *maxime.*—2 Ita Vascos. et Heins. qui etiam *emererentur* proponit. Cod. *enumerentur:* Ed. pr. *enumerarentur:* al. *eniterentur.*—3 Heins. malit *adjutoriis.*—4 Verba parenthesi circumscripta Voss. et Boecler. a glossatore esse; Ruhnken. seu mutila seu mendosa; Herel. et corrupta et transposita esse, judicarunt. Hic enim tentat: *eveherentur sacerdotia; neque iis* (vel *in iis*) *proavorum paucitas ministeria defecit. Etenim,* &c. Acidal. conj. *neque in p. parvitas ministerio deficit:* Thys. *neque in p. paucitas ministerii deficit:* Heins. *neque in p. favor proavita ministeria defecit,* vel, *neque impar favor proavita,* &c. In Ed. Clud. *neque impar paucitas ministeria deficiat:* In Ed. Bipont. tota parenthesis expungitur.

NOTÆ

[o] *Neque in parvo paucitas,* &c.] Aliquibus hæc non esse Velleiana putantur: ex his tamen sensus existet tolerabilis, si legatur: *neque in parvo paucitas ministerii* (id est ministrorum) *deficit.* Is existet, inquam, sensus: Etenim magna negotia magnis adjutoribus indigent; quod ita verum est, ut in rebus etiam parvi momenti, etsi pauci sunt, non tamen ministri desint.

[p] *Sejanum Ælium*] Hic ei Velleius adulatur. Quare verum e Tacito repete; a quo narratur, quem suæ gratiæ et vitæ exitum Sejanus habuerit. Post summa enim scelera, jam animo summa quæque destinans, unis Tiberii literis contra ipsum datis ad Senatum, ex honorum fastigio dejicitur, et cum omni sua stirpe carnificis manu necatus est, anno Tiberii 18. Patrem habuit Seium Strabonem, Vulsiniis in

ordinis patre natum, materno vero genere[q] clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem, principalium onerum adjutorem in omnia habuit atque habet;[p] virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia,[s] semperque[6] infra aliorum æstimationes se metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem.[r]

128. In hujus[7] virtutum æstimatione[8] jam pridem judicia civitatis cum judiciis principis certant.[t] Neque novus hic mos senatus populique Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam et illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC. Ti. Coruncanium,[9] hominem novum,[r] cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulere fastigium;[t] et equestri loco natum Sp. Carvilium,[10] et mox M. Catonem, novum etiam Tusculo[s] Urbis inquilinum,[t] Mummiumque

[p] Ductus *his exemplis Tiberius Cæsar habuit, et adhuc habet, præcipuum adjutorem onerum*, quæ comitantur *principatum*, *Sejanum Ælium, qui natus est patre clarissimo in ordine equitum, et qui ex parte matris adjunctus est familiis illustrissimis, antiquis, et insignibus* propter urbanas *dignitates: cujus fratres, consobrini, avunculus fuerunt consules: qui ipse quoque* is est, *ut par sit cuicumque labori, et ut ei possit haberi fides, constitutione corporis* omnino *respondente vigori mentis.*

[q] Qui, etiam tum cum *agit*, *simillimus* est *nihil agentibus;* qui *nihil assumit sibi, et ideo obtinet omnia.*

[r] *Mente vigilem.* [s] *Certatim consentiunt.*

[t] *Evexerunt ad supremas dignitates.*

—5 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *munire.*—6 Ita Cod., sed in Ed. pr. copula deest.—7 *Viri* excidisse putat Ruhnken.—8 Ita Ed. pr. Cod. *virtutem, æstimationem.*—9 Ita Cod. Ed. pr. *T. Coruncanum.*—10 Burer. malit *Car-*

NOTÆ

Hetruria oriundus. Sed in adoptionem datus ex Æliis alicui, mutato inflexoque, ut solet, patris nomine, Sejanus Ælius dictus est.

[q] *Materno vero genere*] Quodnam? Junium, ut opinatur Lipsius, hoc argumento, quod Junius Blæsus, Proconsul Africæ, avunculus ei fuerit.

[r] *Hominem novum*] Hominem cujus in familia nemo dignitatem ullam antea adeptus fuerat.

[s] *Tusculo*] Subauditur *Oriundum*. Erat Tusculum urbs Latii, nunc autem eversa est, apud Frascatam, *Frascati*: quo se summi Pontifices æstivo tempore recipere solent.

[t] *Urbis inquilinum*] Qui in conducto tantum Romæ habitabat.

Achaicum in consulatus, censuras, et triumphos provexere. Et, qui C. Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem;[u] ut qui M. Tullio[11] tantum tribuere, ut pæne assentatione[x] sua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret: profecto hoc senserunt, in cujuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Sejanum, Cæsarem;[12] ad juvanda vero onera Principis, Sejanum protulit;[1] senatumque et populum Romanum eo perduxit,[2] ut quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocet.

129. Sed proposita quasi universa principatus Ti. Cæsaris forma,[3] singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim,[y] interemtorem fratris sui filii Cotyis,[4 z] consortisque ejusdem imperii[5] [U. c. 772. p. Chr. n. 19.], evocavit;[a]

[u] *Et qui agnoverunt sine difficultate usque ad sextum consulatum, Caium Marium, incognitæ originis, caput Romanæ gentis.*

---

bilium.—11 Ita Edd. optimæ corrigente Lips. In Ed. pr. aliisque vett. *M. Fulvio.*—12 Kraus. excidisse *impulit* post *Cæsarem* censet.—1 Acidal. conj. *propulit.*—2 Ita Ed. pr. Cod. *produxit.*—3 Rhenan. *forma* huc a sequentibus transtulit. Vid. infra not. 5.—4 Ed. pr. *Cotys.* Correxit *Cotyis* Heins. probante Burmann.—5 Ed. pr. *formam evocavit,* quæ vox mo-

NOTÆ

[11] *M. Tullio*] Hæc est Lipsii lectio, cum vulgo legeretur male *Fulvio.* Gens enim Fulvia non est inter novas. Omnino Tullius est, in quem Velleiana laus cadit. Nam 1. homo novus fuit, ut ipse aliique testantur. 2. Cœlesti suo ore Senatus populique rector erat: provincias, exercitus, et tantum non regna dedit. Testes sunt Cæsar et Pompeius: quorum illi Gallias prorogavit; hunc ad Piraticum bellum misit. Unde vulgo palam 'Regnare in judiciis, in concionibus' dicebatur: atque inimici objiciebant, 'Tertium peregrinum Romæ esse Regem.'

[x] *Assentatione*] Assensione. Ut supra assentari dixit pro assentiri. Vide cap. 48. n. k.

[y] *Rhascupolim*] Thraciæ regem. Scribitur apud Suetonium, *Thrascypolis.* Apud Tacitum *Rescuporis.* Forte scribi debet, *Rascuporis,* quod in Ms. invenit Torrentius.

[z] *Cotyis*] Hujus nominis duo fuerunt, ambo Thraciæ reges. Unus in bello civili Pompeii partes secutus est: alter, Tiberii tempore, Rhascupolis patrui fraude circumventus occisus est.

[a] *Evocavit*] E Thracia Romam accersivit.

singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia quæ recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quam captantis[b] gloriam? Cum quanta gravitate,[6] ut senator et judex, non ut Princeps, et causas pressius audit *** ?[7 c] Quam celeriter *** ingratum et nova molientem oppressit? Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus juventam ejus exaggeravit honoribus [U. c. 770. p. Chr. n. 17.], respondente[9] cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? Quoties populum congiariis[e] honoravit, senatorumque censum, cum id senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam[f] invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? Quanto

---

nentibus Rhenan. et Burer. suraum reposita est post *τὸ Cæsaris*. Ursin. et Lips. nolint expungere ex h. l. sed potius mutare in *Romam*, quod displicet Vossio.—6 Ruhnken. conj. *Jam q. g.* Kraus. malit *Quanta cum g.* Heins. *Tum quanta g.*—7 Lacunam h. l. suspicatur Kraus. Acidal. pro *pressius* conj. *et præses causas, &c.* Lips. *etiam præsens causas.* Ed. Bipont. *Princeps et Cæsar causas.*—8 Ed. pr. *et causas pressius audit quam celeriter? ingratum, &c.* Primus emendavit et lacunam deprehensam explevit Ed. Basil. *Quam celeriter Libonem,*† *&c.* ex II. 130. probantibus fere omnibus. Equidem *Archelaum* Cappadociæ regem, olim Tiberii patrocinio servatum (v. Sueton. Tib. VIII. Dion. LVII. 17.) deinde Tiberium, Rhodi degentem, haud observantem, tum novarum rerum accusatum Romæ judicio oppressum, (v. Tacit. Ann. II. 42. Dion. l. l.) suppleverim. Cf. II. 39. extr. *Kraus.* Rhenan., nihil de lacuna suspicatus, verba *quam celeriter...oppressit* trajicienda esse putavit post *evocavit* supra, ut referantur ad *Rhascupolim.*—9 Ed. vet. habet *respondentem.* Burer.

NOTÆ

[b] *Merentis semper, quam captantis, &c.*] Subauditur *magis*, locutione quæ familiaris est Valerio Maximo lib. I. cap. 1. 'Factum Masanissæ animo, quam Punico sanguine conveniens.' Comico: 'Tacita mulier, quam bona.' Et passim Tacito.

[c] *Et causas pressius audit*] Sequor cum Vossio Lipsium, qui sic legit: *etiam causas præsens audit.* Scilicet, teste Suetonio, sæpe magistratibus pro Tribunali cognoscentibus offerebat se consiliarium, assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori.

† *Libonem*] Libo erat e nobili Scriboniorum gente. Cujus consilia e Tacito repete Annal. lib. II. Id unum habeo dicere; Libonem, cum videret detecta esse sua consilia, necem attulisse sibi, non dubitanti quin vitam supplicio redderet.

[e] *Congiariis*] Congiarium dicitur Imperatoris munus, quo populus donabatur. Donativum, quo milites.

[f] *Ut neque luxuriam*] Sensus est: Ita ut nec luxuriam profusis largitionibus excitaret: nec ferret nobiles familias suis dignitatibus, pro inopia, cadere.

cum honore[g] Germanicum suum in transmarinas misit provincias?[h] Qua vi consiliorum suorum,[10] ministro et adjutore usus Druso filio suo, Maroboduum inhærentem occupati regni finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus [consiliorum[1] suorum][11] medicamentis coëgit egredi? [U. c. 772. p. Chr. n. 19.] Quam illum ut honorate,[k] (ita)[12] nec secure continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroque Julio, mira celeritate ac virtute compressit, ut ante populus Romanus vicisse se, quam bellare, cognosceret; nuntiosque periculi victoriæ præcederet nuntius. Magni etiam terroris bellum Africum, et quotidiano auctu majus,[l] auspiciis consiliisque ejus brevi sepultum est. [U. c. 777. p. Chr. n. 24.]

130. Quanta suo[1][m] suorumque nomine exstruxit opera? Quam pia munificentia, superque humanam evecta fidem, templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera[n] absumta igni resti-

conj. *respondente cultui t. r. q. g. magnitudine.*—10 Ita interpunxit Ruhnken. Vulg. *Qua vi, consiliorum, &c.*—11 Ingratam hanc repetitionem damnat Ruhnken.—12 *Ita* supplevit idem Ruhnken., qui et mox pro *Julio* conj. *Juliis* ex Tacit. Ann. III. 40.—1 Ed. pr. *sua*, quod *suo* correxit Vascos. idem conji-

NOTÆ

[g] *Quanto cum honore*] Dic magis, ex Tacito, quanta cum calliditate. Certo enim certius erat, Tiberium amoliri Germanicum honoris specie, metuque illius omni tum virtutum ac rerum gestarum laude florentis, et, quod aptior imperio videretur, maxime suspecti.

[h] *In transmarinas provincias*] In Orientem, et contra Parthos.

[i] *Salubribus consiliorum, &c.*] Salubria consiliorum medicamenta vocat blanditias, promissa, et fraudes, quibus extractos ad se reges nonnullos non remisit. Quam metaphoram sic effer Gallice: *par ses sages intrigues.*

[k] *Quam illum ut honorate, &c.*] Sensus est: Quam honorifice regem illum custodiendum curat? id curat tamen cum ea vigilantia, qua opus est, ne effugiat.

[l] *Et quotidiano auctu majus*] Id est, quodque crescebat in dies.

[m] *Quanta suo*] Longe aliter Tacitus docet, Tiberium nunquam publice nisi duo struxisse opera; templum Augusto, et Pompeiani Theatri scenam. Immo, si Suetonio fides est, hæc duo quæ sola susceperat, imperfecta post tot annos reliquit. Eadem vero Caligula absolvit.

[n] *Pompeii munera*] Intellige Theatrum, quod exstruxerat Pompeius, et veluti dono publicum fecerat.

tuit?[e] Qui quicquid unquam[2] claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum.[f] Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenso monte Cælio,[3 o] omnis ordinis hominum jacturæ patrimonio succurrit suo? Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum,[p] sine trepidatione delectus,[4 q] providet?[g] Si[5] aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, verecunde cum Deis queri,[6] quid hic meruit, primum, ut scelerata Drusus Libo[r] iniret consilia [U. c. 769. p. Chr. n. 16.]; deinde, ut Silium Pisonemque tam ***[7] alterius dignitatem consti-

[e] *Quanta magnificentia* simul et *modestia reparat etiam munera Cnæi Pompeii, quæ ignis combusserat?*

[f] *Qui credit sibi conservandum, tanquam suum et domesticum, id omne quod unquam splendore præcelluit.*

[g] *Quanta cum tranquillitate hominum curat fieri supplementum, sine metu conquisitionis,* quam *rem universi semper et maxime reformidaverunt?*

---

cientibus Acidal. Ursin. et Voss.—2 Ita Rhenan. Ed. pr. *Qui quidem quam.* —3 Ita Ed. Basil. Ed. pr. *Cæli*, quod tuetur Boecler.—4 Ruhnken. conj. *sine detrectatione delectus.*—5 Jacobs. in Vers. Velleii vernacula suspicatur *at* elapsum esse ante *si.*—6 Ita Herel. et Ed. Bipont. In Ed. pr. erat *auro Deo cum de his queri*, unde Ed. Basil. emendavit *apud aures Deorum de his queri*, quod omnes fere receperunt, alii alia frustra tentantes. Rhenan. probante Voss. *auribus Deorum de his q.* Ursin. *de Deo cum Deis queri*: Heins. *audeo cum Deis queri*: Burmann. *hominum*, aut *horror* (sive *honor*) *Deorum de his queri*: Ruhnken. nihil tentavit. Clud. ex conjectura Faeshii *hominum, aut Deorum cura, de his queri.*—7 Lacunam hanc ita explevit Burmann. *tam infestos haberet, quorum alterius, &c.* Ed. pr. *Pisonemque tam alt. d.* &c. Ed. Basil. *ut Silius et Piso quorum, alterius*: Burer. supplet *quam* ante

NOTÆ

[o] *Monte Cælio*] Unus est e septem urbis Romæ collibus. A Cælio Vibenno, nobilissimo duce Tusco, sic dictus est: quod cum Romulo contra Sabinos socia arma conjungens in eo castra posuisset. Hic mons ab Anco Urbi additus est, ut Strabo docet: a Tullo Hostilio, ut Livius: a Tarquinio Prisco, ut Tacitus. Demum a Tiberio Cæsare, quod is post incendium habitatoribus ædificia absumta instaurasset, dici cœptus est Mons Augustus.

[p] *Supplementum*] Cum legio diminuta additis, qui desunt, militibus suppletur: qui adjiciuntur, supplementum appellantur. Gallice, *Des recrues.*

[q] *Delectus*] Hujus vocis tum usus est, cum Imperator auctoritate sua, quos ei visum fuerit ad militiam conscribit, etiam invitos. Per quos hujusmodi delectus habetur, eos a conquirendis militibus 'Conquisitores' Cicero vocavit.

[r] *Drusus Libo*] Silii crimen, teste Tacito, duplex fuit. 1. Amicitia Germanici. 2. Intemperantia in laudando suorum militum obsequio, cum alii ad seditiones prolaberentur. Silius sub Germanico legatus erat exercitus, qui militabat ad Rhenum superiorem.

tuit, auxit alterius? Ut ad majora transcendam, quamquam et hæc ille duxit[8] maxima; quid,[s] ut juvenes amitteret filios?[t] [U. c. 776. p. Chr. n. 23.] quid, ut nepotem ex Druso suo?[9] Dolenda adhuc retulimus; veniendum ad erubescenda est.[10] Quantis hoc triennium, M. Vinici,[11] doloribus laceravit animum ejus? Quam diu abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus flagravit incendio,[a] quod ex nuru,[u] quod ex nepote dolere, indignari, erubescere[12] coactus est? Cujus temporis ægritudinem auxit amissa mater[x] eminentissima [U. c. 782. p. Chr. n. 29.], et per omnia Deis, quam hominibus, similior fœmina: cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

131. Voto finiendum volumen sit.[13] Jupiter Capitoline[y]

[a] *Quanto tempore cor ejus erat igne, quod est dignissimum commiseratione, occulto?*

---

auxit: Heins. *ut Silius Pisoque. At quantum alterius, &c.*—8 Ita Rhenan. Ed. pr. *dixit*.—9 *Suo* deest in Ed. pr. Cod. *Drusso*, unde Burer. *Druso suo*.—10 Ita Cod.; sed in Ed. pr. *est* deest.—11 Ita Ed. pr. Cod. *M. Vinicii*.—12 *Erubescere* erat in Cod., sed deest in Ed. pr.—13 Kraus. malit ejicere *sit*.

NOTÆ

[s] *Quid*] Subauditur *meruit*.

[t] *Ut juvenes amitteret filios*] Germanicum et Drusum. Sed de Germanico amisso Tiberii anno sexto, nemini unquam dubium fuit, quin perierit tum veneno dato a Cn. Pisone, quocum Germanico graves erant inimicitiæ: tum invidia Tiberii, qui tantarum non ignarus inimicitiarum, tamen per idem tempus, quo Germanicum transtulerat in Orientem, Cn. Pisonem miserat in Syriam ordinarium præsidem. Certe ob veneni dati suspicionem Romæ judicio postulatus ab Agrippina, Germanici conjuge, Piso voluntaria morte damnationem antevertit.

[u] *Quod ex nuru, &c.*] Ex Agrippina Marci Agrippæ filia, nepte Augusti, tunc Germanici a Tiberio adoptati vidua. Ipsa sibi mortem inedia conscivit, cum se apud Tiberium nullo suo merito adductam videret in invidiam.

[x] *Amissa mater*] Livia. Decessit ætatis anno 86. Tiberiani imperii 16. Erat tum Tiberius in insula Capreis *(l'Isle de Capri)* regni Neapolitani: quam insulam habebat in deliciis, et quo secesserat anno imperii 18. numquam deinceps ad urbem rediturus: ubi remotis arbitriis per omnia se vitiorum flagitia volutavit. Inter hæc dedecora non magis omnibus aliis, quam sibi execratus ipsi, moritur 17. Kal. Apr. imperii anno 23. Christi 37. vitæ agens octavum et septuagesimum.

[y] *Jupiter Capitoline*] Jupiter sic dictus est a monte Capitolino, ubi colebatur.

ac Stator,[1] et auctor[a] Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta[a] ignium, et quicquid numinum hanc Romani imperii[2] molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor: custodite, servate, protegite hunc statum, hanc pacem ***,[3] eique functo[b] longissima statione mortali, destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam hujus suffecisse sensimus; consiliaque omnium civium aut pia ***.[4] [c]

—1 Ita transposuit Putean. Ed. pr. aliæque vett. *C. et auctor, et stator*: Cod. *ac stator*.—2 Ita Ed. pr. Cod. *et quicquid nominum honor omni imperii molem*: unde Heins. pro *hanc* leg. *honoram*.—3 Lacunam explevit Lips. addendo *hunc principem*: eadem Voss. malit reponere pro *hunc pacem*. Jac. Perizon. conj. *hunc ducem*, quod placet Heinsio, qui tamen proposuit *hunc pacis auctorem*.—4 Rhenan. supplevit *aut pia, aut salutaria, in felicem exitum provehite*. Voss. *aut pia fovete, aut impia opprimite*.

*** Hic lectores monere visum est, Antonii Thysii Editionem in VV. LL. parum distincte designari Ed. Lugd. Bat.

NOTÆ

[1] *Ac Stator, et auctor, &c.*] Duplex lectio: 1. Puteani, et aliorum nonnullorum: *Jupiter Capitoline ac stator; et auctor Romani nominis*. Nam *stator*, inquiunt, solum referri potest ad Jovem, qui sic dictus est, teste Seneca de Benef. lib. IV. cap. 7. quia Jovis beneficio stant omnia: non vero quia post susceptum votum, ut quidam tradiderunt, Romanorum fugientium acies stitit. 2. Ursini: *Jupiter Capitoline; et auctor ac Sator Romani nominis Gradive Mars*. Quæ lectio præ alia mihi placet: Mars enim sator est sive genitor Romuli, unde Romana gens.

[a] *Vesta*] Saturni filia ex Ope. Alteram volunt esse, Saturni matrem, quæ pro terra sumi solet a Poëtis: de qua Ovid. Fast. lib. VI. 'Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur.' Quæ vero pro igne sumitur, ex Ovidio: 'Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;' Saturni filia est. Cujus nomen Cicero de Nat. Deor. lib. I. deducit ἀπὸ τῆς ἑστίας, quod de leg. II. interpretatur, *focus*. Huic Deæ colendæ præerant virgines: quibus erat commissa cura custodiendi et continuo fovendi ignis, qui dictus est propterea *perpetuus*: quem nefas erat, si extingueretur, aliter quam accensa per fomites ex sole flamma reparare.

[b] *Hanc pacem* ***, *eique functo*] Lipsii lectionem cum Vossio sequere: *hanc pacem, hunc principem, eique functo longissima statione mortali, &c.*

[c] *Aut pia****] Hanc peroratiunculam nemo felicius, quia pressius, absolvisse mihi videtur, quam Vossius. Legit, *aut pia fovete, aut impia opprimite*, hoc sensu: Ac omnium civium consilia, si pia sunt, in exitum felicem provehite; sed, si qua impii nefaria moliuntur, ea cum auctoribus pessumdate.

FRAGMENTUM VELLEII

EXCERPTUM EX GALLICA HISTORIA.[1]

[EX EDITIONE CLUDII.]

Dum hæc circa Rhenum aguntur, in Noricorum finibus grave vulnus populus Romanus accepit. Quippe Germanorum gentes, quod [l. quæ] Rhætias [l. Rhætiam s. Rhætios] occupaverant, non longe ab Alpibus, tractu pari patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se (?) confluunt, ut [l. in] ipsis Noricis finibus civitatem, non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt; quam appellabant Cisara, nomine Deæ Cisæ, quam religiosissime colebant; cujus templum quoque ex ligno, barbarico ritu, constructum; [quod], postquam eo colonia Romanorum deducta est, inviolatum permansit, ac, vetustate collapsum, nomen colli [l. collis] servavit. Hanc urbem T. Annius prætor, ad arcendas barbarorum excursiones, Kal. Sextil. exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partem, qua sola a continenti erat, prætor ipse cum legione Martia operosissime communivit, ad occidentem vero, quo barbarorum adventus erat, Avar, Bogudis regis filius, cum equitatu omni et auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen et vallum,

NOTÆ

[1] Hoc fragmentum habet Wolfg. Lazius in commentariorum reip. Rom. lib. I. cap. 8. Falsum judicat Cellar., quia stylus sapiat scriptorem aliquot sæculis Velleio juniorem, et quia in re non panca sint, in quibus peccetur, quod Marcus Velserus in rerum Augustanarum Vindelicarum demonstravisset; præterea narrat, hoc fragmentum etiam occurrere apud Conr. de Lichtenau, abbatem Urlspergensem, qui scripserit a. MCCXXIX., ubi tamen plura inserta legantur. In quo tantum a stylo Velleii hoc fragmentum abhorreat, equidem nec docere nec sentire possum, neque suppositum putare, cum quia medio ævo nemo sane, dum Velleius prorsus incognitus erat, sibi proponere potuit Velleio aliquid affingere, tum quia narratio, quanquam hic ibi corrupta, ficta notas nullas prodit.

loco castris parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit; pulchra indoles, nec minus Romanis, quam Græcis literis instructa. Igitur LIX. die, quam eo ventum est, cum is dies, Deæ Cisæ celeberrimus, ludum et lasciviam magis, quam formidinem, ostentaret: immanis barbarorum multitudo ex proximis sylvis repente erumpens, ex improviso castra irrupit; equitatum omnem, et, quod miserrimum erat, auxilia sociorum delevit. Avar, cum in hostium potestatem regio habitu vivus venisset, pecudis more mactatur. Oppidani vero non minori fortuna, sed majori virtute, prætorem in auxilium sociis properantem adoriuntur. Romani haud segniter resistunt. Duo principes oppidanorum, Habbeo et Cæcus, in primis pugnantes, cadunt. Et inclinata jam res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in altera ripa jam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt; prætorem, qui paulo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem, obtruncant; legionem divinam [decimam?], ut ne nuntius superesset, funditus delent; Verres solus, tribunus militum, amne transmisso, in proximis paludibus se occultans honestam mortem subterfugit; nec multo post Siciliæ proconsul immani avaritia turpem mortem promeruit.

Ex Prisciani l. VI. Edit. Basil. 1554. p. 192.

Primus, nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon.

FINIS PATERCULI HIST. ROMANÆ.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. VELLEII PATERCULI HISTORIAM ROMANAM.

NOMINA AUCTORUM

QUORUM NOTÆ ET OBSERVATIONES HIC EXHIBENTUR.

Acidalius.
Boeclerus.
Bongarsius.
Burrerius.
Cluverius.
Fungerus.
Georg. Fabricius.
Gruterus.
Had. Junius.
Lipsius.
Manutius.
Ortelius.
Puteanus.
Rhenanus.
Salmasius.
Scaliger.
Schegkius.
Stewechius.
A. Thysius.
Vossius.
Ursinus.

NOTÆ VARIORUM

IN

C. VELLEII PATERCULI

HISTORIAM ROMANAM

AD M. VINICIUM COS.

EX EDITIONE A. THYSII,
LUGD. BAT. 1667.

LIBER I.

C.] P. prænomen in plerisque novissimis editionibus Velleio præfigi video. Nec sine causa, si id Ms. codicis auctoritate sit subnixum; ut ex Barrerio adserit Schegkius. Cæterum cum nihil hujusmodi in illius variantibus lectionibus inveniam; argumentum illud non admodum validum esse arbitror. Firmare id tamen nituntur auctoritate Taciti, qui lib. VI. Annalium cujusdam P. Velleii meminit. Sed forsan ille auctoris nostri pater fuerit; qui sub M. Vinicio præfecturam equitum in Germania gesserat, cuique, Tiberio jam Rhodo reverso, noster in hoc munere successit: forsan etiam frater, cujus in hoc ipso opere, sub nomine Magii Celeris Velleiani, mentio fit. Confugiendum hinc alicui videatur ad prænomen C. Id quidem certo ei fuisse affirmare ausim, si ita se ipsum appellet, ut aiebat Aldus. Et fateor, meminit hic auctor C. Velleii: verum illum avum suum fuisse prædicat. Quæis moveor, ut M. prænomen potissimum amplectar. Fuerit illud nostro commune cum M. Velleio, cujus meminit Tullius Philippica III. Subnixa autem est nostra opinio verbis his Prisciani in VI., ut quidem vulgo concipiuntur: ' M. Velleius Paterculus; Primus, nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon.' Quod vero notarit Schegkius, in scripto suo Prisciani fragmento, prænomen fuisse omissum: id eo minus movet, quod ferme consentiat cum impressis codicibus, sine dubio vitiosis, hac tamen parte melioribus, quod id agnoscant. Atque id comprobant membranæ nostræ optimæ

notæ, quæ locum vulgo mancum ita exhibent: ‘ M. Vellius pater cujus liberi nec minus clarus,’ &c. Unde facile mihi fuit veram lectionem eruere: ‘ M. Velleius Paterculus libro I. Nec minus clarus,’ &c. Quin idem etiam firmant duo Mss. bibliothecæ Leidensis, quos postea inspexi; quorum uterque similiter habet, ‘ M. Vellius Pater cujus.’ Imo in altero etiam clare lib. I. perscriptum. Ut de hoc non sit amplius dubitandum. *Vossius.*

VELLEII] Negant aliqui Velleiam gentem ab antiquis nominari. Cicero tamen libris de Nat. Deor. C. Velleium Epicureum introducit. Idem etiam, ut jam diximus, M. cujusdam Velleii mentionem injicit. Alius sub Claudio cum M. Syllano consulatum gessisse dicitur, unde S. C. Velleianum. Velleii Blæsi meminit Plinius Epist. l. II. epist. ultima. Apud Priscianum etiam lib. XI. Velleii Celeris epistola ad Hadrianum Cæsarem laudatur: qui forte fuit ex posteris Magil Celeris Velleiani, fratris auctoris nostri. Alios ex eadem gente monstrabit index inscriptionum Gruterianarum. Possem addere Senecæ locum ex Præfatione lib. IV. Nat. Quæst. ‘ Plancus artifex ante Velleium maximus alebat, non occulte, nec ex dissimulato esse blandiendum.’ Ita enim edunt ex conjectura Mureti, cum ante legeretur *Villeium*. Sed ego vix dubito, quin *Vitellium* sit scribendum. Quod improbare non potest, qui exquisitissimas hujus erga C. Cæsarem adulationes apud Dionem lib. LIX. legerit. Conjecturam nostram firmari post hæc vidi a Justo Lipsio, cui idem notis ad Tacitum in mentem venit. *Idem.* VELLEII] Quod ad nomen attinet, Velleia gens nusquam, (vide tamen supra,) quod sciam, nominatur. Tacitus *Vellæum* agnoscit: itemque antiquus, lapis cujus verba subscribam.

Cæsarii.

C. VELLÆVS. C. LIB. VRSIO. AVG
SIBI. ET. TVTORINÆ. FILIÆ
TREBELLIÆ. FELICVLÆ
VXSORI. TREBELLIÆ
ARESCVSÆ
ET. TREBELLIA. FELICYLA. SIBI
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
MEIS. C. IN. CVLTV. MONVMEN-
TVM. CVM.
P. XV. ET. ITER

Manutius.

M. VINICIUM] De quo Tacitus libro VI. ait: ‘ Vinicio oppidanum genus: Callibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comtæ facundiæ.’ Pater ejus Publius, avus Marcus, ille DCCLV. hic DCCXXXV. anno urbis consul. Quibusdam cum lapide Colotiano placet, VINVCIVS. a vulgo Dio. Numi, in quis:

P. VINICIVS M. F. III. VIR.
A. A. A. F. F. F. ET L. VINICIVS.
L. F. III. VIR.

Et lapis Neapoli:

M. VINICIO P. F. POST
MORTEM
MVNICIPIS SVI AERE
CONLATO
PIETATIS CAVSA PO-
SVERVNT.

Schegk. AD M. VINICIUM] Legunt alii *Vinucium*, auctoritate lapidis Colotiani. Sed vulgatam lectionem non solum omnes scriptores, sed etiam numismata vetera confirmant. Disputant viri eruditi, utrum Vinicii hujus cognomentum fuerit Quartinus. Sane Pomponius de origine juris C. Cassium Longinum, et Quartinum, simul consulatum gessisse scribit. Ubi errat, quod L. Cassium Longinum, Tiberii progenerum, cum C. Cassio IC. confundat. Quod observatum etiam Lipsio ad VI. Annalium Taciti. Et sane vel prænomina, quæ diversa sunt, id doceant. Quapropter neque iis accedendum, qui C.

Cassium, et Quartinum, suffectos fuisse consules volunt. Et ne de his dubitem, facit, quod Pomponio solenne esse noverim in veteri historia labi. Cæterum Quartinum Vinicium cognominari, firmat quodammodo nummus Goltzianus, cui inscriptum, M. QVARTINVS II. VIR. Optime enim hoc ad Vinicium referri posse, liquet, non solum ex prænomine, quod idem est; sed et ex inscriptione Neapolitana, unde illum duumvirum fuisse, constat. Ea superius relata est. Sane duumviros in municipiis fuisse, manifeste, ut alios mittam, docet Cæsar de Bello Civili lib. I., ubi ait, 'se duumviris municipiorum omnium imperasse, ut naves conquirerent.' *Voss.*

CAP. 1. *Tempestate*] Loqui Velleium de Metabo sive Metaponto, nec Lipsius, qui primo de Epeo conjecerat, negavit. Hic enim Metaponti urbis conditor Stephano et Servio memoratur. *τὸν γὰρ Μεταύοντον οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον.* Quæ verba Stephani, articulo postulante, ita interpretantur, ut *Metabus a barbaris dictus* intelligatur, *qui vero nomine esset Metapontus.* Quapropter etiam a Cl. Salmasio in Plin. Exercit. p. 65. refutatur ea assertio: cum aliunde constet, 'verum nomen Metabi in Metaponti appellationem a barbaris demutatum esse.' Fuerit itaque fortasse apud Steph. translocatio vel nominum vel articuli librariis tribuenda: de quo tamen nihil pronuntio. Strabo lib. VI. ad Pylios, qui cum Nestore ab Ilio navigarunt, universim, Metaponti originem refert: ut et Solin. Polyhistor. cap. 2. *Boecler. Tempestate distractus a duce suo Nestore*] Quid Græci Troja redeuntes passi sint aut fecerint, narratio fuit: quæ oppida condiderint, aut ubi fixerint sedes. De quo tamen proprie hoc initium? Credo de Epio: quo trahit me Justinus lib. XXI. 'Metapontini in templo Minervæ ferramenta, quibus Epius, a quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit, ostentant. Et facit Aristoteles in Admirandis:' *Ἐγγὺς Μεταυοντίου Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναι φασὶν, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπείου λέγουσιν ὄργανα ἀνακεῖσθαι,* [fort. *εἰς τὸν*] *ἃ εἰς τὸν Δούρειον ἵππον ἐποίησεν.* Strabo simpliciter tamen dixit, 'Pylios Metapontum condidisse:' Stephanus aliique *Metabum* nominarunt: de quo ipso quin hæc capere possis, non nego. *Lipsius.*

Nestore] Nestor filius fuit Nelei et Cloridis juxta Homer. Quinquaginta navibus ex Pylo Trojam venit jam senior. Per tres *γενεὰς* vixisse dicitur: per *γενεὰν* autem intelligunt nonnulli triginta vel triginta tres annos. Ita Nestor 90. vel 99. annorum fuerit. Veteri Poëtæ Nævio dictus est 'trisecli senex.' Rex fuit ille Pyli. In Peloponneso triplex fuit Pylus. Duæ ad mare, quarum una in Elide regione, altera in Messenia, tertia in Arcadia. Quam ultimam genuinam Nestori, esse docet Strabo.

Metapontum] Urbs in magna Græcia ad sinum Tarentinum.

Teucer] Horatius ad Plancum: 'Teucer Salamina patremque Cum fugeret, tamen uda Lyæo Tempora populea fertur vinxisse corona, Sic tristes affatus amicos: Quo nos cumque feret melior fortuna parente, Ibimus, o socii comitesque. Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro. Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram.' Historiam post alios habes apud Virgilium libro I. et Justinum XLIV. a quo et *JUPITER* Salaminius, cui templum posuit Teucer. Tacitus Annal. III. *Schegk. Teucer non receptus*] Quæ hic facta memorat Velleius, futura conjicit Teucer apud Sophocl. in Ajace, 1012. cum Telamonis iram adversus venientem sine fratre sibi figurat. Inter alia veluti *παράφρασιν* Velleianorum verborum habent illa: *ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακόν; Τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον, Τὸν*

δειλίᾳ προδόντα καὶ κακανδρίᾳ Σὲ, φίλτατ' Αἴας, ἢ δόλοισιν, ὡς τὰ σὰ Κράτη θανόντος, καὶ δόμους νέμοιμι σοὺς. Τοιαῦτ' ἀνὴρ δύσοργος, ἐν γήρᾳ βαρὺς, Ἐρεῖ, πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος. Τέλος δ' ἀπωστὸς γῆς ἀποῤῥιφθήσομαι, &c. Vide de historia amplius, præsertim Servium ad Virg. Æn. I. Justin. IV. 2. 3. Dict. Cretens. lib. VI. Interpretes Horatii ad Od. 7. lib. I. *Boecler. Teucer non receptus a patre Telamone*] Varias auctorum super hac re opiniones quasi fasciculo colligat Servius ad Virgilii Æneidos lib. I. 'Teucer' (inquit) 'cum, Troja eversa, sine fratre esset reversus; qui se furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum; vel quia ossa fratris non retulisset; ut nonnulli, quod Tecmessam concubinam, vel ejus fratris filium Eurysacen, ad avum Telamona de Troja secum non reduxerit, quia ille alia navi vectus felicius navigaverat; Salamine pulsus a patre Cydoniam venit.' Ita integrum locum emendandum censeo. Male legitur *Theomissam* pro *Tecmessam*. Pro *Turesacen* etiam reposuimus *Eurysacen*, et pro *Sydonam*, *Cydoniam*. Ablegavimus quoque *a cena*, quod post *Tyriacen* Ms. Fuldensis inculcabat. Quis enim non videat, imperite illud ex præcedenti voce repetitum? Auctores vero quorsum allegem, cum historia hæc passim apud veteres poëtas, præsertim Tragicos, sit obvia? *Vossius.*

Telamone] De quo Ennius apud Ciceronem Tusculanarum III. 'Hiccine est Telamon ille, modo quem gloria ad cælum extulit? Quem spectabant? cujus ob os Graii ora obvertebant sua?' Usus hoc de se Cicero, Ep. ad Pætum. *Schegkius.*

Salamina] Urbs hæc Cypri Trajani tempore deleta a Judæis, ut scribit D. Hieronymus. *Fagamosta* hodie dicta, ut Niger autumat. *Salamina*] Apud Græcos Latinosque passim hæc historia. Illud nota non indignum, tempore Isocratis, Teucri genus adhuc fuisse in Cypri regno. In Euagora: Τέτταρες δὲ, ἐπειδὴ Τροίαν συνεξεῖλον, ἀφικόμενοι εἰς Κύπρον, Σαλαμῖνά τε κατῴκισαν ἀμείνονα ποιήσαντες τῆς πρότερον αὐτῷ πατρίδος οὔσης, καὶ τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεύον κατέλιπε: *Teucer vero, postquam una cum aliis Trojam cepisset, veniens Cyprum, Salamina ibi condidit cognominem veteri suæ patriæ, et genus, quod nunc ibi regni potitur, reliquit.* Lipsius.

Pyrrhus] Justin. XVII. 3. Plutarch. Pyrrho pr.

Epirum] Est hæc regio Græciæ versus Adriaticum mare. Vide Strab. lib. VIII.

Philippus] Vulgo male, *Philippus*. *Philippus*] Enumerat, ex Græcis ducibus ad bellum Trojanum profectis quam quisque urbem, everso Ilio, condiderit. Horum in numero neque ab Homero, neque a Darete Phrygio, Philippus nominatur: itaque facile crediderim, *Philippus*, esse reponendum; de quo sic Homerus ἐν τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ: Τῶν δ' αὖ φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην, Θεσσαλοῦ ἐκ δύο υἷε δύω Ἡρακλείδαο ἄνακτος. *Manut.*

Ephyram] Differentiæ causam addit 'in Thesp.' cum plura hoc nomine loca legantur: de quibus Stephan. in Ἔφυρα, quæ et Ἐφύρη. *Boecler.*

Thesprotia] Est hæc Epiri regiuncula.

Rex regum] Dux ducum qui ad Trojam venerunt.

Duas] Vulgata sane manca est. Sed quid hæc igitur sibi vult? Duplicem patriam fuisse Agamemnoni? De Mycenis, fateor, et clarum est: de Tegea, quæ in Arcadia, quid ea ad Agamemnonem, nondum legi. Nam *Pergamum*, sive, ut Plutarchus in Lycurgo appellat, περγαμίαν, certum est a victo Pergamo dictam. *Lips. Duas a patria n.*] *Mycenæ* ab Agamemnonis patria; *Pergamum* a Troja. Sed quid *Tegea*, quam Talthybius præco Aga-

memnonis dicitur condidisse, ut testatur Stephanus de urbibus? Ita quærenti Aldo respondet Schegkius, auspiciis Agamemnonis conditam a Talthybio. Itaque non immerito Agamemnonem fecerit auctorem Noster. *Boecler.*

· *Scelere patruelis*] Æschylus et Seneca in Agamemnone suo. Pausan. in Corinth. Liban. Declam. v. *Idem.*

Regni petitor] Homerus de hoc ipso, Odyss. v. Ἐτράφεσ' ἠδ' ἔφασσε πολυχρύσου Μυκήνης. *Lips.*

Hunc Orestes] Æschylus in Choëphoris, Sophocles et Euripides in Electra videndi. *Boecler.*

· *Socia*] Aliter *cum socia*; unde Lipsius legendum putabat *consocia.*

· *Factum ejus*] 'Rectumne fecerit ab Oreste matrem occidi, cum illa Orestis patrem occidisset;' inter usitatas priscorum Rhetorum exercitationes disquisitum est. Meminit Auctor lib. ad Herenn. I. 16. et Cic. de Invent. I. 14. ubi colorem Orestis firmamenti loco usurpandum, hunc adfert: ejusmodi animum matris suæ fuisse in patrem suum, in seipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiæ, ut ab ea pœnas liberi sui potissimum petere debuerint.' Libanius Declam. v. tota, Orestis apologiam conscripsit. Velleius, omissis aliis argumentis, ab eventu et subsecuta felicitate judicat. *Boecler.*

Regnavit LXX.] Valde ab hac supputatione abit Eusebius in Chronico: in quo est: 'Orestes regnavit annis XV.' Sed Lipsius reponere tentabat LXV. Quæ (pace summi viri dixerim) non emendatio est, sed depravatio. Nam cum hoc Eusebius referat ad numerum DCCCXLI. regnum vero Tisameni filii ejus ordiatur numero DCCCLVI. clarum est ex ipsius supputatione, XV. tantum annos Oresti tribuendos. *Vossius.* *Regnavit* LXX.] '· Valde dissentit' (inquit Lipsius) "Eusebianum Chronicon: Mycenis post mortem Ægisthi Orestes regnavit annis XV. credo fuisse LXV.' Quæ postrema viri diligentissimi verba non ad Euseb. refero (nil enim causæ apparet, cur ita opinaretur) sed ad Velleium: in cujus codicibus si forte fuerit LXV. (pro LXX. sc. quod nunc habetur) existimari potest, quinquagenarii notam a librario potius, quam ab auctore additam. Non dubito, tale quid in animo habuisse Lipsium: cui brevitas sua fraudi esse interim non debet. *Boecler.*

Pacta ejus] Tale ac *Sponsæ ejus.* Vide Nonium. Aldus, *pactæ ei.* Sed nihil mutandum esse, monuerat etiam Acidalius. *Vossius.* *Nam quod pactæ ejus*] Euripides in Andromacha. Justin. XVII. 3. 7. Et quos ibi annotavit ac conciliavit felicis memoriæ Vir, Matthias Berneggerus. *Boecler.*

Delphis eum interfecit] Ad patrias aras, sive inter altaria Dei. Justinus lib. XVII. nota res ex Servio ad illud Poëtæ Æn. III. 'Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.' *Schegkius.*

Lydia] Quæ est Asiæ minoris regio.

Et loco et incolis] Locum, sive regionem, *Tyrrhenium*; incolas, *Tyrrhenos*; mare, *Tyrrhenum* intelligit. Historiam habes apud Tacit. Annal. IV. 55. Strabon. lib. v. ubi 'Atys rex fame et sterilitate coactus, altero e duobus filiis Lydo sorte detento, alterum Tyrrhenum cum majore populi parte amandasse,' memoratur, &c. addenda quæ Casaubonus ex Festo Servioque ad eum locum notavit. Plenius illam famem et demigrationem narravit Herodotus lib. I. Diodorus lib. v. maris appellationem inde petit: 'cum Tyrrheni plurimum classe pollerent, et imperium mari obtinerent, factum esse, ut subjectum Italiæ mare, de ipsorum nomine, Tyrrhenum diceretur.' Alias opiniones suggerit Servius ad vers. Æn. I. 'Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.' Appiano Tυρρηνικοὶ Λυδοὶ

ἔποικοι in Punic. dicuntur. Justinus, Tuscorum populos a Lydia venisse scribit XX. 1. 7. Atque ita quidem communiter de Tyrrhenorum origine traditur. Dionysio tamen 'potius indigenæ, quam advenæ' videntur lib. I. cujus argumenta (a diversitate linguæ, religionum, legum, studiorum præcipue petita) 'minime vana' existimat Lipsius ad Senec. Consol. Helv. VI. *Boecler.*

Penthelus] Scribendum est, *Penthilus*: sic enim habet Pausanias, et Græci scriptores. Pausaniæ verba ex Corinthiacis sunt hæc: *Τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κινααθὼν ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἡρηγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν. Ursinus. Penthilus*] Penthilum Orestæ successisse Strabo in Geographicis, auctor est lib. XIII. De Tisameno Pausanias in Corinth. *Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος, ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς.* Quidam Tisamenum primo loco, sicut alii Penthilum ponunt; et in annotatione annorum maxima occurrit discrepantia. Velleiana quidem computatio, in se spectata satis congruit; nam si Ægistho VII. Oresti LXX. Penthilo et Tisameno III. annos tribuimus, efficietur octogenarium istud intervallum a Trojæ excidio usque ad Heraclidarum reditum. Verum si hanc sententiam cum aliis conferamus (puta cum Africano, Eusebio, &c.) deprehendemus, tam certum esse, Orestis liberos diutius quem triennio imperasse, (quippe cum Penthilo XXII. anni, nec pauciores Tisameno assignentur,) quam incertum, imo falsum est, Orestem LXX. annis imperium tenuisse. Igitur illud Velleii *triennium*, valde mihi semper suspectum fuit: existimabamque aliquando, Auctorem scripsisse, *Mycenis*; aut locum plane corruptum mutilumve esse. At obstabat huic opinationi congruentia totius intervalli, de qua antea dictum: nisi quod rursum infirmabatur hæc cogitatio, postquam de LXX. Orestis annis (an Velleius sc. ita scripserit) merito dubitari cœptum est. *Boecler.*

CAP. 2. *Tum fere anno*] Magnus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis quatuor nobilia intervalla, inter cladem Ilii et primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis designant tempus illud veteres Chronologi, Herodotus, et alii. Primum est *ἡρακλειδῶν κάθοδος* a Troj. capt. LXXX. an. (num. Euseb. DCCCXV.) 2. *οἰκισμὸς Λέσβου κατὰ πόλεις* post clad. Ilii CXX. (n. Euseb. DCCCCLV.) 3. *Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης φρικώδους*, post Troj. CXL. (n. Euseb. DCCCCLXXV.) 4. *κτίσις Κύμης ὑπὸ Χαλκιδέων* CLVIII. post Troj. (n. Euseb. DCCCCXCIII.) De primo hic agendum; id est, de *reditu Heraclidarum*. Prorsus celebris est hic character, primum quodammodo initium historiæ veræ: sed in diversa tempora conjicitur ab Historicis: forte, quia conatus irriti *τῆς καθόδου*, id nomen a nonnullis tulerunt: sicut bene conjicit Scaliger in Euseb. nam Heraclidæ, mortuo Eurystheo, a quo Peloponneso pulsi fuerunt, cum primo reditum conantes, cæde Hylli ausia excidissent; posteaque rursum frustra eum conatum resumsissent, tertia demum vice, Tisameno in Peloponneso imperante, destinata perfecerunt. De primo conatu et interim, Hylli vid. Diodor. lib. IV. et Tegeatarum orationem ap. Herodot. lib. IX. Pausan. Aread. In tempore ultimi et veri reditus designando, consentiunt Velleio non Tatianus modo et Plutarchus, de quibus Lipsius monuit, sed Thucydides etiam *ἐν τῷ ἀκριβεστάτῳ τρισσάτῳ* severissimi operis. Accedit approbatio recentiorum. Scaliger in Animadv. Euseb. 'Certum est,' inquit, 'octoginta post Ilii excidium annis Heraclidas patriæ restitutos imperium Peloponnesi obtinuisse.' Hunc Calvisius et Chronologorum accuratissimus quisque sequuntur.

Strabo lib. XIII. pag. 622. LX. tantum annos numerat. Quo loco tamen, si sexaginta annos ad Penthili in Thraciam progressum sive expeditionem referas, et quod sequitur, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον, non præcise, sed ἐν πλάτει, summas, sicut fieri apud Chronologos interdum videmus, facile conciliabitur cum Nostro et veritate. Quod si hoc durius videbitur, non possumus Straboni, contra eos quos prædiximus, et Pausaniam qui Tisameni imperio non Penthili tribuit hunc reditum, ausculture. Dicat hic aliquis, Pausaniam in Messen. dicere τὴν κάθοδον Ἡρακλειδῶν γενομένην δύο γενεαῖς ὕστερον: *duabus post confectum bellum Trojanum ætatibus accidisse reditum Heraclidarum.* Jam si γενεὰ, secundum Muretum Var. Lect. X. 8. et alios, triginta annorum statuenda est, prodibunt non LXXX. ceterorum, sed LX. Strabonis anni. Verum quemadmodum certissimum est eos errasse, qui ap. Homerum Nestoris γενεὰς (de quibus Muretus) pro singulis seculis sive centenariis accepere, ita prorsus periculosum est vel præcise vel ubique de 30. annis pronuntiare. Sane nec Latini *seculum* et *ætatem* hoc significatu, quo γενεὰ Græcorum plerumque accipienda venit, certo annorum numero διετόμως definivere. Quinimo variare isthæc talia pro captu ac conditione temporum videmus. Sic respectu μακροβιότητος primævorum hominum productiores ætates numerat sacer codex: quas, in angustiore posterorum ævo, usus loquendi εὐλόγως contraxit. Itaque, ut ad rem revertamur, tam proclive nobis fuerit, de quadraginta et circiter annis γενεὰν accipere, quam aliis de triginta existimare libuit. Certe apud Matthæum Evang. XXIV. 3. et Luc. XXI. 32. γενεὰ 40. circiter annis metienda erit, si Erasmi, Bezæ, aliorumque expositionem, simplicissimam scilicet et scopo textus accommodatissimam (v. Harmon. Evangel. Gerhardi cap. 161.), sequamur. *Idem.*

Centesimo et vigesimo] Joseph. Scalig. ad num. DCCCXXV. Chron. Euseb. notat: τὴν Ἡρακλέους ἀνοδέωσιν (de qua vid. Diodor. 4.) Velleius Paterculus ait contigisse annis CXX. ante Heraclidarum reditum, hoc est, XL. annis ante Ilii eversionem, numero DCCXCV. Quod falsum convincit numerus DCCCXV. quo agon olympiacus ab Hercule est instauratus. Hactenus ille. Diligentiores ergo Chronologi XCV. circiter annis ante Heraclid. reditum, Herculis obitum ponunt. *Idem.*

Pelopis progenies] Hoc illud celebre tempus, quod crebro in antiquis Chronicis, quasi nota et character temporum, signatur Reditus Heraclidarum, Atque ab eo initium plerique faciunt historiæ veræ. Diodorus lib. IV. Ἔφορος ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους μὲν μαθητὴς, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας. Ὁμοίως δὲ τούτῳ Καλλισθένης καὶ Θεόπομπος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γεγονότες, ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων: *Ephorus Cumæus, Isocratis discipulus, cum res publice gestas scribere instituisset, veteres quidem fabulationes omisit; illa vero, quæ ab Heraclidarum reditu facta, colligens, hoc initium fecit historiæ suæ. Callisthenes et Theopompus, qui eodem ævo vixerunt, pariter ut ipse, abstinuerunt a priscis fabulis.* Varro paullo aliter tamen tempora in hunc finem discernit apud Censorinum, cap. XXI. 'Varro,' inquit, 'tria discrimina temporum esse tradit. Primum, ab hominum principio usque ad Cataclysmum priorem; quod propter ignorantiam vocatur Adelon. Secundum, a Cataclysmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, Mythicon nominatur. Tertium, a prima Olym-

piade ad nos; quod dicitur Historicum, quia res in eo gestæ veris historiis contineatur.' *Lipsius.*

Temenus] Quia hic maximus natu, et princeps recensetur, factum ut ipsi tota res tribuatur, aut ejus posteris. Tertullianus de Pallio, cap. 11. 'Sic et Herculea posteritas, qui Temeno pariter Peloponnesum occupando producunt.' Id est, una cum Temeno simulque. Idem corrigendus, De Anima, cap. XXX. 'Gloriosi quique occupant terras, ut Scythæ Parthicas, ut Menidæ Peloponnesum.' Legendum, *ut Temenidæ*. Idem. *Temenus*] Temeno Argi cessere; Cresphonti, per sortem, Messene. (Pausan. Messen.) Aristodemus ipse jam fulmine e medio sublatus erat: igitur filii ejus gemini, Procles et Eurysthenes, Sparta potiuntur: a quibus *οἰκία δὸο βασίλεια*, familiæ duæ regiæ, Spartanorum ortæ sunt. Pausan. Lacon. Nisi quod Velleio in Aristodemi persona patrocinatur Herodotus: id quod Lipsio notatum. *Boecler.*

Aristodemus] Ergone ipse Aristodemus inter duces? Ita velle Velleium apparet: etsi in dissensu obstinato aliorum scriptorum. His traditum, Aristodemum, dum apparatur reditus, fulmine tactum periisse: in ejus locum liberos venisse, Eurysthenem et Proclem. Apollodorus talium rerum diligens II. Biblioth. *Ἐκεῖ δὲ ὄντος τοῦ στρατεύματος, Ἀριστόδημος κεραυνωθεὶς ἀπέθανε, παῖδας καταλιπὼν διδύμους, Εὐρυσθένη καὶ Πρόκλέα: Ibi cum exercitus Herculidarum esset,* (Naupacti scilicet,) *Aristodemus fulminatus occidit, filios geminos relinquens, Eurysthenem et Proclen.* Eadem aut similia Pausanias in Corinthiacis, atque alii. Quis a Velleio? Damnabam: sed manum calculumque tenuit Herodotus, qui Spartanos ipsos docet fuisse in eadem hac cum Velleio mente, etsi contra scriptorum vulgus. Ille lib. VI. *Λακεδαιμόνιοι γὰρ, ὁμολογέοντες οὐδενὶ χαίρειν, λέγουσι αὐτὸν Ἀριστόδημον τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου, βασιλεύοντα ἀρχηγὸν σφέας εἰς ταύτην χώρην, τὴν νῦν ἔχουσι, ἀλλ' οὐ τοὺς Ἀριστοδήμου παῖδας: Lacedæmonii,* nemini *poëtarum* assentientes, *tradunt ipsum Aristodemum, qui Aristomachi, qui Cleodæi, qui fuit Hylli, regentem eos* reduxisse *in hanc regionem, quam nunc obtinent; non autem ipsos Aristodemi liberos.* Ergo bene et ex recondita sententia Velleius. *Lips.*

Atavus] Propria *abavus*. Sed hæc cognationum vocabula sæpe confunduntur. *Atavus*] Distinctio interponenda; *Aristodemus, quorum.* Nam quem ait fuisse atavum? ipsum Herculem. Stemma tale: Hercules Hyllum genuit, hic Cleodæum, hic Aristomachum, hic Temenum, Cresphontem, Aristodemum. Ex Herodoto supra, aliisque. *Lips.*

Athenæ] Vide Ubbonem Emmium in Græcia descriptione.

Codrus] Historiam Codri scripsere Justin. II. 6. 16. et seq. alique. Addimus autem Lycurgum, qui in Orat. advers. Leocratem diligenter et fusius ceteris rem commemorat. Illud quoque monemus, inter allegatos Servium ad Eclog. V. et Augustinum de C. D. XVIII. 19. hunc Atheniensium Codrum regem cum Virgiliano pastore confundere; id quod non semel Scaligero notatum. *Boecler.*

Pythius] Apollo qui a Serpente nomen accepit. Phœbus serpentem orientalibus denotat.

De industria] Sententia est, Codrum, rixam de industria concientem, imprudenter interemtum. Ita intelligi suadet Valerius lib. V. cap. 6. his verbis: 'Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata, ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit Deus; ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidis-

set: quæ quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contraria parcrebuit: eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus imperii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit; unumque ex his falce percussum in eadem suam impulit.' Sed quid Valerio hic *familiaris cultus*? an iste qui ad discrimen regii, cultus privati? Vix puto. Emendo *famulatum cultum*. Justinus certe paucosum, sarmenta collo gerentem, castra hostium ingressum edfirmat. Et vero unicus ad hanc rem fundus et subscriptor Cicero I. Tusculanarum, qui hunc ipsum *famulatum vestem* vocat. Redeo ad Codrum, quo longe ab Ilisso, Pausania teste, interemto, regnum Erechtidarum post CDLXXXVII. vel, ut alii CDLXXXIII. annos defecit. Plutarchus de Exilio, Augustinus lib. XVIII. cap. 18. Civitat. Dei, Pausanias Atticis, et Achaicis. *Scheph.*

Imprudenter] Ille imprudenter? imo dedita opera et studiose rixam civit. Sed tu verba interpunge, sententiam et te expedies: *Imprudenter, rixam ciens, interemptus est.* Vult interemptum imprudenter, et ab hostibus ignaris eum esse regem. Quod verum est. *Lipsius.*

Hujus filius] Ultimum regem fuisse Codrum consensu traditur: sed apud Justinum II. 7. 2. saltus committitur, ubi statim annui magistratus, omissis XIII. perpetuis, et VII. decennalibus Archontibus, reges sequuntur. Qua de re etiam Bongarsius. Excidisse hanc narrationem, aut a mutilatore omissam esse, existimat Jo. Meursius in Archontibus Athen. lib. I. cap. 1. *Boecler.*

Charopem] Tredecim fuere, quorum seriem et nomina Eusebius refert, et Meursius loco jam laudato. Continuatur autem hæc narratio infra c. 8. *Idem.*

Peloponnesii] Locus hic mihi aliquando suspectus. Sed sanus est. Quod clarum ex Strabonis Geograph. l. IX. ubi narrat, Heraclidas a Codro ex Attica pulsos Megaridem occupasse, ac condidisse Megara. Neque moverit quemquam, quod ille Heraclidas, noster Peloponnesios vocet. Hæc enim neutiquam inter se pugnare, liquet ex præcedenti Velleli narratione. *Vossius.*

Digredientes] Victi sc. prælio, et a Codro profligati ex Attica. Strab. IX. p. 393. *Boecler.*

Megarum] Stephanus de urb. Μέγαρα, πόλις περὶ τὸν Ἰσθμὸν, μέση Πελοποννήσου καὶ Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας. *Idem.*

Insulam circumfusam] Lipsius, cum videret non insulas, sed in insulis oppida ab hominibus condi, correxit hunc locum, et de quarto in ultimum casum mutavit, quæ hic de insula dicantur. Atque id *εἰσπέσοντα* a Lipsio factum existimavit Pet. Faber Semestr. III. c. 4. p. 26. in marg. Sed tuetur librorum consensum et auctoritatem Cl. Salmasius ad Tertullian. Pall. c. 2. p. 121. ea ratione, quod hic *condere* sit *urbibus inædificare*, ut Græcorum κτίζειν, *urbibus instruere*. Itaque et *insulam*, *Gades* dictam, et *condere insulam* esse *urbibus instruere*. Cæterum, quæ de Gadium origine memorantur, vide omnino apud Strabonem l. III. non procul a fine. Plin. IV. 22. et V. 19. Diodor. l. V. *Idem.*

Ab iisdem] Justinus libro XVIII. 'Tyrii, missa in Africam juventute, Uticam condidere.' Mela: 'Utica et Carthago ambæ inclytæ, ambæ a Phœnicibus conditæ.' *Lipsius.* Vide et quæ diximus ad Sallustium, pag. 255.

Sedem cepere] Obhæreo. Ambigua et ἀορίστως ista scriptio, Capere locum circa Lesbum. Ubi? in ipso mari? aut quid igitur nominas et designas? An a stili acumine subsidium, et rescribimus, *sedem cepere circa Lesbum insulas?* Insulas, inquam, multitudinis numero: et sunt sane plurimæ illic, etiam eæ, quas ἔκατον-

νήσους appellarunt, etsi vicenas numero, aut, ut alii, quadragenas. Tentabam etiam, *sedem cepere Lesbum insulam*, ejecta vocula: et id valde volebam: sed renuunt scriptores, quorum nemo mihi auctor de occupata ab Orestis liberis Lesbo. Etiam Pausanias de locis circa Lesbum renuit, qui vult in Corinthiacis, 'Tisamenum cum suis copiis in partem Græciæ devenisse, quæ nunc Achaia dicitur.' Imo idem lib. VII. initio, periisse eum in Achaia narrat, prælio cum Ionibus, et in Helice sepultum. Itaque et nepotes Orestis in eadem Achaia collocat, eodem lib. VII. *Lips.*

CAP. 3. *Achæi ex Laconica*] Strab. l. VIII. ἐν τοῖς Ἀχαϊκοῖς. Polyb. II. p. 128. Pausan. Achaic. pr. *Boecler.*

Pelasgi Athenas] Lipsius miratur Dionysium lib. I. dum casus et sedes Pelasgorum exequitur, nullam Atticæ mentionem facere. Atqui continebatur id jam in verbis Thucydidis, quæ ex lib. IV. Dionysius adducit, ubi 'Pelasgi Lemnum olim et Athenas incolnisse' dicuntur. De utraque sede etiam Strabo l. V. p. 221. Fuerunt autem Pelasgi vaga et migrationibus dedita gens, πολύπλανον καὶ ταχὺ τὸ ἔθνος πρὸς ἐκναστάσεις, teste eodem lib. XIII. p. 621. unde a Dionysio πλανῆται vocantur lib. II. pr. Porro quæ Athenas commigrandi plerisque caussa fuerit Thucyd. annotavit lib. I. ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὂν, ἀνεχώρουν: *Ex cetera enim Græcia potentissimi quique bello aut seditione pulsi, Athenas, tanquam stabilem sedem, sese conferebant*, ut habet versio Generosissimi Eunenckelii. *Idem.*

Athenas] Pausanias lib. I. habitasse vult ipsam arcem.

Ab ejus nomine Thessalia] Strabo de Thessaliæ nominibus et nominum rationibus disserit, fine lib. IX. adde Scalig. animadvers. Euseb. ad n. CCXXVI. ubi 'Thessalus Græci filius' memoratur. Diodorus lib. IV. appellationem a Thessalo Jasonis et Medeæ filio repetit, non dissimulans tamen esse alias de hoc nomine opiniones, de quibus alibi dicturus sit. Dixit haud dubie: sed vetustas intercepit. *Boecler.*

Convenit] Nulla erat ratio idonea cur hoc *convenit* in *subvenit* mutaret Acidalius. Prorsus enim cum elegantia id Velleius scripserat, sicut alias. 'Par est,' 'fas est,' eidem sensui servire videmus. *Idem.*

Quod cum alii faciant] Obnubilat splendorem orationis vox, *faciant*. Commodius subintelligeretur, inquit Gruterus. Interim certum est, Velleium tantopere elegantiæ dictionis non studuisse, quin multa ejusmodi simplicius dicta admitteret. Id quod de plerisque auctoribus, etiam poëtis, existimare convenit. Ut fortasse frustra sint, qui ad περιεργίαν usque criticam censuram exercere velint. *Idem.*

Nihil enim ex persona poëtæ] Secus est in Epica poësi: ubi ex persona poëtæ multa interseruntur, ut mox observat Noster circa appellationem Corinthi. 'Quippe omnis poëtæ oratio, aut narratione simplici, aut sola imitatione, aut utroque constat. *Simplici narratione*: ut Arati de astris apud Græcos, Lucretii de natura apud Latinos poëma. *Imitatione*: cum sublatis poëtæ quæ interseruntur verbis solæ personæ repræsentantur; quibus sermo omnis tribuitur. Quod cum in comœdia, tum et in Tragœdia, fieri est necesse. Quibus ideoque proprie a Platone *imitatio* tribuitur. *Utroque*: quemadmodum in epico Homeri aut Maronis. In quo aliorum sermonibus sæpe poëtæ interseritur.' Libuit hæc ad illustrandam nostri Auctoris censuram verbis Dan. Heinsii exponere, qui in subtilissimæ eruditionis commentario de Constitut. Tragœd. cap. 2. ex mente Platonis ita disserit. *Idem.*

A Thessalo] 'Thessaliæ nomen non

reperitur apud Homerum, quum tamen in Bœotia Thessali Herculis filii meminerit, a quo non potest videri dicta Thessalia.' Juvat Velleianum argumentum hæc Scaligeri ad Euseb. notatio. *Idem.*

Paullo ante Aletes] Id confirmat Pindari scholiastes in Isthmiis: unde et Ἀλητῖδαι, inquit, vocantur Corinthii. Quo nomine usus est et Callimachus in sequentibus versibus, qui leguntur apud Plutarchum in v. Symposiacôn: Καί μιν Ἀλητῖδαι πουλὺ γαγειότερον Τοῦδε, παρ' Ἀλγεῶνι θεῷ τελέοντες ἀγῶνα, Θήσουσιν νίκης σύμβολον Ἰσθμιάδος, Ζηλωτῶν νεμέσηθε, πίτνα δ' ἀντιμήσουσιν, Ἢ πρὶν ἀγωνιστὰς ἔστεφε τοὺς Ἐφύρη. *Manut. Paulo ante Aletes*] Sine circumductione ut loquar, falsum hoc est: nisi alii scriptores falsi. Pausanias lib. II. Ἀλήτης Ἱππότου, τοῦ Φύλαντος, τοῦ Ἀντιόχου, τοῦ Ἡρακλέους. Apollodorus totidem pæne verbis: Ἱππότης τοῦ Φύλαντος, τοῦ Ἀντιόχου, τοῦ Ἡρακλέους. Quid dicemus? *quintum* reponi debere, si cui tamen tanta sunt λεπτολογήματα hæc Græcorum. *Lips. Paulo ante Aletes*] 'Utrumque falsum (ait Scaliger in animadv. Euseb.) et sextum fuisse ab Hercule, qui quintus esset; et Corinthum condidisse, quam Sisyphidæ per multos annos antea obtinuerant.' Prius istud Lipsio etiam animadversum: posterius refutatione non indiget, si condendi vocem de restitutione accipiamus. V. Indic. Pindaro Olymp. XIII. Corinthii dicuntur παῖδες Ἀλάτα, id est, ἀπόγονοι Ἀλήτου, ubi Scholiastes videndus. Adde Euseb. n. CCCCXCVI. *Boecler.*

Aletes] Sine aspiratione. Ita Rhenanus et doctissimus Belgarum Junius, Animadversorum lib. VI. c. 25. *Schegkius.*

Quæ antea] Sc. ante Aletæ tempora, neque quisquam aliter accepit. Vid. Stephan. in voc. Ἔφυρα et κόρινθος. *Boecler.*

Claustra Peloponnesi] Adeundus omnino Strabo lib. VIII. in descriptione Corinthi. Hinc inter 'compedes Græciæ,' Philippo, aliis inter 'vincula Græciæ' urbs memorata, ap. eund. lib. IX. et Polyb. lib. XVII. Confer quæ habet Pausan. Corinth. pr. Thucyd. I. pag. 10. Horatii interpretes ad Od. 7. lib. I. Illud *continentem* a mala manu esse existimat Gruterus. Non ausim statim assentire. *Idem.*

In Isthmo] Thucydides l. I. Hinc Horatius ad Plancum; 'aut Ephesum bimarisve Corinthi Mœnia.' Vide Strabonem lib. VIII. et XVIII. *Schegkius.*

Condidit] Quæ hic nihil aliud, quam, *ex integro restituit.* Simili locutione 'Tyrios Alexandri auspiciis conditos' ait Justinus lib. XVIII. Ita quoque 'Ecbatana Seleucum condidisse,' scribit Plinius lib. VI. cap. 14. Denique sic vulgo Constantinopolim, quæ ante erat Byzantium, condidisse dicitur Constantinus Magnus. *Voss.*

CAP. 4. *Athenienses, &c.*] Strabo conditionem earum vetustiorem facit, lib. X. Ἀμφότεραι, inquit, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ὑπ' Ἀθηναίων ἐκτίσθαι λέγονται: *Utraque* [Chalcis et Eretria] *ab Atheniensibus ante Trojana tempora condita perhibetur.* Lipsius.

Magnesiam] Eam scil. quæ ad Sipylum, de qua etiam Eusebius capiendus DCCCCLXI. monente Scaligero, qui nostri Auctoris locum illuc retulit. *Boecler. Magnesiam*] Duplex est Magnesia; una ad Mæandrum, altera ad Sipylum. Hanc potius intelligendam censeo. Nam altera fuit Æolica urbs; ut testatur Strabo lib. XIV. Apud L. Ampelium in libello memoriali, nuper a Salmasio edito, corrupte hæc *Marnesia ad pylum* dicitur. *Vossius.*

Chalcidenses] Congruit Strab. lib. V. pag. 243. nisi quod Cumas Italicas non χαλκιδέων solum, sed et κυμαίων (ap. Dionysium lib. VII. Eretrienses Chalcidensibus junguntur) κτίσμα fa-

cit, alterumque e ducibus Hippoclen Cumæum, alterum Megasthenem Chalcidensium asserit. Jam 'cum variis variis locis Cumæ fuerint (verba Casauboni ad Strabonis locum hue transcribere libet) 'quas enumerat Stephanus, dubitari potest, ex qua Cumani isti sint profecti, qui Cumam Campaniæ condiderunt. Puto tamen e Cuma Euboica: nam et Chalcis in Eubœa. Ideo ait Virgilius,'Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.'' Hactenus Casaubonus: adde et Scaligerum Animadvers. Euseb. ad num. DCCCCLXVI. qui de tempore istud dubium movet, apud Euseb. 'conditus Cumarum in Italia ponitur annis CXXXII. post Troica. Strabo et Velleius ante Troica.' Producit deinde hæc Nostri verba. Certe Velleius non ante, sed post Troica ponit Cumarum initium: quod contextus historiæ facile evincit. Interim ante Troica Cumas conditas autumat etiam Cl. Salmasius in Solin. pag. 72. ubi et de Cumanis, quos Strabo cum Chalcidensibus Cumarum in Italia auctores facit, contra Scaligerum disputat. Quod Lipsius miratur in Chron. Euseb. haberi: 'Mycenæ in Italia condita, quæ nunc Cumæ:' de eo non est dubitandum, scriptum esse, *Cymæ* in *Ital. s. &c.* Boecler.

Ut prædiximus] Ante lineas aliquot dixit. Itaque vix dubium quin hic glossema sit illud, *ut prædiximus*. Quæ voces sæpissime toto hoc opere reperiuntur, et ob id meritissimo Lipsio sunt suspectæ.

Cumas] In illud Virgilii lib. III. 'Hinc ubi delatus Cumarum accesseris urbem,' Servius, et idem apud eundem lib. VI. et IX. 'Nobilis urbs a Sibyllinis libris, ad quos XV. viri adeunt, cum Dii immortales publice consulendi sunt.' Agellius I. 16. Solinus c. 7. alii. *Schegk.*

Columbæ antecedentis] Quid opus erat ulla critica manu Acidalii in loco tam sano? An enim *ante ducentis*, aut *ante se dentis*, melius aut Latinius exprimit quod volebat Auctor? Nonne castigatissimæ Latinitatis scriptor Curtius l. IV. 7. 15. bis ita loquitur? 'complures corvi agmini occurrunt; modico volatu prima signa antecedentes: et modo humi residebant, quum lentius agmen incederet, modo se pennis levabant, antecedentium, iterque monstrantium, ritu.' Quem locum Gratero jam adductum vindicandæ optimæ lectioni video. Et ipsius mirificæ plura annotavit Cl. Freinshemius Noster exempla. Lucanus Panegyrico ad Pisonem, hoc prodigio conditam memorat: 'Testis Acidalia quæ condidit alite muros, Euboicam referens fecunda Neapolis aream.' Quæ verba adductis Statii locis illustrat Scaliger in Appendice Virgiliana. *Boecler.*

Nocturno eris sono] Non quia æs pulsum in Cerealibus tantum sacris: id falsum: et ecce: 'Cymbala Thebano concrepuere Deo.' Item: 'Necte semat Rhodope timnitibus æris acuti:' ut omittam Isidis et Ægyptiaca sacra cum suis sistris. Arnobius etiam universe: 'Vos æris tinnitibus et tibiarum sonis pervicaces habetis Deos delectari et affici.' Cur ergo Cerealia eximie nominat? quia de 'nocturno æris sono' sermo est: et sacra illa noctu, idque cum clamore et clangore. Justinus lib. II. 'Jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, sacra (hæc Cerealia) celebrare.' *Lipsius.*

Cerealibus] Atheniensium, in quibus sacerdotem instrumento æneo, ἠχεῖον dicto, excitare sonum, ut matronæ clamorem et strepitum moris, Justin. lib. XI. Æneo instrumento placuit, quod plurimum posse in sacris et percantationibus prisci illi persuadebant. Hinc deficiente Luna ejus usus. Livius præter Plutarchum, Ovidium, Juvenalem, clare lib. XXVI. 'Campanorum,' inquit, 'imbellis multitudo,

cùm aeris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, edidit clamorem.' In exauctationibus, æneæ falces; de quibus Virgilius et Macrobius. In casto Cereris an hoc tale adsumatum valde mihi dubium. Vide Ciceronem in Verrinis, Livium, Dionem, Ovidium, Festum, Arnobium, Clementem, alios: et ne mu quidem Lucilianum. Sane Servius ad illud Virgilii lib. IV. 'Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,' permansisse in sacris ait, ut certis diebus per compita a matronis exerceatur ululatus. Mansit attamen adeorum vasorum usus. Livius lib. XXVII. 'Ædilicis plcb. Q. Catius et L. Portius Licinius ex multatitio argento signa ænea ad Cereris sacra dedere.' Burrerii Ms. *aeris sono*. Schegkius.

Neapolim] Unde et *Neapolis*, i. e. nova urbs dicta. Strabo lib. V. Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων ἕτερον δὲ καὶ Χαλκιδέων ἀφίσμασιν, καὶ Παθηκουσσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ἔσχε καὶ Νεάπολις ἐπλήθυ διὰ τοῦτο. Antea *Palæopolin* fuisse e Livii VIII. 22. monuit ad h. l. Lipsius. Verba Historici faciunt ad explicationem Velleii et Strabonis. 'Palæopolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est. Duabus urbibus populus idem habitabat: Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboica originem trahunt. Classe, qua advecti a domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam et Pithecusas egressi, dein in continentem ausi sedes transferre.' *Boeclerus*.

Fides] Vide Liv. XXIII.

Amœnitate] Eleganter in hanc rem Plinius lib. III. 4. et Florus lib. I. 16. 'Omnium non modò,' inquit, 'Italia, sed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cœlo: nil uberius solo: [ita ex veteribus lego:] denique bis floribus vernat: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis.' Quod de fide et constantia inicit, etiam Livius multimodis ad posteros transmisit. *Schegk.*

Magnitudo] Hoc argumentum valde est incertum. Οὐ γὰρ ἀκριβὲς σημεῖον τὸ ἐκ τῶν τόπων τὰς δυνάμεις τῶν ἀνθρώπων στοχάζεσθαι, ait Scholiastes Thucydidis ad nobilissimam observationem, quæ ἐν τηλαυγεῖ προσώπῳ severissimi operis ab Historico suppeditatur, ubi monet, 'veteres Mycenarum angustias non recte a posteris allegari ad negandam urbis, qua olim pollebat, potentiam.' Postea exemplis duobus allatis, altero evincit insuper, 'neque in contrariam partem argumentum de magnitudine valere. Nam si nunc,' inquit, 'Lacedæmoniorum desolaretur urbs, templis solum et ædificiorum relictis areis, incredibilem posteris, post longius elapsum tempus, eorum potentiam gloriamque fore crediderim: qui tamen nunc ex quinque Peloponnesi partibus, duas ipsi tenent, universæ autem et multis extra eam sociis præsunt. Verum quia urbs neque tectis frequens, nec templis sumptuosisque ædificiis exornata est, vicatim antiquo Græciæ more habitata, impar famæ suæ videretur. Sin idem eveniat in Atheniensium urbe, duplo major, quam est revera, eorum potentia, urbis faciem intuenti, censeretur.' Ex quibus omnibus, 'Non igitur ex aspectu urbis de potentia judicandum esse,' infert. Digna fuit quæ hic quoque legeretur notatio; quoniam crebri circa hanc rem errores judicantium observantur; et ne inconsulte arrepta Velleii verba, ultra quam fas est valere crederentur. *Boeclerus*.

Magna vis Græca] Recte monuit Gruterus, non debuisse a Schegkio et Acidalio (quorum errorem etiam Taubman. in Culic. Virgil. suum fecit) *Græciæ juventutis* legi, ex sphalmate editionis Rhenani. Etiam exempla,

quæ firmandæ isti opinatiunculæ adducuntur, dexteriore opus habent et explicatione et applicatione. *Idem.*

Abundantia] Crebra demigrationum caussa. Ita 'Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecena millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum, miserunt.' Justin. XXIV. 4. 1. *Idem.*

Ionea] Satin' in hac narratiuncula, o Vellei, φρένες tibi ἔμπεδοι? non videntur. Ionem ducem tu coloniæ hujus facis: atqui Auctoritas te oppugnat, et Ratio ipsa. Auctoritas magnorum ecce testium, qui a Nileo, Androclo, et Codri filiis coloniam hanc constanter asserunt deductam. Strabo lib. VIII. *Μετὰ τῶν Κοδριδῶν ἔστειλαν τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν εἰς τὴν Ἀσίαν. Una cum Codri filiis miserunt Ionicam coloniam in Asiam.* Pausanias lib. VII. Ὁ Νειλεὺς καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων ἀποικίαν ἀπεστάλκεσαν: *Nileus et reliqui Codri filii in coloniam dimisi*: et plura uterque ille scriptor de tota re distincte. Inter Latinos etiam Tertullianus, de Pallio: 'Iones Nilei comites Asiam novis urbibus instruunt.' Et Ammianus: 'Milesii inter Ionas alios in Asia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium qui se pro patria bello fertur Dorico devovisse.' Quin et Plutarchus Nileum in hac deductione nominat, libello de Exsilio. Jam ratio in te, a tempore. Verus ille et vetus Ion, Xuthi filius, ducentis pæne annis major hac deductione: quia vixit Danai atque Eumolphi ævo. Quomodo nunc igitur coloniæ dux? Agnoscimus vel hinc Velleii τὸ παράλογον, pro quo nullus mihi quidem color. *Lipsius. Iones*] Hæc est celebris illa Ἰωνικὴ ἀποικία, cujus historiam cum iis quæ antea acciderunt videtur confundere Velleius. Non enim Ione duce hæc in Asiam demigravit multitudo, sed Codri filio. Strab. lib. VIII. p. 383. distinguit historiam. 'Ionem, Xuthi filium, Athenis imperasse,' ait, 'circa hæc tempora, abundante hominum multitudine, Peloponnesum emissam Ionum coloniam, indeque Ægialeiæ nomen in Ioniæ appellationem transivisse. Post Heraclidarum reditum pulsos ab Achæis Iones redivisse Athenas, atque inde cum Codridis Ionicam coloniam in Asiam deduxisse, conditis ibi XII. urbibus, quot in Peloponneso antea obtinuerant.' Confer lib. XIV. pr. Hic consentit Pausanias Achaic. pr. Ælian. var. lib. VIII. 5. Plutarchus de Exil. Ammian. Marcell. XXVIII. Tertullian. de Pall. locis a Lipsio partim productis. Adde Cononis narrat. II. apud Photium n. CLXXXVI. p. 428. Scalig. animadv. Euseb. ad n. 975. Velleianum in tempore et personis errorem (nam Ion numero Eusebiano DCLXXXII. hæc Ionica emigratio n. DCCCCLXXV. memoratur) perstrinxit serio Lipsius: nec immerito. Quamdiu quidem hæc lectio retinebitur. Et de alia suspicari sine vestigiis librorum, anceps fuerit. Existimabam olim, loqui eum de duobus diversis temporibus, atque illud velle, ac fortean scripsisse; *Ionas, duce Ione, præfectos quondam Athenis, nobiliss. p. &c.* nunc nimirum *occupavisse*. Verum sic quoque difficultas ex historia superest. *Boecler.*

Ionia] Nomen ab Iavan deductum videtur: unde et Ἴδονες Homero.

Urbesque] *Tum* inseri debere Velleianæ scriptioni non statim dixerim; licet historia videatur postulare. De urbibus ipsis earumque conditoribus vide Strab. XIV. pr. et Stephan. de urbib. De Erythræ conditore disputat Meursius Lect. Attic. V. 8. *Boclerus.*

Myuntem, Erythram] Forte legendum est, *Myuntem, Teum, Erythram.* Neutiquam enim verisimile, *Teum* solam a Velleio omissam, contra auctoritatem Herodoti in I. Strabonis in XIV. Vitruvii lib. IV. 1. Æliani Var.

Hist. lib. VIII. 5: aliorumque. Gravius autem lapsus est vir eruditissimus, qui etiam *Chium*, et *Samum*, inseri voluit. Nam ecce illas statim seorsim reddit Velleius, quod non in continente, sed mari sint sitæ. Gratias interim eidem agendas censeo, quod apud Ælianum, citato loco, pro Λέσβος recte emendarit Λέσβιδες. Idem mendum sedet adhuc apud Harpocrationem in Ἰωνία χώρα. Corrigatur igitur. Hoc quoque fortasse operæ pretium sit monere, quod pro Ἄνδρος apud eum sit Ἀνδροκλῆς. Nec temere mutem. Urbs ea ita primitus dicta videtur ab Androclo Codri filio. Quamvis in diversum abire sciam Stephanum in Ἄνδρος. *Vossius.*

Et mox Æolii] Strabo aliter lib. XIII. Τετράσι γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς, διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους: *Traditum est Æolicam coloniam quatuor ætatibus Ionica priorem fuisse, et moras traxisse ac longius tempus.* De quibus moris etiam Velleius mox meminit. Vide Scalig. Animadv. Euseb. ad n. DCCCLXXV. *Boecler.*

Smyrnam] Variant de conditore. Vel certum ex Tacito Annal. lib. IV. 'At Smyrnæi,' ait, 'repetita vetustate, seu Tantalus Jove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset.' Adde Strabonem lib. XIV. *Schegk.*

Mitylenenque] Quæ inter pulcherrimas urbes Horatio numerata in Odis: 'Laudabunt alii pulcram Rhodon, aut Mitylenen.' Et Epistolis: 'Incolumi Rhodos et Mitylene pulcra facit, quod Pœnula solstitio, campestre nivalibus auris.' Et longo, apud Muretum Variarum lib. IX. 16: In qua tamen hoc mirum, 'auster cum flat, homines ægrotant; quum Corus, tussiunt; quum Septemtrio, restituuntur in salubritatem,' ait Vitruvius lib. I. De reliquis doctissimus Ortelius in illo laborioso opere Geographico. *Idem.*

Et alias urbes] Gruterus pro putide glossemate delet, *urbes quæ sunt.* Sed ad hunc modum multa in Velleio tollenda fuerint, quæ ut κρέων interim aliquam admittunt, ita medicinam nondum efflagitant. Ceterum de urbibus hic memoratis vid. Strab. XIII. Herodot. I. Stephanum περὶ πόλεων. Pro *Larissa*, *Antissam* prætulit vetus Codex. Ubi Sylburgius annotat, 'nullam reperiri in Ælide.' Sed haud dubie, ad Lesbum respexit, qui ita excripsit: Ἄντισσα πόλις Λέσβου, ἐφεξῆς τῷ Σιγρίῳ. Stephan. et Strabo XIII. *Boeclerus.*

CAP. 5. *Homeri*] Vel quia nemo poëta ante eum, vel quia nemo postea ad eum, id est, quia sine comparatione maximus, et cui nemisem adæques. In sëre volat hic Pegasus, ceteri pedibus pulsant terram. *Lipsius.*

Solus appellari Poëta meruit] Amo, amo te, Vellei, ob hæc judicia. Ille vero non summus solum poëtarum, sed solus. Nam quis aliorum non peccat? at iste μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἁγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν: *solus Poëtarum non ignorat quid factu scriptuque decorum sit.* Ita magnus Aristoteles censuit, quem Julius Scaliger cum ubique audiat, cur hic sprevit? Ille Aristotelem quasi Deum habuit, at hic Homerum. Alibi inquit: Θεοπέσιος Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους: *divinus Homerus præter ceteros.* Iterum: Λέξει καὶ διανοίᾳ πάντας ὑπερβέβηκε: *Dictione et sententia cunctos supergressus est.* Atque hæc ille vir, qui laudum et benignioris judicii valde parcus. Quid Plato? ille ipse qui civitate ejecit, cœlo ostendit dignum. Ὅμηρος, inquit, ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν: *Homerus optimus et divinissimus poëtarum:* et passim talia præconia in ejus scriptis. Alios quid cumulem? nemo tam consentienti judicio sapientum omnis ævi laudatus est: et id ab iis maxime, qui ipsi laudatissimi. Abi, igitur, Imperitia aut Livor. Tu

capere, tu carpere non potes 'immortalem hanc cœlestemque naturam.' *Idem. Solus appellari Poëta*] Adeundi Auctores ipsi: quorum aliquos (nam operæ pretium omnia certatim a veteribus congesta consectandi præconia) hic nominare labet. Ac vita quidem divini poëtæ Herodoto scriptore circumfertur. Plutarchi, qui e pluribus superat libellus, de arte ejus Poëtica potissimum disquirit. Adde Dion. Chrysost. Serm. LIII. Suid. in Ὅμηρος. Strabon. I. et passim. Quintilian. X. 1. Plin. VII. 29. Gyrald. Hist. Poët. Dialog. 2. *Boecler.*

Quod neque ante illum] Utrumque verum est. Nam et Homerus 'primus doctrinarum et antiquitatis parens:' nec post eum natus, qui germanitus exprimeret aut referret. Non ergo ipse Virgilius? Non, Velleio quidem judice: atque etiam acri illo Fabio; cujus hæc verba: 'In verbis, sententiis, figuris, humani ingenii modum excedit: ut magni viri sit virtutes ejus non æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi.' Et profecto ita est. Omnium rerum, omnium artium, omnis non prudentiæ solum sed sapientiæ vestigia, aut expressa aut recondita sunt in illo. Quem haud temere Themistius dixit, πρῶτόν τε καὶ ἀρχέγονον τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων: *primum parentem auctoremque Platonis et Aristotelis sermonum.* Et Dionysius: Κορυφὴν ἁπάντων καὶ σκοπὸν, ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα, καὶ πᾶσαι πρῶναι: *verticem omnium et quasi scopum, ex quo cuncta flumina, cuncta maria, cuncti fontes.* Sed diffundor in laudes viri quem fateor me non æstimare, sed venerari; nec venerari, sed pæne dicam adorare. *Lipsius.*

Archilochum] Qui vixit regnante Romulo. Cicero Tuscul. I. Olympiade nimirum VI. vel VIII. Herodoto tamen regnante Gyge; quod incidit in tempus Olympiadis XX. ni fallor. *Scheglius. Archilochum*] Archilochus ille præstantissimis poëtis, quoties in exemplum nominandi sunt, tum ab aliis, tum a Cicerone conjungitur, Orator. c. 1. 'In poëtis, non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos.' Id. 2. de finib. 4. *Boecler.*

Hic longius a temporibus belli] Omnia in hoc homine, sive (fas sit dicere) Genio, obscura: Parentes, Patria, Ætas ipsa. Sed de Ætate, certum antiquissimam esse: et Josephus contra Appionem asserit, 'Nullum omnino apud Græcos, de quo constet, scriptum extare, quod sit Homeri carminibus antiquius.' Crates et alii LXXX. circiter annis a bello Trojano removent; Aristoteles CXL. tempore nempe deductæ Ionum coloniæ. Herodotus CLXXIII. At Velleius noster inferiorem multo facit: et ex ejus computatione (tu si voles, numera: facile est) anni ad Homerum a Troja sint paullo plus CCLX. Quæ ipsa Latinorum plurium opinio est: expressa etiam in Agellio, sed nunc corrupta. Ille lib. XVII. in capite illo Chronico: 'Homerum ante Romam conditam vixisse Silviis Albæ regnantibus: annis post bellum Trojanum, ut Cassius in primo Annalium scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta; ante Romam autem conditam, ut Corn. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum et sexaginta.' Tu emenda: *Annis post bellum Trojanum plus ducentis atque sexaginta.* Nunquam aliter scripsit Cassius: et evincit ipsa Agellii inæquens scriptio. Nam ponit eum vixisse ante Romam conditam 'annis circiter centum atque sexaginta.' Atqui si prior ille numerus verus, ergo a Troja capta ad Romam natam fuerint modo anni CCCXX. Palam id falsum: et Chronologi consensu statuunt supra annos CCCCXXX. alii plus

sus. Eusebianum etiam Chronicon hic fodatum: facile emendatu ex his ipsis. *Lipsius. Hic longius a temporibus belli*] Si cui vacat aut curæ est talia indagare, edeat Herodot. et Plutarch. Suid. Gyrald. locis supra laudatis, et Gell. Noct. Att. XVII. 11. Scaliger. Animadv. Euseb. ad n. MCCCCXCVI. præsertim Lips. ad h. t. Interim ratio Velleii valde proba; cujus etiam opinioni facilius, quam cujusquam, hac in parte subscripserim, quippe quæ nec Gellio disconvenit multum, nec Ciceroni, qui in Bruto (c. 10.) inquit: 'Homeri etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum.' Id quod alibi etiam dixerat Tullius, sicut ex Augustin. XXII. d. C. D. 6. discimus. *Boeclerus. Hic longius a temporibus belli*] De ætate Homeri, et ad hunc locum, et alibi, viri docti satis multis egere. Non possum tamen, quin Plutarchi locum ex vita Homeri, qui eos hactenus torsit, proponam; in quo secundum ἀντιχρονισμὸν tandem tolli interest. Ait igitur de vate illo Mæonio: *παρὰ πλείστοις πεπίστευται μετὰ ἕτη ἑκατὸν τῶν Τρωϊκῶν γεγονέναι, οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπιάδων*, &c. *Plurimi credunt, ab Trojanis temporibus centum annos defuisse, non multo ante constitutionem Olympiadum*, &c. Quod sane ridiculum est. Nam a centesimo post Trojam captam anno ad constitutionem Olympiadum intersunt anni DCCVII. Puto igitur illud *οὐ* ab librario insertum, qui sciebat, secundum quorundam opinionem, Homerum centum modo annis Romæ conditu fuisse priorem. Inter quos fuisse Nepotem, constat ex Agellio lib. XVII. 21. *Vossius.*

1 *Quod sæpe illud usurpat*] Optime hanc lacunam supplevit Ursinus, hemistichio illo, quod ter in Iliade usurpat Homerus, Οἷοι *νῦν βροτοί εἰσι*. Expressit id Virgilius Æneid. XII. de saxo quod Turnus in Æneam torsit: 'Vix illud lecti bis sex cervice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus:' Hinc Juvenalis Sat. XV. 'Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero: Terra malos homines nunc educat atque pusillos.' Denique et huc respexit Plinius Nat. Hist. lib. VII. cap. 15. ubi ait: 'Cuncto mortalium generi minorem staturam in dies fieri, propemodum observatur.' *Idem.*

Hoc enim ut hominum] Paraphrasis ista est: cum Homerus dixit, *quales nunc sunt homines*, non staturæ modo et mensuræ in ipsis hominibus diversitatem notat, sed sæcula quoque antiquiora suo ævo quodammodo opponit, et ea, quam dixi, staturæ diversitate, tanquam charactere discriminat, alios et majores olim Troicis temporibus, homines fuisse, eo autem, quo Iliada suam scripsit, longe jam minores esse significans. Plin. VII. 16. 'Jam ante annos prope mille (observa hic obiter aliquid de ætate Poëtæ) vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium quam prisca conqueri.' Gellius III. 10. cum refutasset Herodotum, invento Orestis corpori VII. cubita longitudinis admensum, subjicit *ἀπαλαιστικῶς*: 'nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum; et nunc quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt.' Juvenalis Sat. XV. vs. 69. 'Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero,' &c. Versus enim superius citati sunt. De re ipsa testatur etiam Solinus Polyhist. edit. Camertis, v. Draudii, nr. Salmasii, I. capite: 'si de ipsis hominum formis requiramus, liquido manifestabitur, nihil de se antiquitatem mendaciter prædicasse, sed corruptam degeneri successione subolem nostri temporis per nascentium detrimenta decus veteris proceritudinis perdidisse.' Paulo post: 'Quis enim jam isto ævo non minor parentibus suis nascitur?' &c. Addenda quæ a

laudatis modo Editoribus annotata sunt: item Hug. Grot. ad lib. I. de Ver. Chr. Rel. p. 19. Ludovic. Viv. ad Augustin. de C. D. XV. 9. Interpr. Virgil. ad illud XII. Æn. 'Qualia nunc hominum producit corpora tellus:' Bernegg. p. m. Quæst. in Germ. Tac. XIV. 'an ab ævo in ævum statura hominum minuatur?' Id. q. 18. Qua occasione plerique, quos laudavi, de Gigantibus disquirant, eosque fuisse omnino confirmant. *Beecler.*

Cæcum genitum putat] Non negat Noster cæcum fuisse (sicut existimat Gyraldus), sed cæcum genitum esse. Tantam enim rerum omnium peritiam, et ostensa in toto opere rerum oculis usurpatarum vestigia, imo specimina, non convenire ei, qui ab utero matris cæcus prodiit, omnes intelligunt. Ceterum sicut manifeste falsum et confictum est, cæcum natum: ita quod cæcus postea factus sit, tradit quidem Herodotus et alii; sed certitudo ejus asseverationis duabus rationibus infirmari potest. Primo enim, quod dicitur, ideo pro Melesigene, Homerum vocitatum, quod Cumæorum lingua *Homerus* cæcum notaret, in dubium vocatur eorum auctoritate, qui alias, atque, ut videtur, magis probabiles ejus appellationis causas adferunt. Vid. Suid. et Gyrald. Hist. Poët. Dialog. II. Deinde, non congruit hæc illata cæcitas, cum eo, quod sub fide historica videtur Suidas tradere: figmentum istud congenitæ cæcitatis inde originem traxisse, quod Homerus cupiditatis, cujus illecebræ oculis primo omnium insinuantur, sive quæ per oculos in animum ingreditur, per omnem vitam victor extiterit. Quanquam aliis alias placuit hujus fictionis interpretationes excogitare, de quibus Gyrald. loco, quem prædiximus. *Idem.*

CAP. 6. *Annis* MLXX.] Justin. I. 2. 13. annos mille trecentos assignat: Diodorus Sic. lib. II. amplius cIↃ CCCC.: Georg. Monachus cIↃCCCLX. Euseb. (n. 1197.) cIↃ CCXL.: unde Lipsius existimat in Velleio rescribendum MCCXXX. adde Annium comment. ad Metasthenem: et vide omnino, quæ Scaliger notavit ad Euseb. l. modo nominat. et Schubert. de scrupul. Chronolog. lib. II. c. 4. et 5. *Idem.*

Abhinc annos ferme DCCLXX.] Ergone hoc gestum post Romam conditam? non, ex ipso Velleio et temporum textu. Adde omnino centenariam notam, et scribe DCCCLXX. *Lipsius.* *Abhinc annos ferme* DCCLXX] In supputandis temporibus subinde Velleius ad annum consulatus M. Vinicii, cui suum opus inscripsit, tanquam ad solennem terminum decurrit. Est autem is U. C. DCCXXCIII. Tiberiani Principatus XVI. quod, vel ex Onuphrii Panvin. Comment. in lib. II. Fast. semel hic notasse, sufficiat. *Beeclerus.*

Sardanapalum] Eusebii codices Mss. hunc *Sardanapallum* vocant, ut observat magnus Scaliger, qui putat, hoc nomen in obscenam notam a Græcis detortum. Nam σαλλὸς idem quod φαλλός. Quó sine dubio respexit Tullius III. de Rep. 'Sardanapallus ille vitiis multo, quam ipso nomine deformior.' Unde et Pseudantoninus Σαρδανάπαλλος dictus, ut est apud Dionem in excerptis lib. LXXIX. apud Constantinum Porphyrogennetam. Invenio etiam apud Hesychium, Σαρδανάπαλα, ἀλλοῖα. Ubi restituendum arbitror, *ἀδοῖα*. Sed nihil in Velleio mutandum. Pro vulgata lectione stant Strabo, Diodorus, aliique vetusti historici. Et, ut recte idem Scaliger monet, *Sardanapalus* est Assyriacum שרדן־פל *Sardan-pal:* posteriorque vocula legitur etiam in nomine regis *Teglath-phal-Esar.* Vossius. *Sardanapalum*] Historiam hanc tradunt Justin. I. 3. et iisdem verbis Sarisber. in Policrat. VI. 14. Diodor. Sic. II. Oros. I. 19. Athen. lib. XII. (ubi et epitaphium ejus, quod exagitat cum

Aristotele Cicero Tuscul. v. 35. et Augustin. II. C. D. 20. ubi Ludov. Viv.) Suid. in voc. σαρδανα. Euseb. n. MCLXXXIV. *Boecler.*

Mollitiis fluentem] Manutius *florentem*. 'Fluere facetiis, jocis,' Plauto: 'mollitia,' 'luxu,' Ciceroni, Terentio: 'Asiatico ornatu adfluere' veteri Poëtæ usitatum. De hoc Justinus ait, quod fuerit, 'vir muliere corruptior. Ad hunc videndum præfectus ipsius, Medis præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset; invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem; et muliebri habitu, cum mollitia corporis et oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem.' Tricesimum a Nino numerat Diodorus lib. II. De Semiramide, quo astu ad regnum pervenerit eleganter Muretus in Variis. *Schegkius.*

Nimium felicem malo suo] Sic est: felicitas passim optatur voto non uno: at eam nactis, ipsa fere insusurrat: 'Hilic homo, a me sibi malam rem arcessit, jumento suo.' De qua re nos plura ad verba Galbæ lib. I. Hist. Tacit. cap. 15. 'Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant; quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.' *Gruterus.*

Tertio et tricesimo loco] Diodoro Siculo est, *Tricesimo loco* saltem: at Eusebio, *Tricesimo sexto*. Quin miremur varietatem hanc in re locis temporibusque remota? Sane res Syriaticæ parum perspecte cognitæ Græcis Latinisve. *Lipsius.*

Pharnaces Medus] Strabo, Diodorus, Athenæus, aliique Græci, hunc Arbacem nominant. Quomodo etiam in multis Justini codicibus legere est. Nam alii habent, *Arbactus*. Movet Orosius lib. II. cap. 2. ut neutrum damnem. Cæterum apud Velleium, cum viris eruditis malim rescribere, *Arbaces*. [Ita et Sidon. Carm. IX. vs. 24. 'Non Medus caput Arbacem profabor.'] Sed reclamat Ursinus, et ex historia, nummisque Græcis, scribendum censet, *Arsaces*. Quod historicorum fidem advocet, nullius duco, cum solum apud Tzetzem, ac quosdam seqnioris ævi scriptores, ita id nominis scriptum invenias. Majoris videatur, quod nummos Græcos advocet. Sed quid hi ad Medos, eoque præsertim tempore quo Mediam Græci nunquam intraverant? Non dubito itaque, quin nummi, quorum auctoritate est subnixus, non hunc, sed posterioris seculi *Arsacen*, indicent. Obiter addo, hunc a Suida in Sardanapalo Perseum appellari. Num ait: οὗτος ἐκφύγη ὑπὸ Περσέως. Sed locum mendosum esse arbitror, nec aliter puto judicabit, qui eundem in Arbace consuluerit. Forte autem scribendum, Βελέσεως. Hic, ut Diodorus aliique testantur, adjutor fuit Arbacis in omni hoc negotio. Viderint alii. *Vossius.*

Lycurgus] De Lycurgi genere, claritudine, legibus adi Plut. Lycurg. Herodot. I. Strabon. VIII. et X. Xenophont. de Rep. Lacedæm. Pausan. Lacon. Justin. III. 2. et 3. Sarisber. Policrat. IV. 3. Cicero sæpe laudat: qui et ætatem ejus Tuscul. lib. V. 3. Homeri temporibus congruere existimat. Verum in ea quæstione consulendus Scaliger Animadv. Euseb. ad n. MCXXXII. *Boecler.*

Vir generis regii] Ita. Nam ab Aristodemi filio Procle originem duxit, qui rex et posteri ejus Spartæ. Suidam corrige: Λυκοῦργος Σπαρτιάτης Πατροκλέους ἀπόγονος. Imo Προκλέους. Idem error in Plutarchi Lycurgo, ubi stirpem hanc inquirit: Ἀλλὰ Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου γενέσθαι λόγον iterum Προκλέους. Sed et in Platone hoc mendum de Legib. III. Καὶ βασιλεὺς μὲν Ἄργους Τήμενος ἐγίγνετο. Λακεδαίμονος δὲ Πατροκλῆς καὶ Εὐρυσθένης. Tolle, tolle. Nam certum ex Apollodoro, Pausania, Scholiaste Pindari, aliisque, Procles ei fuisse

verum nomen. *Æmilius Probus* in Agesilao: 'Mos est Lacedæmoniis traditus, ut duos semper reges haberent ex duabus familiis Proclis et Eurysthenis, qui Principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuere.' Cur autem duo simul, caussa sive occasio a Panegyrico scriptore promitur, ad Maximianum: 'Sic fit ut tantum vobis imperium commune sit, et plane, ut gemini illi reges Lacedæmone Heraclidæ, Rempubl. pari sorte teneatis. Quanquam hoc vos meliores et justiores, quod illos mater astu coëgit, cum nemini fateretur, quem prius edidisset in lucem, pari ætatis auctoritate regnare: vos hoc sponte facitis.' *Lipsius.*

Convenientissimæ] Tria hic corriguntur a viris doctis: quidam postremam voculam, ob inamœnam repetitionem, delent; ut sensus sit: *Lycurgum justissimarum legum et disciplinæ convenientissimæ auctorem fuisse.* Alii (Lipsius sc. cujus auctoritatem sequitur Gruterus) eundem sensum ita determinant, ut inflexione ultimæ vocis, *disciplinæ viris convenientissimæ*, auctorem faciant Lycurgum. Nonnulli *convenientissimam* disciplinam in *continentissimam* mutant; quæ vox haud dubie minus convenit stilo et menti scriptoris. Sicut et media correctio quæsivisse potius acumen quam invenisse videtur. Prima omnium videtur optima, propter id quod sequitur. Nam illa verba, 'cujus quamdiu Sparta diligens fuit,' profecto simplicius et melius ad disciplinam reip. a Lycurgo institutam, quam ad *virum*, id est, disciplinæ auctorem retuleris. Quod si autem omnino retinendum sit illud *vir*, malim connectere cum sequentibus, quam eum antecedentibus: *vir, cujus q. S. &c.* quæ Acidalii quoque opinio fuit. Nondum enim adducor ut credam, hic potius de moribus et vita, adeoque privata Lycurgi disciplina, quam, de convenientissima civitatis, quam condidit, disciplina sermonem esset. *Boeclerus.*

Quamdiu Sparta diligens] 'Fuit hæc gens fortis (inquit Cicero Tuscul. I. 42.) dum Lycurgi leges vigebant:' et cap. seq. 'Magnam habet vim reip. disciplina.' Sane magnam; ad decus et robur, et, ut homines amant loqui de paulo serius perituris, ad æternitatem imperii statusque. Idcirco plane ad mentem Velleii Nostri Polybius Histor. VI. cum institutam Spartæ a Lycurgo disciplinam judicio politico pensitasset laudassetque, addit: *Διόπερ οὕτω καὶ διὰ τούτων συστησάμενος πολιτείαν, βεβαίαν μὲν τῇ καὶ συμπάσῃ Λακωνικῇ παρεσκεύασε τὴν ἀσφάλειαν· πολυχρόνιον δὲ τοῖς Σπαρτιάταις αὐτοῖς ἀπέλιπε τὴν ἐλευθερίαν*: Quum igitur (versionem Casauboni adscribo) *hoc modo et rationibus hisce civitatem fundasset, tum Laconicæ universæ securitatem firmam paravit: tum Spartanis ipsis libertatem diuturnam reliquit.* Tempus autem harum legum pariter et illius floris, de quo Noster, ac celebritatis Livius XXXVIII. 34. octingentorum annorum facit; alii 700. quidam 500. numerant. vid. Nicol. Crag. de Rep. Laced. I. 4. Pertinent huc, et quidem cum excellentia singularis exempli, quæ Guicciardinus prudens scriptor lib. II. de forma ac disciplina reip. Veneta disserit, cujus opes et firmitatem non aliunde, quam ex tam præclaris institutis, provenisse ostendit. Quid interim in Spartanorum repub. desiderarint Magni quidem viri, notum est. Arist. pol. II. 7. Polyb. Hist. VI. Cic. off. I. 19. *Boeclerus.*

Ante annos] Hic plurimum variant auctores: quidam ante Trojam captam conditam volunt, inter quos Philistus apud Eusebium, et Appianus: quidam post captam Trojam, antequam Roma conderetur. Neque hi in numero annorum consentiunt. Paterculus annos quinque et LX. ante Romam. Livii epitoma lib. II. an-

pas. DCC. stetisse Carthaginem refert: eversa autem est anno urbis DCVII. Fuerat ergo ante urbem conditam annos XCIII. Solin. cap. 30. annos DCCXXXVII. vel, ut in veteri codice Vineti legitur, DCLXXVII. Eusebius venisse in potestatem Romanorum anno a conditione sui DCLXXIII. (ita est in Ms.) vel ut alii affirmant DCCXLVIII. Prior numerus uno anno plus habet quam Paterculi ratio. M. Cicero de Republ. I. 'Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos, sine consiliis et disciplina.' Consulendus et Scaliger Animadv. Euseb. ad annum MCLXVII. et MDCCCLXXI. maxime vero canonibus Isagogicis. *Bongars.* ad Justin. *Ante annos*] Fabricius et Bongarsius pleraque adducunt: sed adducant, non conciliant; nec ego. Non longe abest a nostro Justinus, qui LXX. annos ante urbem conditam tradit; cui Appianum subscribere vir doctus ad Florum notat, hallucinatione manifesta, immo sibi ipsi contrarius Appianus. Ecce in limine Punici, L. ante Ilium captam annis conditam Carthaginem: et, paucis interjectis, septingentesimo anno a Carthagine condita Romanos eis abstulisse Siciliam narrat. Jam Siciliam in Romanorum potestatem venisse DXII. ab U. C. et a Troja capta ad U. C. interesse annos CDXXXII. scimus. Asside pulverem eruditum, et puta, nunquam constabit ratio. Cassiodorus initia ejus ad Latini Silvii tempora, hoc est, annum a Troja capta CVII. refert. Timæus apud Dionysium XXXVIII. annos ante Olympiadem primam; quod incidit in annum a Troja capta CCCLXXI. Cum Justino congruit traditio Catonis apud Servium, in illud magni vatis, 'At puer Ascanius:' Et idem ad hoc: 'Vellleribus niveis et festa fronde revinctus.' 'Quod de Didone,' inquit; 'et Æneæ dicitur, falsum est; constat enim Æneam trecentis quadraginta annis ante ædificationem Romæ venisse ad Italiam, quam Carthago non nisi XL. annis ante ædificationem Romæ constructa sit.' *Schegk.*

Quam quidam Dido] Solemnis fere adjectio auctoribus Latinis: cujus ratio Servio proposita in illud: 'Imperium Dido Tyria regit urbe profecta:' 'Dido,' inquit, 'vero nomine Elissa antea dicta est, sed post interitum a Pœnis Dido adpellata fuit, id est, virago, Punica lingua: quod cum a suis civibus cogeretur cuidam de Afris regibus nubere, et prioris mariti amore teneretur, forti se animo interfecerit, et in pyram injecerit, quam se ad expiandos prioris mariti manes extruxisse fingebat.' Hactenus Servius: non ille vulgo vulgatus, ne quid erres, sed doctissimi et humanissimi Fr. Modii. *Idem. Dido*] Carthaginis conditrix et regina, rogo matrimonium secundum dedit, teste Tertull. ad apologet. finem. Et lib. de Monogam. Regina Carthaginis profuga, et in alieno solo et tantæ civitatis cum maxime formatrix, cum regis nuptias ultro optare debuisset, ne tamen secundas experiretur, maluit uri quam nubere. Fabulas itaque de ea texuit et Virgil. Æneid. lib. IV. Didonis nomen verum fuit אלישה *Elissa*, id est, Dei mulier, heroina: mulierum præstantissima, *Dido*, דידה est ὑποκοριστικὸν nutricum. Ejus masculinum est דוד Servius F. Modii: 'Dido vero nomine Elissa antea dicta est; sed post interitum a Pœnis Dido appellata fuit, id est, virago, Punica lingua.' Certe Punica lingua tunc pene erat Hebraica. In Hebraismo autem Dido nihil tale significat. Sed Græci et Latini de peregrino sermone satis multa præpostere comminiscuntur. Hæc eruditiss. *Scaliger.*

Coranus] Editio princeps, *Torannus*, quod poterat esse, *Corannus*. Hesychius: Κόρανος βασιλεὺς Μακεδονίας. Sed existimo, Hesychium in vitiosos codices incidisse. Nam ne aliquid metemus in illo, ordo literarum, ne in

Velleio, ceterorum consensus prohibet. *Vossius. Caranus vir generis regii*] Iterumne hoc commation, *vir generis regii?* Atqui paullo ante præivit de Lycurgo. Censeo hic inepte insitum, deletor. Quid si nec e regibus Caranus? non legi: sed hoc tantum, Κάρανος εἷς τῶν ἡρακλειδῶν: *Caranus unus ex Herculis posteris.* Ita Suidas. Vide et Solinum cap. 15. et Pausaniam lib. IX. extremo: et diffuse Justinum lib. VII. *Lipsius. Caranus vir generis regii*] Lipsius et Gruterus delent illa, *vir generis regii.* Mihi sustinere assensum hic lubet: qui sciam, repetitiones eorundem verborum, quas alii vitant, Velleio non familiares modo, sed assiduas esse. Et quod de genere regio tradit Noster, nec verisimilitudine caret, in Temnida, et refutari certa ratione nequit. *Boeclerus.*

Sextus decimus] Scaliger Animadv. Euseb. ad num. MCC. III. 'Caranus Heraclida undecimus ab Hercule, septimus a Temeno.' *Idem.*

Regnum Macedoniæ] Vid. Justin. VII. 1. Solin. polyhist. ubi de Macedon. agit. *Idem.*

Septimus decimus] Vide iterum varietatem, et ride. *Duodecimus* est Justino: *vigesimus quartus* Eusebio. Jam in tota summa quam differunt? Justinus *triginta* modo reges ad Persea Philippi F. numerat: Eusebius *quadraginta*: Livius non nisi *viginti*. Ideo male curiosi illi, qui hic ex Justino Velleium corrigunt. *Lipsius. Septimus decimus*] Reineccius (in regni Maced.) *vigesimum secundum* reg. Maced. sumto a Carano initio facit. Si de successione stirpis velis carpere Velleium, facilius *decimumquartum*, quam *decim. sept.* numerabis Alexandrum. Adde Freinsh. Curt. Comment. prolegom. cap. 5. *Boeclerus.*

Materni generis Achille auctore] Nam Alexander per Olympiam genus ad Neoptolemum referebat. Auctor Plutarchus. Hoc aspectu sequentes quoque Macedonum reges Achillidarum gentis jactarunt: ut Philippus filio patri Persis, cui bellum Romani fecere. Silius: 'Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Æacidum sceptris, proavoque tumebat Achille.' Et ita interpretandi Propertiani isti versus: 'Et Persen proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavus fregit Achille domos.' Interpretandi? imo et corrigendi. Nam in vett. scriptisque libris reperio, *stimulantem.* Bene, si amplius etiam emendes, *proavo*, et *Achille.* Ordo et sententia verborum hæc est: Testor Persen, qui stimulabat excitabatque se ad magna, proavo Achille; sive memoria rebusque gestis Achillis. Omnino hæc sententia. Vulgata frivola aut falsa. Quomodo Perses simulaverit pectus magnanimi herois, qui ipse palam timidissimus et ignavissimus hominum? Res gestæ atque exitus ejus leguntor. *Lipsius. Materni generis Achille auctore*] Diodor. XVII. pr. Ἀλέξανδρος γεγονὼς κατὰ πατέρα μὲν ἀφ' Ἡρακλέους, κατὰ δὲ μητέρα, τῶν Αἰακιδῶν, &c. Plutarch. Alex. Arrianus II. Pausan. Attic. Curt. IV. 2. 3. It. IV. 6. 29. VIII. 4. 26. Oros. III. 12. Julian. Cæs. *Boeclerus.*

Æmilius Sura] Hoc totum, usque ad illud, *Inter hoc tempus, et initium Nisi, &c.* tollendum esse putat Petrus Delbenius, acerrimi judicii, summæque doctrinæ adolescens. Putat autem additum esse ex glossemate alicujus studiosi, qui ad illud, *Qui princeps rer. potitus*, in margine annotarit, Æmilium Suram eodem ioquendi genere usum esse, nam in ejus verbis hæc leguntur: 'Assyrii, principes omnium gentium, rer. potiti sunt.' *Manutius. Æmilius Sura*] Quis iste Æmilius Sura? Non repperi. Hoc tantum, in Plinii Indicibus aliquoties laudari *Mæcilium Suram.* An illum teneas, an hunc substituas, tu vide. *Lipsius. Æmilius Sura*] Consentiunt viri docti hoc glossæmentum esse, et

in margine forte libri ab antiquario aliquo adscriptum, postea a librariis ea temeritate, cujus passim exempla obvia sunt, receptum, nisi quod Scaligero videbatur, in partem contextus venire posse, si post illa poneretur: ‘Pharn. Medus imperio vitaque privavit.’ Quæ conjectura, sicut argumento non disconvenit, ita scripturæ modus et connexio ceteræ narrationis nihil tale agnoscit. Si enim quod sequitur; ‘ea ætate Cl. G. n. Lycurg.’ &c. ad istud tempus, quo summa imperii ad populum Roman. pervenit, referas, manifeste erit falsum: si, quod omnino faciendum est, ad Sardanapali interitum recurras, qualis erit verborum, interrupta per insolentem interpositionem serie, connexio? Quare nihil hic ambigendum arbitror. De ipso auctore nihil admodum constat. Plinio laudatur *Manlius* aut *Manilius Sura*, sed hic *Æmilium* retinere codicum consensus jubet. V. G. J. Vossii III. de Lat. Histor. part. post. *Boeclerus.*

Inter hoc tempus] Caute lege. Quod hoc tempus? an Velleianum, uti solet numerare? minime; sed hoc, quo summa rerum, victis Macedonibus et Antiocho, pervenit ad Romanos. Ab eo inquam tempore sursum computando ad Ninum, tot sunt anni. Nisi observas; numeri nimis falsi. *Lipsius.* *Inter hoc tempus*] Ita quidem Rhenani editio, quam plerique sequuntur, hæc verba Velleianis accensuit, cum priora, *Æmilii Suræ*, inclusisset uncis. Sed neque hæc Velleii esse, quin potius laciniam glossæ prioris, recte Lipsius notavit; id quod ex sequentibus clare apparet. Ad rem ipsam quod attinet, satis notum est Græcorum Chronica et Historicos Assyriis et Nino principem locum semper tribuere, licet non primus, sed tertius Assyriorum rex fuerit. Vid. not. Bongars. ad Justin. I. 1. 4. d. et Franc. Fabric. ad Oros. I. 4. *Boecler.*

Principe] Cæsar, ‘Quæ pars civitatis Helvetiæ insignem pop. Rom. cladem intulerat, ea princeps pœnas persolvit.’ De hac voce in principio auctor de Origine urbis ab elegantissimo Schotto editus. *Scheglius.*

CAP. 7. *Hujus temporibus æqualis*] Hic demum, post insulta aliena verba, Velleianum textum, et novum caput, redauspicari oportebat, nam ad Carani tempus Hesiodi refert Noster. Atque ‘ista ipsa conjunctio temporum suggerit (inquit Lipsius) totum illud Æmilianum insititium esse, et ab alio quam Velleio adtextum.’ *Boecler.*

Circa CXX. *annos*] Cicero, de Senectute, Homerum multis sæculis fuisse ante Hesiodum significat. Dio tamen Chrysostomus in secunda oratione de Regno æquales facit. Gellius neutrum affirmat, sed potius in dubium vocat, lib. III. 11. Et lib. XVII. 21. ‘De Homero,’ inquit, ‘et Hesiodo, inter omnes fere scriptores constitit, ætatem eos egisse vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem.’ Plutarch. in Παραμ. perspicue posteriorem Homero Hesiodum facit. ‘Ο δὲ, inquit, de Homero jam locutus, *μετὰ τοῦτον καὶ τῇ δόξῃ καὶ τῷ χρόνῳ* Ἡσίοδος. Vide et Tzetzen in Lycophronis Cassandram. *Manut.* *Circa* CXX. *annos*] Cum Nostro consentit Eusebius, qui n. MCCX. Carani temporibus coævum tradit. Lipsius (cum Scaligero Poët. I. 5.) iis accedit qui Hesiodum antiquiorem Homero statuunt; ‘eo quod major simplicitas et quasi rudior antiquitas in Hesiodo appareat.’ Quæ ratio occasionem suppeditat Criticis eruditæ inter utriusque stilum comparationis instituendæ. *Boecler.*

Mollissima dulcedine] Suavitatem capio stili et lenitatem. Ita Dionysius: Ἡσίοδος *μὲν γὰρ ἐφράντισεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος, καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς.* Quem secutus Fabius Instit. Orat. X. 1. ‘lenitatem verborum et compositionis probabilis’ in hoc

poëta laudat, ' darique ei palmam' testatur ' in illo medio genere dicendi.' *Idem.*

Vitavit] Hoc tanquam abundans delet Vossius.

Ne in id, quod Homerus] Sc. ut patria ejus ignoraretur. Notus est Ciceronis locus Orat. pro Archia c. 9. ' Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt. Smyrnæi vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt.' Porro, ' cur Homerus patriam genusque ad posteros non prodiderit,' vide apud Heliodor. Æthiop. lib. III. c. 8. f. *Boecler.*

Patriamque et parentes] Exstant hodieque ii versus male amici in natale solum: in ἔργ. Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος, ὄξυρρῃ ἐνὶ κώμῃ, Ἄσπρῃ, χείμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῳ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ. *Lips.*

Patriamque et parentes] Adde Suid. voc. Ὅμηρ. Gyrald. Hist. Poët. Dial. I. *Boecler.*

A Tuscis Capuam, Nolamque] De Capua condita variæ sententiæ, et alibi promptæ: nec libet exsequi. De Nola, ab ' Iapygibus conditam' eam Justinus ait: at Solinus cap. 8. a Tyriis. Quod Solinianum jure miratus sum: nam quæ alia opida, in Italiæ eo tractu, Tyrii condiderunt? Nos non legimus, et fidenter rescribimus, a *Tyrrhenis;* ut consentiat cum Velleiana traditione; aut si forte, *Thuriis.* Sane et Polybius ' Tyrrhenos habitasse' ait ' Phlegræos campos, qui circa Capuam et Nolam sunt.' *Lipsius.*

Capuam] Unde *Oscella* dicta. ' Capua (inquit Florus lib. I. 16.) et ipsa caput urbium, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque, numerata.' Nominis ratio ambigua scriptoribus. Livius lib. IV. ' Volturnum Hetruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capy, vel, quod propius vero est, a campestri agro (idem Plinio visum III. 4.) adpellatam.' Suetonius, Cæsare; Dionysius, Strabo, a Capy; quorum opinio magis ex argumento agit: Silius lib. II. ' Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris.' *Schegk.*

DCCCXXX.] Videndus Scaliger ad Euseb. num. MDLXXX. *Boeclerus.*

Diligentiæ] In quibusdam codicibus male, *diligentis.*

Tum mature tantum urbem] Habet hoc argumentum vere πραγματικὴν ἐπίστασιν. Solent enim Urbes tardo profectu ad magnitudinem quandam eniti: atque licet ἀκμὴ sæpe brevis sit, παρακμὴ plerunque celerrimo relapsu ad exitum contendat, magnum tamen momentum temporis in resurgendo statui debet. Difficulter resurgunt dejecta, dum velut de integro arduam crescendi viam auspicantur. *Boeclerus.*

CAP. 8. *Et ad excitandum*] Aldus: *Et ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum O. i. h. auctore Iphito Elio.* De Olympiorum ludorum, et mercatus (exemplo quorum Imperatores postea Agonem Capitolinum instituerunt) origine, restauratione, auctore, qui varius narratur, solemnibus accurate Eliacorum priorum Pausanias, et Bened. Pererius Societatis Jesu in principiis Naturalibus. *Schegkius.*

Olympiorum] Hæc est illa celebris periodus Iphiti Olympica, qua agonem a Pelope institutum, ab Atreo et Hercule repetitum, deinde rursum posteriorum negligentia omissum Iphitus Praxonidæ filius post annos CCCC. (ut rotunde loquamur) restauravit. Ut ad hunc temporum characterem, et per eam ad tempus Romæ conditæ Noster liquida designatione perveniret, pleraque huic notitiæ inservientia hactenus vestigavit. Hoc initium est veteris, certe distinctioris, apud scriptores historiæ.

Ὅτι οὖδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, teste Justin. Martyre parum. ad gent. cui consonat quod apud Euseb. Chron. II. n. 1240. legitur: ' Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur. Nam ante hæc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt.' Ad quem locum vide quæ Joseph. Scaliger notavit. Item lib. I. De emend. temp. de periodo Olympica, et lib. V. De Initio Olympiadum. Juvabit etiam inspexisse, quæ parens Josephi Julius disserit, Poëtic. I. 24. et Calvis. Isag. Chronol. XXXIX. Pontan. Philocal. X. 28. Camers ad Solin. I. Nicol. epiphil. IV. 21. Cœl. Rhodigin. antiq. VII. lect. 38. præsertim ex antiquis, præter Solinum, Strabo lib. VIII. Phlegon Trallianus in fragm. de Olympiis, Pausan. Eliac. I. *Boecler.*

Iphitum Elium] Vulgo, *Iphito Elio. Iphitum Elium*] Varia super origine nobilium ludorum dicta scriptaque sunt: sed nemo tamen initium ad Iphitum hunc retulit, dumtaxat instaurationem. Atque adeo a primo initio ad hujus tempus sunt anni circiter CDXXX. Non ergo putamus Velleium παραλόγως ita sensisse sive scripsisse. In primogenita editione est: *auctorem Iphitum Elium*. Hinc lego, *Certamen Olympiorum initum, habuit auctorem Iphitum Elium*. Tunc noviter, inquit, initum, longo scilicet post institutionem intervallo. Ipse certe statim adjungit, et fatetur ab Atreo eos primitus institutos. *Lipsius. Iphitum Elium*] Ante omnia hujus scripturæ ratio est reddenda: quæque de caussa in textum a nobis recepta sit. Cum enim prima editio expresse præferret, *habuit auctorem Iphitum Elium* (ex qua Aldus fecerat *initium habuit auctore Iphito Elio*) dubitandum non erat, quin Lipsiana lectio, quam expressimus, retinens casum primigenii codicis, neque quidquam admodum mutans aut interponens, tum ceteris melior esset, tum Acidalii conjectura, *initium habuit et auctorem Iphit. El.* Non negaverim tamen, hanc posteriorem lectionem plerisque expeditiorem videri posse. *Boecler.* *Iphitum Elium*] Olim voluisse alios Linum Olympiadum auctorem esse, docemur his Theophili verbis e lib. III. ad Antolycum: παρὰ δὲ Ῥωμαίοις Σατοῦρνος ἀνομάζεται, οὐδὲ γὰρ αὐτοὶ γινώσκουσιν τίς ἐστιν αὐτῶν πρότερον, ὁ Κρόνος, ἢ ὁ Βήλ. Ὅση μὲν οὖν ἀρχὴ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀπὸ Εἰφίτου φασὶν ἴσχυκε τὴν θρησκείαν, κατὰ δέ τινας ἀπὸ Λίνου, ὃς καὶ Ἴλιος ἐπεκλήθη. Interpres Conradus Clauserus hæc ita vertit: *A Romanis Saturnus appellatur, qui nec ipsi antis novere, Saturnusne, quem colunt, sit Cronus, an sit Belus. Si quis respiciat Olympiadum initium, facile assequitur, Cronum ab Iphito primitus cœptum coli. Sunt qui perhibent, a Lino introductum esse cultum, qui defertur Crono, qui et cognomen Ilii nactus est.* Quam inepta, et insulsa hæc sint, nemo sanus non videt. Nos pro his verbis, ὁ Βήλ. Ὅση μὲν οὖν, &c. nulla quasi mutatione legimus, ὁ Βῆλος. Ἡ μὲν οὖν, &c. Jam enim ante dixerat Theophilus, Belum ac Saturnum coævos fuisse, ac ex Thallo docuerat, eos annis vixisse ante bellum Trojanum CCCXXII. Quod ex Theophili hoc loco ostendit etiam Lactantius lib. I. cap. ultimo. Ita igitur hunc Theophili locum vertes: *A Romanis Saturnus appellatur. Neque enim ipsi norunt, uter eorum prius extiterit, Saturnus, an Belus. Initium igitur Olympiadum ab Iphito, ut aiunt, habuit observationem: juxta alios vero a Lino, qui Ilius cognominatus est.* Redit enim hic Theophilus ad Olympiadum institutionem, quo priora omnia confirmet. *Vossius.*

Mercatumque] Mercatus Olympici meminit etiam Justinus, lib. XIII. ' Quæ (epistolæ) recitatæ in mercatu Olympico magnos motus fecerunt.' *Mercatus* autem est, quem Strabo (ut recte notavit Lipsius) lib. VIII. περὶ

γυρω vocavit. Hinc Philoxenus in Glossis, *Nundinarum*, ἑορτῶν, πανηγύρεων. Quo spectat, quod nundinæ et festa olim fere inciderint in idem tempus. De quo vide disserentem Macrobium lib. I. Saturn. cap. 16. *Vossius.*

Instituit] An potius *restituit?* Tamen fero etiam *Instituit*, nempe perpetuos istos et certa quadam lege. Potest et institutio ad Mercatum referri, quasi non is antea. Sic autem appellat, quod Græci πανήγυριν. Strabo de templo Olympiæ, lib. VIII. Τὴν αὔξησιν ἔλαβε διά τε τὴν πανήγυριν, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιακόν. *Lipsius.*

DCCCIV.] Aliter DCCCCIV. Atqui prima Olympias Iphitæa præcedit dumtaxat natalem urbis (ex Velleii mox sententia) annis XXII. Sunt autem ab illo ad consulatum Vinicii anni DCCCLXXXII. Itaque clarum est, scribi debere, DCCCIV. detracta centenaria nota. *Lipsius.* DCCCXXII.] Ita vulgati. Manutius DCCCCIV. etiam non recte. Rescribe, DCCCIV. Vinicius enim consul anno U. C. DCLXXXII. et Roma condita Olympiade sexta. Exinde res gestas veritatis fidem mereri Varro apud Censorinum cap. 21. docet: locum supra citatum vide cap. 2. *Schegkius.*

Abhinc annos ferme] Ergo aliter paullo, et laxius quam alii, Velleius putat. Nam Clemens Alexandrinus a ludis primis ad Iphitæos spatium facit CDXXXVII. annorum: Eusebius, Bedas, alii, CDXXX. Atqui ex hac Velleiana summa necessum est fuisse CDXLVI. Malim certe hic scribere, ∞. CCXL. ut minus paullo exorbitet. *Lipsius.*

Atreus cum Pelopi fratri] Rara aut nova hæc sententia, ut multa nobis in Velleio. Nam plerique alii non ad Atreum, sed ad Herculem, gloriam hanc referunt: quia, ut ille inquit, 'quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus.' Atqui Velleius vult Herculem dumtaxat hic certasse, nec ἀγωνοθέτην fuisse, sed ἀγωνιστήν. Illud etiam alibi reperio, ludos hos factos in honorem Pelopis defuncti, et fuisse funebres. Clemens Ad Gentes: 'Pisa autem vobis, o Græci, est sepulchrum aurigæ Phrygis, et Pelopis inferiæ.' Ipse Apollodorus, qui Herculem auctorem facit, tamen Pelopis aram exstructam hic agnoscit, grande argumentum pro sententia Velleiana. A quo enim injustius tales ludi aut honos, quam a filio? Verba Apollodori: ἔθηκε δὲ καὶ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, Πέλοπός τε βωμὸν ἱδρύσατο: *Instituit et Olympicum certamen, et Pelopi aram posuit.* Opinio autem, quæ Herculem auctorem fecit, originem habuit ab Homero: qui de quatuor equis certatoribus et victoribus meminit, interceptis ab Augea Eliensium rege. Vide, si voles, locum ipsum Iliados Λ. vers. 6. 7. Itaque passim Grammatici et Historici transeunt in hanc partem: imo et Pindarus disertis verbis Olymp. Eid. B. Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀπὸ σκύλων πολέμου. Non dissentit tamen solum, sed refutat Strabo lib. VIII. et docet Homericis versibus non hanc esse mentem. *Lipsius. Atreus, cum Pelopi fratri*] Res ita habet: Agon ille a Pelope institutus, ab Herculo et Atreo instauratus, ab Iphito in Tetraëteridas indictus est: itaque trina Olympia, a Pelope, Atreo, et Herculo celebrata præcesserunt Iphiti Olympia, a quibus Græci putarunt tempora sua, propterea quod victoriæ studio scribi ἐν πόρβαι καὶ στάδιον cœperunt. Porro intervallum Olympiorum Pelopis et Atrei sunt quinque Enneadecaëterides. Inter Atrei autem et Herculis ludicrum, est tantum intervallum unius cycli. Notandum autem, jam ab aliquot annis Olympiadas tetraëtericas ante Iphitum institutas fuisse, tetraëtericas autem non fuisse a Pelope ad Troica et infra Troica tempora. Cur autem ab Iphi-

ipsa: periodo sua putarint tempora Græci, paulo ante dictum est. Operæ pretium videbatur hæc ex Scalig. Animad. Euseb. huc congerere: quo non alius, quidquid ambitio struat, diligentius hanc viam institit. *Boecler.*

Omnis generis certaminum] Videtur dicere Herculem victorem fuisse in omni genere certaminum. At damnat rejicitque valde Pausanias: qui abunde et accurate de his talibus lib. V. Ille igitur tradit, primis ludis 'Iolaum curru, Jasium equo singulari, Castorem cursu, Pollucem cestibus vicisse: ipsum Herculem fama ferri, lucta, et pancratio.' Itaque malim verba hæc sic distingui et accipi, ut sit: Quo in ludicro Hercules victor fuit, ludicro, inquam, omnis generis certaminum. *Lipsius. Omnis generis certaminum*] Omnino dicit Herculem ibi victorem fuisse in omni genere certaminum; et inepte aliter aut distinguas aut interpretere. Quid enim novi adstruas Herculi, si uno forte alteroque genere superior? et ut dissentiat Pausanias: quid tum? an ab eo usquam abiit auctor noster, quam isto loco? *Grut.*

Tum Athenis] Quando? et quo refers hoc *Tum?* an ad Olympiadem primam? Videtur ex serie sermonis. Tamen ratio, aut certe auctoritas, dissuadet: aliique volunt, Archontes istos desiisse demum Olympiadis septimæ anno primo. Ita clare Eusebius, et Dionysius Halicarnassæus, lib. I. Antiquit. ubi de conditu urbis Romæ. Aut benigne igitur laxeque interpretare, *Tum*, id est annis aliquot post, aut potius mecum cense hiatum defectumque hic esse, et periisse quæ interseruit a prima Olympiade ad sextam. *Lipsius.*

Alcmæon] Adi Meurs. Archont. Athen. lib. I. c. 3. et seqq. mox *Eryx* truncato ex *Eryxias* vocabulo legitur. Id. c. 8. *Boeclerus.*

In denos annos] Quod Pausanias, interprete Romulo, Messenica ita edidit: 'Altero vero nonæ Olympiadis anno, quo Messenius Xenodochus de stadio victor renunciatus, cum Athenis nondum sorte annui magistratus ducerentur, quod scilicet civitas ea Melanthi posteros, qui sunt Medontidæ adpellati, primum quidem in ordinem redactos æquo jure et legibus magistratum gerere jussit; deinde cavit, ne ultra annos decem imperium continuarent.' *Schegk.*

Post duos et viginti annos] Ex hoc loco colligunt, Velleium Palilia Varroniana sequi, quæ conditum Urbis rejiciunt in VI. Olympiadis annum III. Unde et statim sic edi video: *A quo tempore ad vos consules sunt anni* DCCLXXXII.: cum tamen in editione principe fuerit, DCCCCLXXXI. Sed ego hic potius scripserim, DCCLXXXI. Nimirum ut hoc ipso anno currente Vinicius gesserit consulatum. Nec pigebit præsidia nobis afferre. Libro sequenti scribit Velleius, ab U. C. ad Lentuli et Marcelli consulatum esse annos DCCIII. idque evenisse ante annos LXXVIII. Censent, hic rescribi debere, DCCV. eo impulsi, quod noster videatur Vinicii consulatum attribuere anno U. C. DCCLXXIII. Sed argumentatio hæc non procedit, si numerus ille, ut diximus, fuerit mutandus. Esse autem mutandum, præter ea, quæ attuli, etiam clamat hic locus. Pari tamen audacia postea etiam, ubi dicitur Augustus consulatum iniisse anno U. C. DCCIX. video ab iis corrigi, DCCXI. et ita sane scriptum primitus fuisse eo contendunt, quod addatur, id evenisse annis ante consulatum Vinicii LXXII. Quam bellum hoc argumentum sit, ipsi viderint. Denique ait etiam Paterculus, Ælio ac Sentio consule, anno U. C. DCCLIV., ante annos XXVII. ab Augusto adoptatum fuisse Tiberium. Nec hic tamen illorum manus effugit locus; legunt enim, DCCLVI. Me vero quod attinet, horum omnium congruentia eo perducit, ut hæc le-

gendum putem: *Post* III. *et viginti annos, quam prima instituta fuerat.* Qua conjectura admissa, non pugnabit locus qui paullo ante legitur: *Certamen Olympiorum habuit auctorem Ipbitum Elium: ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires,* DCCCIV. Ubi in vulgatis male C. nota irrepserat, ut antea nobis monitum. Et sane sic sententiam Catonis, cujus diligentiam alibi commendavit Velleius, hic quoque amplexus fuisse videatur. Traditum enim ei, jacta urbis fundamenta anno post Trojam captam CDXXXII. Nec dubitem, mox etiam apud Velleium reponere: *id gestum post Trojam captam annis* CDXXXII. Aliis tamen longius recedere visum fuit, reponendo CDXXX. *Vossius. Post duos et viginti annos*] Fuerit annus sextæ olympiadis tertius non septimus secundus, sicut Scaliger scripsit lib. v. de emend. tempor. ubi de primis urbis Palilibus agit. Quam commentationem omnino vide. Congruit Velleio Eutropius, Orosius II. 4. Sigonius in comment. fast. accedit Dionysio, qui 7. olymp. anno primo, post Ilium captum anno CDXXXMI. conditam prodidit lib. I. et II. Antiq. Ceteris dissensiones Chronologorum (inter quos non facilius unquam quam inter horologia convenit) prolixe habes apud diligentissimum Onuphr. Panvin. Comment. in Fast. lib. I. Plerique cum Velleio nostro Varronem sequuntur: cujus ipsius tamen industriam conjecturis, quam certis rationibus, niti existimat Scaliger. *Boecler.*

Romulus] Dehinc ad res Romanas jam delabitur. Ubi ergo Latini Albanique reges, et omnis illa stirps Æneæ? An credibile est eum initia ipsa rerum Romanarum omisisse, qui tam curiose exsecutus sit externa? non potest, et hic quoque aut ante alibi lacuna grandis. *Lipsius.*

Romam urbem] XI. Kal. Maii, Kalendarium vetus. Quæ Natalis urbis dictus Cic. de Divinatione II. 'Lucius quidem Tarutius Firmanus familiaris noster, inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus quibus eam a Romulo conditam accepimus.' Frustra igitur Plutarchus, qui pridie Pariliorum, hoc est, XIII. Kal. Maii, moliri captam reliquit. De his observate, de antiquitate optime meritus, Onuphrius in Fastorum Commentariis. *Scheffius.*

Parilibus] Propertius IV. Eleg. 4: 'Urbi festus erat: dixere Palilia patres: Hic primus cepit mœnibus esse dies.' In hoc ergo festum 'natalis dies urbis' communi hominum devotione referebatur; adeoque 'XI. Kal. Mai. immortalis ortus dominæ gentium civitatis solemni religione celebrabatur,' ut loquitur Panegyr. Mamert. c. 1. Sed et Imperatores 'adjecerunt feriis natalitios dies urbium maximarum Romæ atque Constantinopolis (v. Id. Mai.) in quibus debebant jura differri, quia et ab ipsis nata sunt.' l. omnes dies 7. C. de feriis. Ad quam pluscula huc pertinentia notavit Brissonius. Huic primariæ religioni affinis est illa 'boni ominis observatio,' quam huic diei accommodabant. Ita Pertinax Imp. apud Capitolin. reformandis rebus 'expectat Urbis natalem, quod eum diem rerum principium volebat esse' c. 12. Tertia observatio 'artis est, an superstitionis:' cum L. Tarutius Firmanus, Chaldaicis rationibus eruditus urbis R. natalem a Parilibus repetens, eamque in jugo cum esset Luna natam dicens, 'non dubitavit ejus fata canere.' Quem errorem (ita enim vocat) serio exagitat Cicero de Divinat. II. 47. Adde Pet. Fabr. Semestr. I. 9. Marcell. Donat. ad Suet. Tib. V. *Boeclerus.*

DCCLXXXII.] Scilicet *plenis*: ita ut DCCLXXXIII. sit, qui tum volvebatur, Consulatu Vinicii insignis, ut recte Onuphrius explicat. *Idem.*

Annis CDXXXVII.] Qui largissime computant, efficiunt tantum CDXXXII. plerique alii pauciores. Et hercules a Troja capta ad primam Olympiadem Africanus annos interponit CCCCVIII. Tatianus CCCCVII. e Latinis plerique et Eusebii Chronicon, CCCCVI. aut CCCCV. Quibus si addas Velleii istos XXII. medios ad natam Romam, non explebis vulgatam summam. Ego igitur recidendam septenariam notam censeam, sive mavis denariam. Utrovis modo accommodes ad aliquam e sententiis prædictis. *Lipsius.*

Latini avi sui] Obsecro, an *Latino* nomen fuit avo Romuli? quem testatissimum est Numitorem fuisse. Nisi tamen sententiæ rarioris adfectator Velleius, quam in Dionysio quoque habes: 'natum Romulum ex Electra, Latini filia.' Sed vix opinor, et potius litteralæ adtextu scribam, *Latinis*. Vult legiones fuisse e Latio. *Idem.* *Latini avi sui*] Lipsius probabiliter correxerat, *Latinis:* ut ad Legiones referretur. Avi nomen *Numitorem* fuisse. Nisi tamen is cognomento principatus *Latinus* hic dicitur. Congrūit autem hæc opinio cum eo quod Dionys. Antiq. II. tradit; 'Romulum initio pleraque avi consiliis ac ope molitum esse.' *Boeclerus.*

Quamquam] Aldus pro *quamquam* legit *quam*, urbemque subaudit. Acidalius *auxit παθητικῶς* interpretatur, intelligens *manum illam pastoralem.* Illa prior correctio non videtur necessaria: hæc posterior expositio paulo frigidior mihi hoc loco videtur, sive antecedentia, sive quæ sequuntur, respiciam. Simplicius ergo fuerit retinere verba librorum, et quam ultro suggerunt, mentem: Romuli potentiam ab initio exiguam fuisse; donec eam postea, commentus Asylum, auxerit. *Idem.*

Asylo facto] Quæ de *asylo* hic dicuntur, item de *patribus* institutis, ubique obvia et in promtu sunt apud Scriptores Latinos Græcosque. E quibus *de πολιτικῇ τέχνῃ* et ad civilem prudentiam accommodatissima descriptione hæc talia exequitur Dionysius. *Idem.*

Appellatosque patres] 'Centum erant senatores, sive quia is numerus satis, sive quia soli centum erant, qui ciere patres' (ita apud Livium legendum, etiam absque Sigonii rationibus nimium quantum infirmis, contextus et alibi ipse Livius suadet) 'possent.' Eleganter Suidas patricios primordio Reipub. Romanæ populi patres dictos autumat: postea Imperatores, ut senatum demererent, (omnem enim potestatem dignitatemque sibi vindicaverant,) patricios sibi quoque patres majorum gentium elegisse. Hinc Justinianus Institutionibus lib. I. c. 12. ait: 'Quis patiatur Imperatoriam celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?' Et Claudianus in Eutropium lib. II. 'genitorque vocatur Principis.' Hujus mentio apud Apollinarem. Formulam Patriciatus capies a Cassiodoro. *Schegkius.*

Raptus virginum Sabinarum] Plerique e margine in textum irrepsisse ista verba statuunt. Deplorant hoc loco Rhenanus et alii ingentem hiatum operis Velleiani; nec immerito: videtur enim pulcerrima pars suavissimæ scriptionis periisse. Lipsius amplius etiam voluminum distinctionem, ex modo amissorum, in dubium vocat, neque verisimile, ait, tantum rerum uno priore volumine a Velleio comprehensum fuisse. Nolim firmare magni Viri suspicionem. *Boeclerus.*

CAP. 9. *Quam timuerat hostis, expetit*] Defectus clarus, et aliis jam notatus. Scito autem deesse Romanos omnes reges, Romanos omnes consules Tribunosve militum, usque ad annum DLXXXII. id est, plus dimidia parte scripti Velleiani. Et aliquis credet conjecta hæc omnia in libellum unum priorem fuisse? non qui

attendet. Sed in his ipsis verbis quid narratum, aut quæ sententia? de Perse rege Macedonum fuit: quem ait graviorem multo hostem fuisse, quam exspectassent. Itaque legam, *exstitit*, non *expetit*: quasi fuisset, *gravior quam timuerat*, *hostis exstitit*. Timuerat autem, nempe Populus Romanus. *Lipsius.*

Biennio] Biennio tantum? at quadriennium tenuit hoc bellum. Sed recte tamen *biennium*: quia priores duo anni saltem in fortuna varia, reliqui magis prosperi Romanis. *Idem.* *Biennio*] Bellum cum Rege Macedonize Perse scripsit Florus II. 12. et quos ibi Camers annotavit. Quibus adde Pausan. Achaic. Diodor. Sic. XXXI. Excerpt. quæ vulgo habentur. Præter quæ, reperies aliqua in iis Excerpt. Diod. quæ Constant. Porphyrog. collegit, et Henr. Valesius publicavit. Zonar. t. 2. *Boecler.*

Superior fuerit] Gruterus delet illud *fuerit* (ad quod nimirum non admodum quadrat, *perduceret*, quod sequitur) copulamque expungit: *ut pl. superior magnam p. G. i. s. s. p.* Acidalius legit *foret* pro *fuerit*. Idem.

Rhodii] Exemplum valdę memorabile, de sequenda ant vitanda partium in bello societate, Rhodiorum civitas hic suppeditat. Utraque pars eam sibi studebat adjungere. 'Rhodii' enim, inquit Livius XLII., 'maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant.' Accedit quod majorum auctoritatem minores ferme civitates sequuntur. Itaque nec Perseus nec Romani concessuri videbantur, ut bello Rhodii abstinerent. Illum novæ amicitiæ gratia, hos veteris fides, commendabat. Invitabant et commoda belli et minabantur incommoda: quibus tam propinquo discrimine exemti esse non poterant. Quid ergo factu optimum? primum consilium non parum sapientiæ nomine laudaverim. Ita se gerebant, ut Romanis nihil negare, Perseo nihil promittere viderentur. Ita præferebant amicitiam Romanorum, ut adversus Perseum non nisi inviti hostilia ausuri viderentur. Romanis non statim suspecti, Perseo non penitus volebant fieri formidabiles. Hac media via, cum aliquantisper rem gessissent, anxia cœpit magis et solicitior fieri suspensa tam arduis momentis prudentia: cujus tædio aliquid audendum existimabant, quo a bello partes deterrerent, se autem a periculo belli vindicarent, Legatos Romam mittunt, qui præfati 'de amicitia ante bellum cum Perseo inita, de belli damnis non diutius tolerandis,' postea adjecerunt: 'legatos alios ad Persea in Macedoniam missos, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere, pacem cum componere cum Romanis, se Romam eadem nuntiatum missos: per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, adversum eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse.' Liv. XLIV. 14. Peccatum in eo varie: primo enim fiducia potentiæ et auctoritatis nimia inflaverat Rhodios, ut Romanorum animos, qui toti propemodum orbi erant terribiles, suis frugi minis posse crederent: deinde, imprudentius factum, quod non animadverterunt, sibi a neutra parte gratiam, sed ab alterutra certum esse periculum expectandum, ob eam legationem: porro, ipse cum Romanis et Perseo agendi modus nec officio amicitiæ conveniebat, nec ei amicitiæ generi, quo Rhodii amicos quidem Romanos, sed cum respecta eminentiæ, amicos venerabiles, habebant. Applicandum hic venit, quod Velleius Nester de Massiliensi negotio judicat: 'principalium armorum arbitrio illi captare debent, qui non parentum coërcere possunt.' II. 50. Equidem si *quisdes* se præstare Rhodii et medios partibus perseverassent, non quidem

admodum grata erat futura partibus illa ἀδιαφορία. (proprio enim quodam fato invisus est qui partium studium detrectat) sed fallor, an innoxia et minus periculosa civitati fuisset. Longe autem aliud est, 'neutrius partis esse,' et 'arbitria pacis bellique inter partes sibi sumere.' Illud prudentiæ aliquando et necessitatis, hoc non nisi ingentis potentiæ opus est. *Idem.*

Proniores] Ita quidem rumor distulerat, eos Romanorum amicitiam simulare, sed per occulta et magis fida in Regem inclinare: fatenturque in apologia sua legati Rhodiorum (apud Liv. XLV. 23.) quosdam improbos cives Regis amicitiam optasse, nullo publico consilio aut consensu civitatis. Interim ista communis est partium in medios suspicio: 'credunt Romani, Rhodios Persei studiosiores; Perseus existimat, Romanis eos magis favere.' *Idem.*

Medius fuit] Mirifice delector similium collatione locorum in scriptoribus, neque indelectari elegantium literarum studiosos alios opinor. Itaque hujus notabo interdum aliqua, quæ memoria suggeret, inter legendum minus quam curiose mihi observata. *Medium esse* re quapiam, valde placita nostro formula. Infra, de Cn. Pompeio: 'medius eloquentia.' Item: 'ita se dubium mediumque partibus præstitit.' Propius finem, de Tiberio: 'Agebatque medium, plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.' *Acidal.* *Medius*] Livius lib. XLIV. 25. ejus consilia diserte exponit.

Qui et prætor et consul] Ab Antiquariis nostris (Sigonio et Manutio) erroris damnatur Velleius, aut exscriptor: nec unquam in Prætura triumphasse Paullum. Ergo corrigunt: *Paullum qui et priore consulatu triumpharat.* Sed ipsi corrigendi. Ego recte et vere aio a Velleio ita scriptum. Lapis Romæ:

L. ÆMILIUS. L. F. PAULLUS
COS. II. CENS. AUGUR
TRIUMPHAVIT. TER

Si ter triumphavit Paullus, quando primum nisi in Prætura? Nam duo alii triumphi manifesto in consulatu utroque intervenerunt; prior de Liguribus, hic de Perse. Triumphasse autem in Prætura etiam Plutarchus satis argumento est: qui ait, missum Paullum 'adhuc prætorem in Hispaniam Proconsulari imperio, cum fascibus duodecim, ibi cecidisse ad XXX. ∞. hostium.' In Livio 'XVIII. millia' legas, libro XXXVI. sed nempe de solis Lusitanis. Si autem tot millia cæsa, nonne debitus triumphus? Imo et delatus, quod ex Livio ibidem colligas, qui mox addit 'decretam supplicationem, ob res ab Æmilio in Hispania gestas:' at ea semper fere dux triumphi. Sed et idem Livius de triumpho indicat in Epitoma XLVI. Triumphavit ergo, et marmori ac Velleio hoc credamus. Adde et Suidam in Λεύκιος. *Lipsius.*

Quam tergiversanter] Vide Liv. XXII. 44. et 45. et ceteros qui hanc pugnam scripsere. Verba nostri Auctoris recte se habent, neque correctione indigent. *Boeclerus.*

Persenm] Primogenia editio, *Persam*. Malo *Persen*. Ita postea etiam ejusdem editionis auctoritate scribendum est. *Vossius.*

Ingenti prælio] Hoc prælium finem attulit regno Macedoniæ, in ditionem Romanorum redacto: Justin. XXXIII. 2. 6. 'cum inde a morte Alexandri distractum in multa regna, a summo culmine fortunæ ad ultimum finem stetisset CL. annos,' ut Livius putat 45. Strabo Excerpt. lib. VII. ἐν μὲν οὖν τῷ πρὸ τῆς Πύδνης πεδίῳ Ῥωμαῖοι Περσέα καταπολεμήσαντες, καθεῖλον τὴν τῶν Μακεδόνων βασιλείαν. *Boeclerus.*

Samothraciam] Inclita religionibus insula, nocentiumque asylum certum. Plutarchus in Camillo. Hanc Servi-

us, in illud Poëtæ, 'Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes;' contra illustrissimum et omnia doctissimum virum a Samo distinguit. 'Dardanus,' ait, 'profectus ad Phrygiam Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, ubi est Samos, quam et Samothraciam nominavit: nam alia est insula Samos Junonis.' Insulam Samum, prodit Varro apud Lactantium lib. I. cap. 17. 'prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique Jovi nupserit. Itaque nobilissimum templum ejus est Sami et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.' Hinc Augustino de Civitate Dei lib. VI. 'Dilecta Junonis insula nominata.' In Samothracia, quam Strabo et Diodorus lib. IV. describit, tres aræ, quæ Trinis Diis (quas sustulisse et secum portasse Æneam firmat Servius) parent, *MAGNIS. POTENTIBUS. VALENTIBUS.* de quibus Varro et Macrobius lib III. Lapis Murciæ in Hispania, *Di magni CASTOR et POLLUX.* Schegkius.

Templique se religioni] 'Quasi templa et aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent,' inquit Florus II. 12. 9. non sine panegyrica figura, et quæsita inventionis occasione. Omnino alias 'hæc insula sacra et augusti tota atque inviolati soli erat' (verbis Liv. XLV. 5) servato præterea universim gentilibus more, 'supplicibus templorum parcendi,' id est, propter templa hominibus incolumitatem dandi. *Boeclerus.*

Ratione magis] Lipsio placebat *oratione.* Nulla autem fortasse fuerit caussa substituendæ alterius voculæ. Consilium Octavii, sive *ratio* in eo est: quod modo minis, modo spe conatus est regem perlicere, ut se traderet; quod postea regios pueros, proposita incolumitate, ad se traduxit, eoque transfugio nudatum regem recepit, ut legere est apud Livium. *Boecler.*

Octavii prætoris] Eadem pene Livius lib. XLV. qui etiam addit: 'Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis.' *Vossius.*

Triumphi] De his triumphis consulendus Sigonius Comment. in fast. et triumph. Rom. ad an. DXXCVI. de bello Illyrico contra Gentium. Flor. II. 13. et quos ibi nominavit Camers, item Zonar. II. pag. 109. *Boecler.*

Invidia] Tale suæ narrationi judicium etiam Livius præmittit XLV. 35. 'intacta invidia media sunt, ad summa fere tendit. Nec de Anicii nec de Octavii triumpho dubitatum est. Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit.' Corrumpente nimirum populi judicia Sulpitio Galba tribuno mil. privatim imperatori inimico, criminanteque virum optimum, ut 'imperiosum ducem' (ob disciplinæ militaris observantiam) 'et malignum,' ob prædam parcius, quam insatiabilis militum cupiditas speraverat, dispertitam. *Id.*

Simulacrorum] Nam præter spolia ac manubias, etiam urbium devictarum, montium, fluminumque simulacra in triumphis præferebantur.

Bis millies] Si ad usum nostratis pecuniæ ratio subducatur, erunt sexagies ter centena scutatorum millia. Aliter Antias apud Livium lib. XLV. Plutarchus totam summam non definit. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. non carere mendo videtur, cum ait: 'Intulit et Paullus Æmilius, Perseo, rege Macedonico, devicto, prædam pondo trium millium: a quo tempore populus R. tributum pendere desiit.' Nam, Pondo trium millium, longe distat a *bis millies centies HS.* Cicero de Officiis, opinor, lib. II. prædæ magnitudinem significat, modum non exprimit. *Manut.*

Omnium ante actorum] Quippe, 'cu-

jus spectaculo triduum impleverit. Primus dies signa tabulasque, sequens arma pecuniasque transvexit; tertius captivos, ipsumque regem attonitum adhuc, tamquam subito malo stupentem.' Florus lib. II. cap. 12. *Scheglius.*

Amplitudine] Quapropter in exemplum declarandæ rei triumphalis typisque æneis effigiandæ delectus est a diligentissimo Antiquitatis Romanæ vindice, Onuphrio, libello de triumph. *Boeclerus.*

CAP. 10. *Olympicum*] Mavult vir doctus, Frid. Sylburgius, *Olympicum*, motus auctoritate Pausaniæ in Atticis: vide et Fabrum in Semestr. III. 8. *Scheglius.* *Olympicum*] Somniavit profecto Popma, cum de eodem Olympico Diodorum lib. XX. locutum scripsit. Ille enim agit de certamine ab Antigono Antigoniæ instituto: noster, de templo Jovis Olympici ab Antiocho Athenis exstructo. Meminerat vero ejus Polybius; ut ex Athenæi V. videre est. Polybium, ut solet, secutus est Livius fragmento, quod habes lib. XLI. 'Magnificentiæ vero in Deos, vel Jovis Olympici, templum Athenis, unum in terris inchoatum, pro magnitudine Dei potest testis esse. Sed et Delon maris insignibus, statuarumque copia, exornavit.' Ubi emendo, *aris insignibus.* Etsi sciam, Polybium unius tantum aræ mentionem injicere. Sed vehementer fallitur, qui Livium adeo religiosum Polybii interpretem putet, ut ejus verbis ubique se adstrinxerit. Templi hujus etiam meminit Pausanias in Atticis, ac Vitruvius lib. III. cap. 1. his verbis: 'Hujus autem exemplar Romæ non est, sed Athenis octastylos est in templo Jovis Olympii.' Ita scripsi. Vulgo editur: *sed Athenis octastylos et in templo*, &c. Possis tamen τὸ *et* inducere: quod Philandro visum. *Vossius.*

Tum rex Syriæ] Vulgo, *Regem Syriæ.* Rex Ægypti fuit Ptolemæus, Syriæ autem Antiochus: quod historiæ significant. Itaque *rex*, non *regem*, omnino legendum, quod Livii indicat epitome lib. XIV. Ptolemæus autem hic est, cui Philometori cognomen fuit. Et *C. Popillium*, qui virgula Antiochum circumscripserit, non *Marcum*, Livius nominat. *Manut.*

M. Popillius] Dissensus est auctorum in legati nomine. *C. Octavium* Plinius nominat, lib. XXXIV. cap. 6. cujus verba adducere alii occuparunt. *C. Popillium* Cicero Philipp. VIII. 'Pro Dii immortales, ubi est ille mos virtusque majorum? C. Popil. apud majores nostros, cum ad Antiochum regem legatus missus esset, et verbis Senatus denunciasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat: cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit, dixitque se non ante renunciaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet.' Ubi emendarim obiter: *Ubi est ille animus virtusque majorum?* quod videtur magis accommodatum. Justinus lib. XXXIV. de *Popillio* affirmat, sed sine prænomine: qui rem tamen plenius aliquanto narrat. 'Prolatoque Senatus decreto et tradito, cum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre; ibi Popillius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut et amicos caperet, consulere jubet; nec prius inde exire, quam responsum Senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum.' *Acidalius.*

M. Popillius Lænas] Plinius errat, qui hunc *C. Octavium* appellat, et historiam sive facta duplicia miscet ac confundit. Non nemo qui Plinium recensuit et adnotavit, frustra est in viro defendendo. Tu, si voles, fontem ipsum erroris ejus reperies in Ciceronis Philippica Nona. *Lipsius.*

M. Popillius Lænas] Imo, *C. Popillius.* Quod suadent Polybius, Cicero, Livius, Valerius. Zonaras tamen M.

Popillium etiam nominat, sed errorem ejus redarguunt facile testes, quos dixi, omni exceptione majores. *Vossius.*

Cogitationem] Non negabis aptius esse: *contationem regiam.* Tardabat enim respondere, et deliberaturum se dixerat. *Lipsius.*

Prætextatos] Gruterus, *prætextatos* istud glossematium adjectum, ideoque tollendum, censet. Potuisse omitti fateor, sed Velleius non abhorret a talibus adjectiunculis. *Boeclerus.* Prætexta autem pueri nobiles induti erant usque ad 17. annum, tum togam virilem assumebant.

In concione] De his rebus erudite tractat Onuphrius, lib. de triumph. supra laudato. *Boeclerus.*

Extra urbem] Ad Bellonæ, juratus. *Schegkius.*

Ante paucos] Quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triumphi curru conspectus, post diem tertium exspiravit. Valerius, Livius, Seneca IV. declamat. Plutarchus. Ejus votum eleganter apud Livium et Valerium, apud quem pro τὸ *proventu felicitatis*, in Vett. *provectu felicitatis.* Idem.

Et quidem consors] Placebat legere *concors*: sed desino, cum in Livio quoque legam libro XLI. 'Frater germanus, et, ut Valerius Antias tradit, censoris etiam consors erat.' Consortem autem hic interpretor cum Glossis priscis κοινόβιον, ejusdem mensæ ejusdemque tecti. *Lipsius.*

Senatu motus est] Quia legionem, in qua tribunus militum erat, injussu consulis dimiserat. Frontinus lib. IV. Cicero in Verrinis, Plinius lib. VII. Livius lib. XLI. *Schegkius.*

CAP. 11. *Libera custodia*] Credo sic dictam, sive quod intra certos terminos libera ambulatio permissa, sive ad discrimen carceris; quia in hunc scelera, flagitia, atque servilia pœna dignissima fœx conjiciebatur; in illam non nisi qui alicujus dignationis liberalique pœna digni, Senatores nimirum vel duces captivi. Colligitur ex Ciceronis Bruto: 'Domi,' ait, 'teneamus eam septam liberali custodia;' et Sallustii Catilinario. Plura notavit ad Tacitum vir nunquam satis laudatus, et cujus caussa, cerculum illud Cato hæresin suam migraret, Justus Lipsius. *Idem. Libera custodia*] Liberis custodiis Romæ quidem magistratuum aut senatorum domus adhibitæ: sed et munitioribus oppidis per Italiam captivi honoratiores sæpe servabantur. Livius XLV. 'Patres censuerunt, ut Quintus Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret. Bitis, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.' adde c. 43. De Alba etiam lib. XXX. c. 17. exemplum habemus: ubi capto Syphace, 'consulti patres, regem in custodiam Albam mittendum.' Ratio apud Strabon. V. duplex redditur, 'quoniam in penetralibus regionis sita Alba, et præterea probe munita esset.' De libera custodia egit Lips. ad Tac. A. VI. 3. 4. et Savaro ad Sidon. lib. I. epist. 7. *Boeclerus.*

Pseudophilippus] Ob oris similitudinem, qui et Andriscus. Florus. *Schegkius.*

Cum esset ultimæ] Floro est: 'vir ultimæ sortis Andriscus, dubium liber an servus, mercenarius certe.' Ammian. Marcellin. XIV. 40. et Lucianus πρὸς ἀπαίδευτον, 'in fullonio natum' dicunt. Zonaras t. II. p. 114. qui satis copiose hanc historiam scribit, cum Marcellino patriam exprimit, *Adramitenum* vocans. *Boeclerus.*

Assumtis] Ita recte emendavit Burerius. Vulgo *adsumpti.*

Sine inscriptione] Plinius de hisdem: 'Neque Sauron et Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa

Octaviæ porticibus inclusa.' Sed an Ædes' ea sine inscriptione? asserit Velleius: negat idem Plinius: qui sic lib. XXXVI. c. 5. 'Intra Octaviæ porticus in Junonis æde, Æsculapius ac Diana.' Et eodem capite sub finem, alterum templum inscribit 'Jovi.' Quid nos dicimus? Velleium de alia inscriptione sensisse; non numinis, sed hominis, ejusque qui dedicavit. *Lips. Sine inscriptione*] Vide de his porticibus Andreæ Fulvii Sabini Antiq. Rom. lib. IV. *Boecler.*

Turmam] An de ista Plinius capiendus, lib. XXXIV.? 'Alexandrum amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine Lysippus expressit. Has Metellus, Macedonia subacta, transtulit Romam.' Apparet. Turbat tamen quod Amicos appellat, qui aliis non nisi milites sunt, atque adeo Arriano sociales. Ipse ita libro I. *Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι. E Macedonibus circiter viginti quinque prima aggressione ceciderint, eorumque æneæ imagines in Dio opido positæ, Alexandro jubente a Lysippo eas fieri.* Similia in Alexandro Plutarchus. Sed Plinius in opinione fuisse, qua Velleius, videtur: qui scribit hos 'equites ex ipsius' (Alexandri) 'turma apud Granicum cecidisse.' Si e turma regia; profecto assidui apud eum, aliis digniores, et quasi amici. Quod autem Arrianus notat Statuas eas in Dio positas, alii *Jovis templum* verterunt; nec valde repugnem, nisi quod de Dio oppido magis signate et probabiliter ceperis, quoniam Livius (lib. XLIII.) prodidit hanc 'urbem exornatam publicis locis et multitudine statuarum.' Est in Macedonia, regione Pieria. *Lipsius. Turmam*] Plinius lib. XXXIV. et XXXV. Caussam colliges ex Curtio, Arriano, et Plutarcho in Alexandro. *Scheffius. Turmam*] De statuis equestribus earumque origine ac honore videndus Hermann. Hug. de Mil. Eq. v. 1. *Boeclerus.*

Magnum Alexandrum] Arrian. I. Justin. XI. 6. 13. Pro *impetrasse a Lysippo*, Cl. Freinshemius Noster ad Curt. III. 21. 27. legit, *imperasse Lys.* Lysippi ars passim laudata, et in exemplum excellentiæ memorata. 'Nam ad veritatem Lysippum et Praxitelem accessisse optime' (i. e. ad vivum omnia expressisse) 'affirmant.' Quintil. Instit. Orat. XII. 10. *Idem.*

Granicum] Fluvius hic Mysiæ minoris, ubi memorabilis Alexandri Magni pugna. Vid. Curtium lib. IV. cap. 1. et 10.

Ædem ex marmore] Quid intelligit? Utrumne marmoream ædem primitus a Metello in urbe Roma structam? an potius, urbis ipsius Romæ templum? Nam cultam eam ut Divam, ac templa arasque passim positas alibi (In Com. ad Tacit.) a nobis doctum. Si hæc mens, (ut puto,) notabile sane principium adorationis hujus sive adulationis. Quod Smyrnæi apud Tacitum Annal. III. gloriantur, 'se primos templum urbis Romæ statuisse,' a sententia nos non demovet, quoniam de primis provincialium hoc capiendum est. At si prior sententia cuiquam placeat, illi expediendum est quæ sit ista Ædes, et cui Deo? cur non nominet? Nam de privata ipsius Metelli (ut omittam quod *Ædes* eo sensu magis scripsisset) non potes capere: quia marmor serius adhibitum ad ædificia privatorum. Plinium vide; qui tamen originem primam marmoris quæsivit magis quam invenit. Eo magis Velleii hæc notanda. *Lipsius. Ædem ex marmore*] Meo judicio, locus iste nullo potest modo accipi, tamquam Metellus ipsi Romæ, veluti Deæ, templum extruxerit; fuerit enim præter decorum id auspicari Romanos ipsos. Orta illa divinitas primum a provin-

cialium adulatione. At si de alterius Dei Deæve templo verba intelligenda sunt, cur id non nominavit auctor? quia satis indicarat expresso loco, in quo templum illud positum erat, dum inquit: 'in iis ipsis monumentis molitus.' Sic Livius libro XLV. cap. 15. 'Eodem anno C. Cicereius ædem in Albano dedicavit, quinquennio postquam vovit. *Gruterus.*

Cujus felicitatem] Magnifice, ut solet, tam prolixum fortunæ favorem extollit Val. Max. VII. 1. 2. et Plin. VII. 44. Cic. de fin. v. 78. It. Tusc. I. 35. *Boeclerus.*

Excellentes triumphos] Pluries ergo Metellus hic triumphavit? Non invenio: imo semel, et de Macedonia tantum. Itaque Valerius de hac ipsa ejus felicitate, l. VII. 'Speciosissimi triumphi prætextam largita est.' Unum ecce agnoscit. Rescribi velim: *præter excellentem triumphum.* Lipsius.

Excellentes triumphos] Lipsius ex historia repositum cupiebat, *excellentem triumphum*: sed recte se habet judicium Gruteri; qui pro singulari numero pluralem hic usurpari existimat. Loquitur enim hic Velleius ἐγκωμιαστικῶς, neque enumerat tantum membra collectione, sed granditate sermonis illustrat. *Boeclerus.*

Cum inimicis] Scipione Africano. Quas inter calamitates Metelli ducit Plinius. Cicero in Officiis, 'sine acerbitate dissensionem;' Valerius, 'graves testatasque,' vocant. Recte *testatus*, quasi quæ litterarum testimonio signatæ: moris ex simplici et antiqua recepti vita, qua publice, qua privatim inimicitias denunciare: de quo litterarum decus ad Tacitum. Hoc addi velim, amicitiam qui renuntiabat, etiam interdicebat domo. Tacitus l. v. 'Sed Cæsar, missis ad Senatum litteris, disseruit morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eum finem gratiæ ponere.' Et ut publice Fecialis, ita quandoque privatim penco. Clemens Alexandrinus, 'Amicitiam, quam diu coluerat, misso præcone renunciavit, non quod pœniteret, sed quod fortunæ statim pertimesceret.' *Schegkius.*

Quatuor filios sustulit] Emendandus igitur Plinius Nat. Hist. l. XIII. 13. ubi vulgo ita legitur: 'Q. Metellus Macedonicus, cum VI. liberos relinqueret, XI. nepotes reliquit.' Reponendum, IV. *liberos.* Ita etiam ipse Plinius ejusdem libri c. 44. ut Valerium Maximum, Aurelium Victorem, et alios, mittam. Est tamen apud B. Augustinum l. II. 23. de civitate Dei: 'Metellus Romanorum laudatissimus, qui habuit v. filios consulares, etiam rerum temporalium felix fuit.' Sed hic quoque reponendum arbitror IV. Nulla menda crebriora, quam circa numeros. *Vossius.*

Rostris] More majorum, quem et graphice Polybius l. VI. exprimit: 'Si quando apud eos quispiam ex illustribus viris ex hac vita decesserit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad rostra, sic dicta, in forum: et nunc stans conspicuus, nunc obvolutus, idque raro, universa plebe circumstante, rostra adscendit, si quidem filius adultus supersit, ac præsens existat, sin vero alius quispiam ex ipsius genere, ac demortui virtutes, et quæ in vita præclare gessit, deprædicat.' Et statim: 'Ubi autem præclarus aliquis ex domesticis ultimum diem obiit, instituunt funeris elationem, et circumfusi, qui simillimi, magnitudine et reliqua statura videntur, vestitum usurpant, si vel consul vel Imperator fuerit, purpura circumdatum; si censor, purpureum; si triumphum egit vel tale quid perfecit, auro contextum. Igitur isti curru incedunt: fasces vero et secures ac reliqua principatibus consueta secundum dignitatem cujusque præcedunt, qua, dum in vivis esset, in Rep. eminuit; ubi ad rostra

veniunt, cuncti ex ordine sellis elephantinis sedent, quo spectaculo haud facile poterit spectari pulcrius.' Primus Poplicola supreme Brutum laudavit; quo deinde ad feminas, et Imperatorum ævo ad juvenes progressum. Suetonius, Dio. *Schegkius.*

Quatuor filii] Uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censorio. Plinius lib. VII. Adi auctorem Virorum Illustrium. *Idem.*

Candidatus] Qui enim ambiebant magistratum, candidis vestibus utebantur.

CAP. 12. *Gravibus in Romanos contumeliis*] Justin. XXXIV. 1. 9. 'legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu trepidi fugissent.' Flor. II. 16. 3. 'oratione violatos' ait. Cicero pro leg. Man. 5. 'ob legatos superbius appellatos eversam Corinthum' testatur. Sed nimirum speciose sonabat in auribus hominum, 'caussa belli in violationem legatorum rejecta;' quippe quo nomine juste suscipi bella communiter existimabant: quamvis non alia, quam quæ mox Carthaginem dicitur oppressisse, invidia Romanos impulit, ut caussas belli quærerent adversum Corinthios, et, quia quærebant, invenirent. *Boeclerus.*

Adoptatum a Scipione] Cum Velleio facit Livius l. XLIV. 44. 'P. Scipio, Africanus et ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos.' Et Valerio, III. 7. 5. 'Aviti spiritus egregius successor Scipio Æmilianus' vocatur, itemque Florus II. 15. 12. 'Hunc,' inquit, 'Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assumserat.' Themistius Orat. 5. de pace ad Valent. Σκιπίων δὲ ὁ μέγας ἐκεῖνος, ὁ τοῦ τόν Σκιπίωνος υἱδοῦς, &c. Quanquam nescio, cur doctissimo Remo vertere placuerit: *Magnus ille Scipio, Maximi illius Scipionis adoptivus filius:* cum vel ex Pollux. III. 2. constet υἱδοῦς nepotem significare. Nisi fors Vir Magnus illis adhibuit fidem, qui ab ipso Africano adoptatum Æmilianum credidere. *Idem.*

Consul creatus est] Adnitente Catone, qui dicebat, 'Reliquos qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere.' Epitome Livii, Appianus Punicis, Valerius l. VIII. *Schegk.*

Cum ante in Hispania] Vid. Liv. Epit. 48. et 49. Victor. 58. Plin. XXXVII. 1. *Boeclerus.*

Murali corona] De coronis Gellius Noct. Att. l. v. 6. Has autem recenset, triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, et navalem. Corona obsidionalis erat graminea, civica ex quercu, muralis veluti muri, castrensis valli figura in apice insigniebantur. Vide Stewechii Comment. ad Veget. p. 102.

Obsidionali] Propter octo cohortes obsidione vallatas consilio et virtute servatas. Scriptor virorum Illustr. *Schegkius.*

Ex provocatione] Apud Intercatiam a rege provocatus, opima spolia retulit, quod notabis. Florus, Appianus Hispanicis, Epitome Livii, alii. *Idem.*

Ipse modicus virium] Ita loqui amant boni auctores. Sallustius Historiarum l. III. 'Ingens ipse virium atque animi.' 'Dubius consilii:' et l. IV. 'Anxius, impotens, nimius animi.' Et infra sæpe Noster. *Idem.*

Temporis noxis] Editio prima, *quam ullius ejus temporis noxiæ.* Hinc fecerim, *quam ullis ejus temporis noxis.* Non enim vult numquam eos peccasse aut nocuisse, sed non illo tempore, cum decretum. Idque verum est. *Lipsius. Ullis ejus temporis noxis*] Recepi in textum correctionem Lipsianam. Quanquam enim nullo modo credam, Velleium ita scripsisse, videbatur tamen facilius, quam illud alterum, in codicibus repertum: *quam ullius ejus temporis noxiæ.* Possunt

quidem illa verba pendere ab *invidia*: sed id durius videtur, quam ut facilitatem Velleianam referat. Multo minus subaudiverim per Hellenismum *causa*, quod contextus (ad cujus simplicitatem competentiamque plurimum attendendum arbitror) prorsus repudiare videtur. Nil dubito, veram lectionem, ut in corrupto loco, ignorari. Qualibus locis, neminl vel insultandum vel applaudendum judico. *Boeclerus.*

Carthago diruta] Incensa. Horatius Carmin. l. IV. Od. 8. 'Non incendia Carthaginis impiæ, Ejus, qui domita nomen ab Africa Lucratus rediit, clarius indicant Laudes, quam Calabræ Pierides.' Et libro Epodôn Od. septima: 'Non ut superbas invidæ Carthaginis Romanus arces ureret.' Et Florus l. II. c. 15. per continuos decem et septem dies vix potuisse incendium exstingui tradit. Et aratrum passa. Modestinus JC. l. si usus fructus. D. quibus modis usus fructus amittatur: 'Si usus fructus civitati legetur, et aratrum in eam inducatur, civitas esse desinit, ut passa est Carthago.' *Schegk.*

Annis DCLXVII.] Abit a se Velleius, si scriptura sincera. Supra enim monuit LXV. an. Carthaginem ante urbem conditam. Igitur exactius constaret cum Eutropio, qui DCLXX. annos exprimit. Pugna quoque de tempore hujus secundi belli Punici. Livii Epitoma cum Orosio et Eutropio initium ponit alterum et sexcentesimum annum U. C. Et intra quintum postquam cœptum, consummatum. Dissentiunt Fasti, quibus U. C. ann. DCIV. Hæc curatius tractare Fastographorum est. *Idem.*

Ante annos CCXCVI.] Justa computatio, CCXCII. Paullo ante etiam, CLXXIV. *Lipsius.*

Si nomen usquam] Ita legit Lipsius: *Si nomen usquam stantis maneret Carthaginis (adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat, et ne in victos quidem deponitur) neque ante invisa esse desiit, quam esse desiit.*

Invisum] Non est necesse hæc avellere a gnoma superiore, si modo *invisum* interpreteris ac si neutri esset generis, notaretque *rem invisam.* Gruter.

CAP. 13. *M. Manlio*] M. Manilio ex Fastis Capitolinis, et universa historia (ita et Sigon.) *Manutius.*

L. Mummius] Ita recte legit B. Rhenanus, cum ante legeretur *A. Mummius.*

Novis] Nobiles erant, quorum majores imagines habebant: Novi, qui suas tantum, non majorum imagines ex virtute partas habebant. *Novis*] Ecce disertim inter novos homines Mummium ponit Velleius. Atqui Valerius Maximus l. VI. 4. 'ut nobilem, ita enervis vitæ,' dicit. Sed non dubium mihi est, quin apud eum, *ignobilem* rescribi debeat. *Vossius.*

Auctor] Hic ego nihil mutarem: est enim *auctor*, quasi caussa, quia primus ipse et panci præterea doctrinas in urbem Romam induxerunt. *Manut. Auctor*] Nimia pro Scipione laus, fuisse doctrinæ omnis auctorem. Scribo, *fautor*: et id Principi ac militari viro convenit. *Lipsius. Actor*] Quod Lipsius, malit *fautor*, primo, non opus erat, cum admiratio jam favorem includat: deinde nimium de Scipione elogium videri non debet, 'ad quem Terentii scripta' (id est, lneulentissimum et incomparabile elegantioris doctrinæ monumentum) 'referuntur' a veteribus, teste Fabio X. 1. Licet enim hanc opinionem impugnet Donatus, probat ea tamen satis evidenter judicium antiquitatis de doctrina Scipionis. Neque res exemplis caret, si Julium, Octavium, Annibalem aliosque cogitemus. *Boeclerus.*

Polybium] Qui Scipionis socius fuit in expeditione. Ammian. Marcell. XXV. 7. 'Legerat' (Julianus) 'Æmilianum Scipionem, cum historiarum

conditore Polybio Megalopolitano Arcade, et triginta militibus, portam Carthaginis impetu simili subfodisse.' Unde facile deprehendimus, præcipuorum Scipionis operum socium et adjutorem fuisse Polybium: cujus equidem prudentia gerendarumque rerum peritia, cum præcellente ingenio veluti certat in gravissimo Historiarum opere: quod, singulari instituto politicæ informationis atque disciplinæ, omnium inter Græcos industriam superat. Post ipsum, Dionem video hanc viam præclare institisse; nam et hunc, respectu *καιδεύσεως πραγματικῆς*, accuratiorem et profectui civilis viri accommodatiorem ceteris judico. Polybianæ Historiæ præstantiam, ante illustrem Casauboni operam, paucis in mentem venit suspicari; cui propterea plurimum debent prudentiæ solidioris studia. Vid. Præfat. operi præfixam: et Ger. Jo. Voss. de Græc. Hist. I. 9. *Idem.*

Panætiumque] Tullio de fin. IV. 9. vocatur 'homo imprimis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Lælii Panætius.' Felicem tantis amicis Scipionem! quorum convictio non modo prudentiæ, sed virtutis eximia potuit exempla suppeditare. Non enim ex acutis et callidis ad vaframenta consultoribus fuere, quales hodie in deliciis et honore habentur: sed qui 'nihil utile nisi quod honestum esset,' crederent; sicut Panætium diserte Cicero; Polybium, sua satis superque commendat historia; gravis scilicet et perpetua non virtutis minus generosæ, quam gravioris sapientiæ magistra. *Idem.*

Elegantius] Erit forte, qui *diligentius* malit. Ego pro hoc idem istuc esse aio; idque attestabitur mihi, qui paullo diligentior fuit Gelli lector. Et vero eleganter quid est, nisi cum electu seu delectu? quis elegans, nisi qui eligit, diligit, lectaque amat et usurpat? *Acidal.*

Dispunxit] Verbum sollemne Numulariorum, et qui medium Janum adsident. Seneca de Benefic. l. IV. c. 31. 'Apud me istæ acceptorum; expensorumque rationes dispungentur.' Hinc Tertulliano, 'Deus meritorum judex et dispunctor.' Liberalia vero Scipionis studia ex historicorum, et passim Ciceronis libris abunde in mundo: de quo fertur, dixisse, 'Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus:' magnifica vox et magno viro ac sapiente digna. *Schegkius.*

Capta Corintho] Ann. III. Olympiadis CLVI. Plinius l. XXXIV. 2. Pausanias Olymp. CLX. propter legatos Romanos, dubium an et manu, certe oratione violatos. Florus l. II. 16. Cicero pro L. Manilia, Pausanias, Zonaras tom. 2. Æris Corinthiaci originem, mixturam, nobilitatem graphice Plinius, Florus, et elegantissimus Muretus Variar. l. VII. 5. describunt. *Idem.*

Corinthiorum] Nimiam Corinthiorum æstimationem, quam hic perstringit Velleius, 'furorem' vocat Seneca de Brev. Vit. 12. *Boeclerus.*

Quin hac prudentia] Burrerius legit, *quia hac prudentia.*

CAP. 14. *Priorem hujus voluminis*] Mirum quantopere hic hæsitarit summus vir Justus Lipsius. Desiderare se ait priorem illam partem, ubi auctor noster similiter colonias enumeravit, quæ ante Romam a Gallis captam sint deductæ. Statuit igitur, Velleii historiam olim in plures, quam duos fuisse libros divisam. Ego plane ab ejus sententia recedo. Et faciunt pro me hæc ipsa Velleii verba, e quibus ille se explicare non potuit. Sensus est: Statui hic abrumpere priorem partem operis mei, ordiriique posteriorem, ubi inseruero quæ-

dam de temporibus Coloniarum. Unde ipse postea Velleius ait, particulam hanc operis formam propositi excedere. Itaque vere ἔκβασιν, sive excursum dixeris, quæ hinc usque ad initium libri posterioris sequuntur. *Vossius.* *Priorem hujus voluminis*] Digressio nobilis de coloniarum deductione et civitatum propagatione: cui similis est ea, quæ legitur posteriore voluminis parte (volumen enim hoc loco notat totum opus Velleii) id est, II. 38. et 39. de Provinciarum origine. Quærat autem forte aliquis, quomodo brevitati Velleianæ conveniunt istæ ἐκβάσεις, majoris diverticula operis? Quomodo item ad hujus loci institutum pertinet coloniarum recensio? Spectanda enim in digressionibus hæc talia ostendit Cl. Vossius de Art. Hist. 22. De cohæsione ut hic aliquid comminiscamur, non videtur opus esse: cum Velleius ipse utilitatem potius et τὸ ἀξιομνημόνευτον hujus notitiæ, quam εὐκαιρίαν sibi propositam significet. Quæ ratio vel sola apud æquos judices ad veniam et laudem valere potest. Sicut nec compendia unius omnia generis æstimanda, uniusque legis rigore constringenda sunt. Est enim hoc opusculum Velleianum ex iis, 'quæ in minore quidem ambitu, omnem tamen majoris et pragmatici operis artem moremque retinent.' *Boeclerus.*

Deducta sit colonia] Totam hanc egressionem Velleianam veluti commentario illustravit Sigonius de Antiq. Jur. Ital. l. II. Sicut, quæ de militaribus mox dicuntur l. III. ubi et supplet, quam Velleio præterire placuit, 'militarium coloniarum recensionem.' Ex hoc Scriptore et Pighii Fastis petantur ea, quæ explicando Nostro idonea huc transcribenda neutiquam judicavimus. *Idem.*

Militarium] De coloniis vero militaribus erudite disserit Sigonius, l. III. 4. de Antiquo Jure Italiæ. Ut nihil habeam, quod addam; nisi quod earundem etiam mentio sit in monumento Ancyrano. *Vossius.*

Civitates propagatas] Quas civitates? logi et flocci. Scribe, *civitatem propagatam*, singulari numero: et accipe de Romana. Ego, inquit, colonias recensebo: et eadem opera, communicatam cum finitimis civitatem. Utrumque enim ad ampliationem imperii spectat: sive cum missi in exteros e civibus coloni, sive cum exteri admissi in cives. Clarum hoc ex ipso contextu Velleii, cui passim inseritur, 'Aricini in civitatem recepti:' item, 'Aceranis civitas data:' et plura tu vide. *Lips.* *Civitates propagatas*] Lipsius voluit *civitatem propag.* scilicet de jure civitati dato, sicuti passim sequitur. Videtur tamen idem sensus e lectione usitata (quam non temere mutare debemus) prodire. Quidni enim propagantur civitates, dum communione juris Romani civitates denuo quasi fiunt; id est, tales, sive Romano jure gaudentes? *Boecler.*

Sutrium] De sequentibus coloniis vide Cluv. Ital. Ant. *Sutrium*] *Sutrium* Livius, Pliniusque nominant: Silius tamen *Sutrium* agnoscit, l. I. 18. 'Sabatia quinque Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta.' In antiqua quoque inscriptione 'Sutria colonia' nominatur. Dissentit a Livio, et aliis, Velleius in annorum ratione: siquis tempora distinguit ordine consulum, qui a Velleio nominantur. *Manutius.*

Setina] Manutius legit *Setia.*

Nepe] Lego, *Nepet.* Ita scribendum ejus urbis nomen, docent Charisius, ac Priscianus. Nec aliter apud Livium, aut Plinium, legas. Ptolemæo est Νέπετα. Interim, ut hoc dubitem, facit Procopius l. XV. rerum Goth. cui urbs hæc Νέπα vocatur. Imo et similiter 'colonia Nepensis' dicitur Frontino. Nam a

Nepet, fit Nepetensis. *Vossius.*

Abhinc annos] Videatur ad hunc locum omnis antiquitatis condus promus, Stephanus Pighius in fastis suis. *Gruterus.*

Campanis data est civitas] Imo ante data, si Livio fides, l. VIII. 'Campanis equitibus, honoris caussa, quia rebellare cum Latinis noluissent, sine suffragio civitas data.' Id ipse refert in Consules L. Furium, C. Mævium: essetque quadriennium ante Velleii notam. Sed enim Livius ibi signate de equitibus tantum commemorat, Noster de Campanis universis. Illi ergo beneficio hoc priores affecti. *Lipsius. Civitas*] De jure civitatis et suffragii vide Sigonium.

Interjecto] Consule et ad hunc locum amicissimi Pighii elaboratissimos Fastorum libros; quos cum morte præventus non absolverit, manebit perpetuo imperfecta Venus illa historica. *Gruterus.*

Alexandria] Idem Patavinus conditam vult C. Pœtilio, L. Papirio Cursore Coss. et Solinus cum eo, cap. 35. itemque Cassiodorus. Hoc esset quadriennio serius, quam pro Velleii calculo. *Lips.*

Tarracinam] Lipsius *Tarracina:* monet Raphel. in Var. Lect.

Luceria] Decennio toto Livius dissentit. Quid ista fastidiose colligam? Commentarius proprius huic rei instituendus sit: quam tamen satis industrie libarunt Sigonius et Onufrius, boni vindices rerum Romanarum. *Lips.*

At quintum] Vulgo, *ad. At quintum*] E. V. sic habet: *ad quintum Fabioque Decio Mure quarto Cons. quo anno, &c.* Locum hunc veræ ac genuinæ lectioni suæ sic restituendum puto. Qui aliquando veterum exemplaria evolverunt, sæpicule, imo fere semper et ubique, *t* pro *d*, et rursum, *d* pro *t*, legerunt; ut *haut* pro *haud; aput* pro *apud;* et *at* pro *ad*, multaque hujusmodi. Noverunt item pleraque veterum exemplaria sine majusculis literis, sine punctis; demum etiam sine omni sententiarum discrimine scripta. *Burrerius.*

Decio Mure] Legendum, juxta Ursinum, *P. Decio Mure*, non ut vulgo, *Q. Decio;* cui et astipulatur Lipsius.

CCCXX.] Ita emendat Burrerius ex vetusto exempl. Antea erat CCCXXX. CCCXX.] Verior supputatio CCCXIIX. et paullo post pro *Cossam* malim *Cosam.* Raphel.

Cossam] In Ms. fuit *Coss.* Lego *Cosam.* Et ita hujus urbis nomen etiam scribunt Virgilius, Suetonius, Rutilius, Antoninus, Martianus Capella, aliique. Forsan et ipse Velleius lib. II. ubi tamen potior lectio fuerit *Compsam.* Plerique alii *Cossam* nominant; quod tantundem est, ut alibi monemus. Apud Obsequentem mendose legitur, *Consa.* Errori forsan locum dedit Hirpinorum *Compsa.* Idem tamen nomen etiam obtinet apud Epitomatorem Livii lib. XII. Sed recte quoque illic Sigonius ac Cluverius *Cossa* emendarunt. *Vossius.*

CCC.] Jure hic illud *ferme* repetit, cum desint tres anni ad justum numerum CCC. supplendum.

Beneventum] Colonia cum deduceretur adpellari cœptum melioris ominis caussa; namque eam urbem antea *μαλόεντα* adpellarunt. Festus, et ibi divine Scaliger. *Scheglius.*

XXII.] Manutius legit XVII.

Fregellasque] Car. Sigonius *Fregenasque.*

Floralium ludorum] Florales ludi mense Aprili instituti, hoc est, 4. Cal. Maii. Anno ab U. C. 516. idque ex Sibyllæ oraculis, ut omnia defloresserent bene, in quorum jocis Ædiles, teste Porphyrione, spargebant populo cicer et fabam, et eodem spectante nudabantur mulieres. Trahunt nomen a Flora muliere, quæ cum magnas opes meretricio quæstu acquisivisset, populum Romanum hæredem reliquit cum magna pecuniæ vi,

ex cujus fœnore suus dies natalis celebraretur editione ludorum, quos Floralia dixerunt. Sed quod Senatui flagitiosum id videbatur, ut scribit Lactantius, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deamque esse finxerunt, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene florerent. Eum colorem secutus Ovidius in Fastis, non ignobilem nympham fuisse canit, cui nomen fuerit Chloris, quæ, Zephyro collocata in matrimonium, dotis loco id muneris a marito acceperit, ut omnium florum potestatem haberet. Digna quoque Poëtæ verba, quæ subtexantur: 'Chloris eram' (inquit) 'quæ Flora vocor, corrupta Latino Nominis est nostri littera Græca sono. Chloris eram Nymphe campi felicis, ubi audis Rem fortunatis ante fuisse viris.' Et postea: 'Est mihi fœcundus dotalibus hortus in agris: Aura fovet, liquidæ fonte rigatur aquæ. Hunc mens implevit generoso flore maritus, Atque ait: Arbitrium tu Dea floris habe.' *Fungerus.*

CAP. 15. *A Lupercali*] Servius dicit fuisse speluncam sub monte Palatino, in qua capra luebatur, id est, sacrificabatur. A Lupa nutrice Romuli nomen accepisse Ovidius voluit. Templi hujus sacerdotes Luperci appellantur. Vide Valer. lib. II. et Marlian. Topogr. Rom. lib. II. c. 12.

Theatrum facere] Lapideum, cum antea tumultuarium ex ligno, aiunt docti viri, extrueretur. Quibus non adsentio. Valerius ecce, cum Livio lib. XLVIII. Orosio lib. IV. c. 21. Augustino De civitat. Dei, lib. I. c. 31. tradit excogitatam et inchoatam hanc rem ab his censoribus: ceterum auctore Scipione Senatusconsulto cautum, ne quis in urbe propius ac mille passus subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet. Et absque his, vel forte argumentum, quo inter omnes constat L. Mummium principem temporarium e ligno extruxisse theatrum. Moventur doctissimi viri auctoritate Ausonii, cujus versus propter elegantiam, et quia clara lux huic loco, adscribo: 'et Atticis quoque, Quibus theatrum curiæ præbet vicem Nostris negociis sua loca sortito data. Campus comitiis, ut conscriptis curia, Forum atque rostrum separat jus civium. Una est Athenis, atque in omni Græcia Ad consulendum publici sedes loci. Quam in urbe nostra sero luxus condidit. Ædilis olim scenam tabulatam dabat, Subito excitata nulla mole saxea. Muræna sic et Gallus. Nota eloquor: Postquam potentes nec verentes sumtuum Nomen perenne crediderunt, si semel Constructa moles saxeo fundamine, In omne tempus conderet ludis locum: Cuneata crevit hæc theatri immanitas, Pompeius hanc, et Balbus et Cæsar dedit Octavianus, concertantes sumptibus.' Non pugnat hic locus, magis a nobis. Ante illa theatra fuisse negamus, non post illa; quæ Ausonius aperto sensu intelligit: et de quibus, ut statim post ludos destruerentur, leges latas Tertullianus in Apologetico docet. Vide et Scal. Auson. Lect. lib. II. c. 1. *Scheglæ.*

Cui in demoliendo] *In demoliendo*, dixit, pro *ut demoliretur*. Vel lege, *moliendo:* ut sit: *Molienti theatrum Cassio consul Scipio, civitatisque summa severitas restitit.* Historia patet ex Valerio, Appiano, Epitome Liviana, Augustino de civitate Dei, Orosio. Quod tamen Scipioni consuli (sic enim legendum puto, non Cæpioni) Velleius et Appianus tribuunt, id ex Epitome, et Fastis Capitolinis, post consulatum esse factum, plane constat. *Manutius. Cui in demoliendo*] Sententia clamat legendum *emoliendo*. Cœperat moliri theatrum: emoliri non potuit, civitate et Scipione resistente. *Lipsius. Cui in demoliendo*] Lipsius *emoliendo* substituebat. Aci-

dalius, *cui in demoliendo*. Gruterus [illegible] verba *in demoliendo* plane abjicit. Sed fortasse simplicissime *demoliri*, pro *moliri*, accipimus. *Boecler. Cui in demoliendo*] Derivativum, pro primo, *moliendo*. Sic, 'Deamo te, Syre,' pro *amo*, Terent. Heaut. Act. IV. Sc. 6. 'Detexere,' pro texere, Virgilio Eclog. II. et Sulpitiæ in Satyra. Ita etiam, 'partum non deformatum,' pro *non formatum*, dixit Sulpitius Hist. Sac. lib. I. Qualia passim apud anctores obvia. Unum jam modo Livii exemplum producam, quod viros eruditos hactenus vexavit. Libro XXII. cap. 4. de pugna ad Thrasymenum: 'Id tantum hostium, quod ex adverso erat, adspexit: a tergo, ac super caput detectæ insidiæ.' Glareanus, cum monuisset *detectæ* positum pro simplici *tectæ*, hominum doctissimorum cavillos effugere non potuit. At ne quid ei posthac ogganniant, audiant ipsum Livium eodem libro loquentem, 'Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori: quia non modo sylvestre quicquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat: re ipsa natus detegendis insidiis,' &c. *Vossius.*

Scipio] Vulgo *Cæpio*. Scribendum, *Scipio*; idque certum est: sed an tunc *Consul?* Consularem eum fuisse et jam abiisse honore illo, Epitoma Livii et Fasti evincunt. Nam de Scipione Nasica sermo est, qui Consul secundum fuit, biennio ante Valerium Messallam et Cassium Longinum Censores. Quomodo ergo Consul id impedierit? Tamen haud temere in Velleio mutem, qui tempora fortassis Censuræ hujus aliter digessit: præsertim cum Appianus pro eo I. Civil. Τῷ δὲ αὐτῷ χρόνῳ, inquit, Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον, οὗ Λεύκιος Κάσσιος ἦρχετο: *Eodem tempore Scipio Consul diruit theatrum, quod caperat Lucius Cassius.* Lips. *Scipio*] Rhen. *et Cos. Cæpio.* Quis acri pectore non videt legendum, *et consularis Scipio?* Non animadverterunt docti viri, τὸ Cos. veteri librario, *Consulem, Consularem, Consulatum* denotare. Clarum exemplis. Infra, 'Merula autem qui se sub adventum Cinnæ Cos. abdicaverat.' Hic vir doctus male, *consulis*, cum flagitante historia, *consulatu* legendum. Et de Lucullo; 'Qui ante septem annos ex Cos. sortitus Asiam.' Vera scriptura, *consulatu*, non *consule*, ut quidam. De Dolabella, 'atque insignia corripuisset Cos.' legend. *consularia*, ut recte edidit Manutius, non *consul*, ut Gryph. Dixit *in demoliendo*, derivatum pro primævo, veteribus Grammaticis notatum genus. *Schegkius.*

Sextio Calvino] Vulgo, *Sestio Sestio Calvino*] Scribendum, *Sex. Calvino:* nam *Sextus* familiæ nomen est, non prænomen. Sex. autem Domitius Calvinus Consul fuit cum C. Cassio Longino. A. P. R. C. D. DCXXX. *Ursin.*

Sallues] Gryphii liber, *Salluyes:* non *Salyes*, e Strabone lib. IV. et Obsequente. Plinius tamen lib. III. c. 4. *Salyos* nominat; Florus, et Epitome Liviana *Salvios.* Manut.

CLVII.] Emenda cum Lipsio, CLII.

Ut prædiximus] Nec dixit, nec opportunitatem dicendi ullam supra habuit: nisi vocem *prædiximus* ad originem Carthaginis, non ad coloniam referamus.

Narbo Martius] Vetus Marmor apud Ortelium, NARB. MART. Extollitur ab Ausonio Carthago illustrium urbium, et Sidon. Apoll. *Schegk.*

CLIII.] Lips. credit leg. CXLVI.

Tres et viginti] Lege, XIIX. *Tres et viginti*] Alii, *duo de viginti*, non *duo et viginti*. Quod monuerant etiam Pighius in Annalibus Romanorum, et Philippus Cluverius in Italia Antiqua. Ab iis igitur fundamentum hujus lectionis petatur. *Vossius.*

Vagiennis] Exemplar vetus *Bagiennis.*

Nisi militaris] Videtur ergo duo ge-

nera Coloniarum *facere*, Civilem et Militarem. Illam dicere, quæ ex civibus togatis et miscellis deducta: hanc, quæ e legionibus cohortibusve, cum militia scilicet defunctæ collocabantur in oppidis et agris, et id quasi præmium habebant sanguinis pro rep. fusi. Sed tamen Velleius, quidquid excuset, ne Togatas quidem illas cum cura satis enumeravit. Video omissas in hoc recensu colonias ad XIX. et quasdam ex iis vel maxime illustres. E Livio disces. *Lipsius.*

CAP. 16. *Pronive*] Rapidi.

Verticis] Quintil. lib. VIII. c. 2. verticem esse dicit 'contortam in se aquam, vel quicquid aliud similiter vertitur.'

Ad liquidum] Verbum elegans et non e vulgo. Livius lib. XXXV. 'Et si quid novi adferret, argui posset, donec ad liquidum veritas explorata esset.' Hinc bonis auctoribus; 'Liquido jurare,' Indicibus formula; N. L. Jurisconsultis; 'ad liquidum diem et consulem exquirere.' *Schegk.*

Quis enim abunde] Locum male cohærentem et corruptionis manifestum facile equidem fuerit interpolare conjecturis, quod et a plerisque factum est. Sed, ut quod sentio dicam, nulla hactenus restitutio mihi talis videtur, ut Velleianam scripturam restauratam existimem. Cujus quis fuerit sensus, omnes vident. Sed illum suppleri interpretando a quovis, quam verbis auctoris redhiberi ab ullo posse, promtius crediderim. *Boeclerus.*

Artati] Non male vir doctus, *arctata.*

Congruens] Lipsius leg. *congruant.*

Capsa] Restitui fide codicis Ms. *capso.* Notat autem *capsus*, *sudem*, vel *locum septum.* Quod ad Flavium Vopiscum, egregie observat vir incomparabilis Cl. Salmasius. A quo omnino huic loco lux petenda est. *Vossius.*

Alienis] Non nemo, *separata ab aliis*, nisi fortean *alienis* pro *alienigenis* positum sit. *Schegkius.*

Quoque] Scribe, *quæque:* et paullo ante, *aliove.* Lipsius.

In similitudinem, &c. separaverunt] Vult nimirum, in diversis quibusque artibus, uno tempore, profectu simili, ad eandem præstantiam eminentiamque clara ingenia simul omnia pervenisse, ut quamvis professu diversissima, profectu alia aliis invicemque sibi omnia videantur quam simillima. Ita dissimilitudine quadam similia, et separatione a se, inter se fuere comparata. *Acidalius.*

Æschylum, Sophoclem, &c.] Hi, veluti principes carminis Tragici, etiam a Cicerone conjunguntur, de Orat. III. 7. Quintil. Instit. Orat. X. 1. Isac. Tzetz. in proleg. ad Lycoph. vide Gyrald. Hist. Poët. dialog. 6. et 7. *Boeclerus.*

Priscam illam] Nam *Media* inter veterem et novam Comœdia veluti *transitus ad Novam*; aut *inchoatio Novæ* videri potest; itaque ferme passim 'Vetus et Nova' tantum nominatur. Consulendi Jul. Scalig. Poëtic. I. 7. Pontan. Philocal. X. 12. Cl. Heins. dissertat. ad Horatii de Plauto Terentioque judicium. Comicos hoc discrimine et exemplo ita commemorat Isacius Tzetzes in Proleg. ad Lycophr. Κωμῳδοὶ πραττόμενοι, Ἀριστοφάνης, Κρατῖνος, Εὔπολις, Φερεκράτης, καὶ ἕτεροι καὶ νέοι, Μένανδρος, Φιλήμων, Φιλιστίων, καὶ πλῆθος πολύ. Horat. Satyr. I. 4. ubi interpretes. *Boecler.*

Comicam] Vox *comicam* redundat, et ascititia est. Statim, *imitandam*, pro *imitanda*, scribe. *Lipsius.*

Imitanda] Frustra emendant, *imitandam.* Nam illud, *imitanda*, capiendum, ac si neutri sit generis, ut subaudiatur *opera.* Sic paullo post: 'reperiet eminentia cujusque operis artissimis temporum claustris circumdata.' Quamquam et ille locus mangonum manus effugere non potuerit. Ita et supra, 'invisum,' pro 're invi-

se,' dixit Velleius: 'Neque ante invisum esse desinit, quam esse desiit.' Quod recte ibidem, contra Lipsium, monuerat etiam Gruterus. *Vossius.*

Ore] Quidam legunt *rore*, sed non opus est.

Quos paullo ante] Ubi enumerasti? nusquam in iis quæ nunc sunt. Periit ea quoque pars, et doleo. *Lipsius.*

Quid ante Isocratem] Unde Ciceroni de Orat. II. 3. 'Pater eloquentiæ' dicitur: et c. 22. 'communis magister' oratorum ejus temporis, 'ex cujus ludo meri principes prodierint.' *Boeclerus.*

Adeo quidem artatum] Lipsio lubet legere, *adeoque iidem artati*: Acidalio, *adeo quidem artati*. Est, qui cum complexu, ad præcedentem formulam refert: *quid clarum in orat.* Censebam aliquando, *adeo quidem artorum angustiis temporum*, ut a verbo *fuit* sustinerentur sequentia: quod tamen pridem non satis placet. Possemus haud paulo liquidiore conjectura uti, si certam haberemus lectionem superioris, qui corrupte legitur in hoc capite, loci; *in eandem formam, et in idem artati temporis congruens spatium.* Boeclerus.

Nequiverint] Lege, *nequiverit*. (Posse retineri pluralem notavit Sylburg.) *Manut.*

CAP. 17. *Eum*] Vulgo, *eorum*. Lectum etiam teste Rhenano, *quorum Romana, &c.* Sed recte, uti editum est, emendavit Burrerius.

Per Cæcilium, &c.] Vide omnino egregiam dissertationem et judicium de Comiciis Jani Rutgersii Var. Lect. IV. 19.: ubi hujus quoque loci Velleiani mentio et illustratio habetur. Plautum in hac enumeratione Nostri auctoris omissum plerique mirantur, aliqui et indignantur. Respondet Lipsius: factum hoc ætatis respectu, quo Plautus paulo ab his remotior erat. *Boecler.*

Sub pari ætate] Lipsius *suppari*, legit: ut et Rutgersius loco jam adducto, et Acidalius. Bene. *Idem. Sub pari ætate*] Scribe junctim, *suppari ætate*. Nam intervallo aliquanto se consecuti sunt, et, ut Noster alibi loquitur, gradibus quibusdam ætatis fuere dirempti. *Acidal.*

Historicos] Vide Voss. de Histor. Roman.

Pace P. Crassi, &c.] De quibus Tullius in Bruto, id est, in Critico Oratorio, eximia judicia pronuntiat. *Boeclerus.*

Tullio] Idem Quintiliani judicium est Instit. Orat. XII. 10. Et cujus non? Esset enim hoc in clarissimum solem mortale lumen inferre, si quis auderet Ciceronis supremam in dicendo gloriam demonstrare. *Idem.*

Hoc idem evenisse] De quibus rursum Quintil. XII. 10. diserit. *Idem.*

Plastis] Intelligere autem videtur statuarios; nam alias ex quinque statuariæ speciebus, Plastice vocatur quæ argillam tractat.

In emolumentum] Inspicienti legendum mecum videbitur, *emolimentum*. Nam hoc ait, Ingenia congregari a quoque sæculo et in idem studium, et in parem fere effectum. Voluit idem, et idem fere emoliuntur. Tamen et vulgatum fero, ac capio. *Lipsius. In emolumentum*] Non dubito, locum hunc corruptum esse; sed inter doctorum conjecturas hæc facilior visa est, quam expressimus; certe, pro *emolumento, emolimentum* (ab emoliendo) hic substitui, nimis quam quæsitum apparet. *Boecler.*

Incitationem] Acidalius legit *imitationem*. *Incitationem*] Minima quidem mutatione feceris *imitationem*: sed nihil ea necesse est. Incitatur enim industria, modo rei pulcritudine, modo livore; cum aliquem sibi æquatum cernit prælatumve cui se parem sentit. *Gruter.*

Naturaque] Acidalius legit, *maturaque.*

Naturaliterque] Hæc ego, quæ de ingenio Velleius, translata arbitror

ex iis, quæ de Athletarum corpore scribit Hippocrates Aphorism. lib. I. §. 2. Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι, σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέ τι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον: *Athletarum boni habitus, ad summum progressi, periculosi, si ex extremo constiterint. Neque enim possunt in eodem statu permanere neque quiescere. Cum vero non quiescant, neque ultra possint in melius proficere; reliquum est, ut in deterius labantur.* Vossius.

Perfecti operis impedimentum sit] Resisto. Perfecti patratique operis quomodo aliquod impedimentum esse potest? nec Dii quidem, ut vetus verbum habuit, revocaverint aut impedierint facta. Vide num legendum *indicamentum* sit. Velleii mens ita suadet, qui jam ante dixit 'difficilem in perfecto moram esse:' et ingenia novæ laudis stimulo aliorsum trahi, et quærere illibatam materiam. Itaque nunc addit: maximum hoc esse perfecti operis indicium, transiri vulgo ad aliud opus. *Lipsius. Perfecti operis impedimentum sit*] Lipsius *indicamentum* volebat: eo quod perfecti jam patratique operis nullum possit esse impedimentum. Sed omnino non est tentanda hæc lectio, qua Velleius nihil aliud, quam id exprimere studuit; dum homines, desperantes æmulationem perfecti jam ab alio operis, alias sibi vias subinde quærunt, fieri, ut perfectioris operis gloria hoc pacto relicta diuturna non sit: cum alias, si præclara ingenia perseverarent in eo eniti, in quo jam alios vident excelluisse, directa hæc ad perfectionem operis vel conservandam vel ornandam via foret.' Est ergo 'impedimentum perfecti operis' hoc loco *detrimentum*, quo perfectio alicujus rei debilitatur, quo ἀκμὴ ad παρακμὴν inclinatur, adeoque fastigium et præcellentia illa, quo minus æqualiter se et constanter habeat, impeditur. *Boeclerus.* [Adde quod nihil adeo perfectum, cui non aliquid addi possit.]

Cap. 18. *Ad conditionem*] Lipsius et Schegkius rescribunt: *Transit admiratio a conditione temporum et ad urb.* Boecl.

Uberiusque] Ita emendat Lipsius. Vulgo *operibusque*: per opera autem res gestas intelligit Acidalius.

Separata sint] Si abesset verbum substantivum, melius processuram sententiam Gruterus existimat. *Boeclerus.*

Quæ urbes, et multæ aliæ] Tria hæc postrema verba ab aliena manu esse arbitramur, eoque inducenda. *Lips. Quæ urbes, et multæ aliæ*] Non existimandum est, illa verba *(et multæ aliæ)* plane irreptitia esse. Fuit enim in Ms. *et initalia*, ex quo non nemo fecit, *et multæ aliæ*. Quæ conjectura licet nemini possit usquequaque probari, tamen nec illa parum difficultatis in sensu adfert, si retineamus: *et in Italia*: vel, *et in Ital.* Boecler.

Pindari] Qui tamen ferreas habet metaphoras, unde Horat. Carm. l. IV. Od. 2. illum inimitabilem esse dixit: 'Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope Dædalea Nititur pennis, vitreo daturus Nomina ponto.'

Nam Alcmana Lacones] Alii *Lydum* fecere. Quam litem dirimit Cl. Salmasius Exerc. Plin. c. 40. principio partis, ex veteri epigrammate, quod ap. Plutarchum περὶ φυγῆς extat, unde patet *Lydium* origine, parentes Sardibus oriundos habuisse, Spartæ educatum, eoque nomine *civem Spartæ* habitum fuisse. *Boeclerus.*

LIBER II.

CAP. 1. *Remoto Carthaginis metu*] Cicero enim contra Rullum II. adfirmat, Romanos tantum Carthaginem, Capuam, et Corinthum in terris, propter domicilium imperii, metuisse urbes. *Schegk.*

Non gradu, &c.] 'Ex quo tempore,' ait Sallustius, apud Augustinum de civitate Dei lib. II. 18. 'Majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati, adeo juventus luxu atque avaritia corrupta est, ut merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati.' Totus in hoc idem in Catilina, Jugurtha, et historiarum I. Recte igitur Florus lib. IV. 'Pœnorum hostium imminentem metum disciplinam veterem continuisse' scribit: hinc perpetuæ contentiones Scipionis cum Catone, diruendæ ejus auctore. *Idem.*

Ad vitia transcursum] Gruterus jugulari mallet vocem ultimam. Cui non assentio. Nec enim Velleio in animo fuisse conciso genere sermonis uti, arguit, quod nulla pagina occurrat, ubi non plurimas voces resecare potuisset. *Vossius.*

Tum Scipio] Quando? an eversa Carthagine? minime, sed remoto tamen ejus metu. Cum jaceret Carthago, insurgere luxus apud Romanos cœpit: et structa hæc, quæ dicit. Scipio quidem porticus has fecit Censor, ut ipse paullo post adnotat: hoc fuit decem circiter ante versam Carthaginem annis. Simile de Metello, et de Octavio. *Tum* igitur benigne interpretabere: et quasi dixisset, Sub id tempus. *Lipsius.*

Metellus] Porticus Metelli ad fi-

Delph. et Var. Clas.

nem circi Flaminii. Varro, Vitruvius, Plinius lib. XXXIV. *Schegk.*

In circo Cn. Octavius] Quæ a veteribus duobus appellitata nominibus; Corinthia, a structura, Persei sive Macedonica, ob regem Persea devictum, et triumphum, in quo hæc talia fercula. Plinius in Flaminio ponit. Meminit Cicero in Officiis. *Idem.*

Triste deinde] Flor. II. 17. 15. 'quique ibi Camertis industria indicantur Scriptores:' præsertim Appian. Hispan. *Boecler.*

Adversa] Victis prætoribus duobus M. Vetilio, C. Plautio, et Cl. Unimano. Florus, Cicero Offic. II. Valerius lib. VI. Plinius lib. VIII. Orosius, Eutropius, alii. *Schegk.*

Fraude magis] Merito perstringit Velleius degenerem et illicitam Cæpionis fraudem in tollendo Viriatho; nam hæc talia non possunt jure armorum regi, sed inter flagitia belli numerari debent. Videndus H. Grotius de jur. Bell. et Pac. III. 4. 18. cum annotatis in novissima editione. *Boecl.*

Nunquam decem millibus] Aldus ac Lipsius, transpositis verbis, legunt, *Hæc urbs nunquam plura, quam* X. *propriæ juventutis, armavit.* Sed Velleiana χρῆσις potius postulat τὸ *quam* induci. Et ita jam ab Marneffio, ac Stephano, aliisque excusum video: idemque etiam probarunt Ursinus ac Claudius Puteanus. Porro hunc numerum binis millibus minuit Appianus: Florus autem, et Orosius, plus demunt dimidio: nam de quaternis solum millibus loquuntur. Sed utrumque id virtuti suæ gentis dedisse crediderim. *Vossius.*

Pompeium] De hoc ipso Pompeio

Paterc.

primo ejus nominis consule infra clarius, adhibita temporis luce. 'Seu duas seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus ejus nominis ante annos fere CLXVIII. Q. Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit.' *Acidal.*

Ad turpissima] 'Numantinum fœdus horrenda ignominia maculosum' vocat Augustin. de C. D. III. 21. Quintilianus etiam l. III. 8. inter ea refert, 'quæ, qui turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probent.' Talia plura apud alios auctores. *Boecler.*

Mancinum verecundia] Num Mancinus impunitus fuit, quem Romani nudum, ac manibus post tergum religatis, Numantinis tradidere? Atqui vel maxima ea pœna fuit. Ita igitur concipe hunc locum: *Sed Pompeium gratia impunitum habuit. Mancinum verecundia, quippe non recusando, perduxit huc, &c.* Inter alios, præcipue hoc firmat Cicero lib. III. Officiorum; 'C. Maucinus' (ait) 'ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, Sex. Atilius, ferebant. Qua accepta, est hostibus deditus.' *Vossius. Mancinum verecundia*] Si vellemus hunc locum distinctione quadam corrigere *(sed Pompeium gratia imp. habuit. Mancinum verecundia q. n. rec. huc perduxit, &c.)* in sensu quidem nihil erit incommodi, sed illud *(quippe non recusando)* valde inficeto maleque cum textu cohærenti glossemati comparandum erit. Posset itaque fortasse lectio usitata prorsus tolerari. At, inquis, quomodo impunitus diceretur, qui hostibus deditus est? Quia, 1. in illa deditione non receptus. 2. pristino honori restitutus. 3. ad novos honores admissus est. 4. adeo ut nec ipse pœnæ loco duceret eam deditionis contumeliam; quippe qui 'eodem habitu sibi statuam instituit, quo deditus est,' annotante Plinio XXXIV. 5. Verecundiam Mancini, quam Velleius vocat, id est, agnitionem culpæ et voluntariam susceptionem pœnæ, laudat ac explicat Cicero Offic. III. 30. loco superius citato. *Boecler.*

Fetiales] Qui bello, paci, et conditionibus pangendis, item deditionibus noxiorum præerant. Vide Dionys. Halicarn.

CAP. 2. *Quippe Tib. Gracchus*] De hac seditione vid. Flor. III. 14. 'nominatique a Camerte Auctores.' *Boecler.*

Omnibus statum concupiscentibus] Nobis hæc impura. Quid est *concupiscere statum?* aut quis sic e prisco Latio? Quid hoc etiam ad Graechi leges? Emendo, *omnium statum concutientibus.* Et profecto verum est. Leges istæ Tiberii, inquit, omnium fortunas et statum concutiebant. Quomodo? quia agros jamdiu possessos, alienatos, venditos, in dotem datos, iterum vindicabant in publicum, et auferebant dominis priscia. Itaque omnes in metu, et fortunæ plurium incertæ. Appianus et Plutarchus pulchre hoc diducunt: ille primo Civilium, hic in Gracchis. Tu vide. Quod ad phrasim, imo quod ad mentem, pariter Velleius infra de Caii legibus: 'Nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem statu sinebat.' *Lips. Omnibus statum concupiscentibus*] 'Status' est conditio vitæ certa ac stabilis. Ita et infra: 'Quippe nullum habentibus statum, quilibet dux erat idoneus.' Nemo enim, paullo humanior, Sempronia lege agros plebi communicatos nescit. De eadem hac lege Cicero in Sextiana: 'Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortunæ constitui tenuiorum videbantur.' Non necessaria itaque emendatio Lipsii, *omnium statum concutientibus.* Vossius.

Octavioque] Cujus Cicero modicam et Reipub. tolerabilem, et plebi necessariam largitionem vocat. Adi Plutarchum in Gracchis, Epitomen Livii. *Schegk.*

Coloniisque deducendis] Colonias ergo deduxit Tiberius? Cave credas. Litterula ne te induxerit, quin magis tolle. Nam scripsit Velleius, *coloniasque*. Intelligit autem hos quibus agri adsignati, quique in eos deducendi futuri coloni eorum sive cultores. Γεωργοὺς, inquam, οὐκ ἀποίκους. *Lipsius.* *Coloniisque deducendis*] *Colonisque ded.* legit ex fide historiæ Lipsius. Ita malim sane, quam cum Grutero hic *colonias* pro *colonis*, eodem sensu, accipere. *Boeclerus.*

Cap. 3. *Scipio Nasica*] Quid ergo sibi vult vetus Scholiastes Juvenalis, dum ad Sat. III. 137. 'Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes Numinis Idæi,' ista annotat? 'Scipio Nasica, quem propter probitatem vitæ senatus elegit, ut simulacrum matris Deum de Phrygia allatum domi suæ haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges agrarias ferre conantem.' Certe non hic erat, sed ejus nepos, ut recte Velleius. *Idem.*

Optimus] Liv. XXIX. 14. it. XXXVI. 40. et alibi. Elogium 'quod sibi quisque mallet, quam ulla imperia honoresve suffragio seu patrum seu plebis delatos.' Sicut recte judicat idem scriptor. *Idem.*

P. Africani patrui] Vulgo *patruus*. Sed manifestum mendum; nam, si est pronepos Cn. Scipionis qui cum Publio fratre, Africani majoris patre, Hasdrubalis insidiis in Hispania oppressus interiit, non video qui posset esse patruus P. Africani minoris: qui eum ab Africani majoris filio fuerit adoptatus, ita pronepos fuit P. Scipionis, quem in Hispania cæsum diximus, ut hic Nasica ejus Cn. Scipionis, qui cum fratre suo Publio occisus est. Puto igitur legendum, *P. Africani patrui, is privatus, et togatus, &c.* Ut intelligatur de Africano superiore: cujus patruus fuit Cn. Scipio, hic, qui a Velleio vir celeberrimus appellatur, abavus hujus Scipionis, quo auctore Ti. Gracchus est interfectus. *Manut.* *P. Africani patruus*] Legendum *patrui*. Ita optime primus emendavit sive magnus Erasmus, sive alius, qui sexennio post ejus excessum, editionem Basileensem anni CIↃ IↃ XLII., nomen Erasmi præferentem, procuravit. Et sane Cn. Scipionem Africani majoris patruum fuisse, ex Velleio infra, et aliis, constat. Hoc notandum fuit, quia Aldus id parum candide videtur dissimulasse. *Vossius.*

Privatusque, et togatus, &c.] Propinquus Ciceroni in Lælio. Si Canones auctorum juris sequeris, sobrinus, non consobrinus, fuit. Sed hoc tralatitium his promiscue uti notavit doctissimus sui ævi Junius in Nomenclatore ex Cicerone. Quod notandum propter largum peccatum eruditissimorum virorum in stirpe Scipionum. Deinde opponit togatum sive privatum, qui in magistratu est, vel fuit. Infra: 'Sed Hispanis in triumphum et Pontificatum adsurgeret, fieretque ex privato consularis.' *Schegk.*

Circumdata] Quod vulgo legitur, *cum data lævo brachio togæ lacinia*, mendo non vacat. Nec difficilis correctio videtur; ipsa enim sententia *circumdata* reponendum ostendit. Quod Valerii, lib. III. 2. hanc historiam recitantis, confirmat auctoritas. *Manutius.* *Circumdata*] Non *cum data*: ut egregie emendabat Aldus. Moris enim fuit, ut in repentinis turbis imperator laciniam togæ, exerto dextro brachio, ita sinistrorsum in tergum rejiceret, ut ea revocata illum cingeret. Atque hunc habitum cinctum Gabinum vocabant. Quæ colligere possis ex Servio ad VII. Æneidos, Isidoro l. XIX. c. 24. ac vetere Scholiaste Persii ad Satyram v. Utebantur etiam eo, qui sacris belli causa operabantur. Quod observatum Turnebo Adversariorum l. XXII. c. 20. Item, qui urbem essent condituri. Quod

docuit me Cato apud Servium ad Æneid. v. ‘ Condituri’ (inquit) ‘ civitates, taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: et cincti ritu Gabino, id est, toga partem capitis velati, partem succincti, tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent,’ &c. Ita locus hic scribendus est. Eodem habitu etiam indutus apud Corippum lib. IV., Justinus, cum de Senatoribus ditandis agitaret. Verba ejus ita constituenda sunt: ‘ Purpureos augens habitus, ritusque Gabinos: Cujus Hydaspæis radiabat purpura gemmis.’ Corruptissime editum est: *Cujus id aspiciens radiabat purpura gemmis.* Error ex eo, quia *Idaspæis* scriptum erat. *Vossius. Circumdata*] Communi consensu doctorum valuit hæc emendatio, cum fuisset, *cum data.* Causam hujus habitus reddit triplicem Appian. Bell. Civ. I. sive ‘ quod voluerit multitudinem ad se hoc signo contrahere;’ sive ‘ pugnæ seu tesseram proferre,’ sive ‘ reverentia Deorum sua cœpta velut obtegere.’ Quartam ex Plutarcho colligas: ut ‘ facilius per obvios perrumperet hoc habitu,’ quo et ceteri eum sequebantur. *Boeclerus.*

Qui salvam vellent Remp.] De formula hac vide Servium ad initium Æneidos VIII. *Vossius. Qui salvam vellent Remp.*] Haud dubie respicitur his verbis ad morem et solennia ‘ decernendi præsentioris in ultimis casibus auxilii,’ nimirum ‘ ne quid resp. detrimenti caperet.’ Quale decretum a ceteris senatoribus postulatum esse, diserte testatur Valerius: cunctis censentibus, ‘ ut Consul armis remp. tueretur’ (eadem enim vis est hujus sententiæ, ac si dixisset, *videret consul, ne quid resp. detrimenti caperet.* Confer Sallust. Catil. XXIX. Cæsar. Bell. Civ. I. Cicer. Orat. Catil. I. c. 1. et 2. Dion. 48. ‘ negavit Scævola se quidquam vi esse acturum.’ *Boecler.*

Cum catervis suis] ‘ Nam Gracchus domo cum proficisceretur, nunquam minus terna aut quaterna millia hominum sequebantur.’ Asellio apud Agellium lib. II. c. 13. *Schegk.*

Conditionibus] Pactionibus et conventionibus. ‘ Conditionem’ definit Donatus in Andria, ‘ esse pactionem in se certam legem continentem.’ Non tamen dissimulo scripturam Bonhom. *condictionibus.* Etiam non male. Condicere enim veteribus denunciare. Hinc Festo, ‘ Condictio in diem certam ejus rei de qua agitur denuntiatio;’ et Duodecim tabulis, ‘ condictus dies, judicii causa constitutus.’ Usi Plautus Curculione, Apuleius, Cic. Offic. I. *Idem.*

Non consistunt exempla] Pertinet huc eximius locus ex oratione Cæsaris apud Sallust. Catil. 51. ‘ omnia mala exempla ex bonis initiis’ orta sunt: ‘ sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur.’ Vide omnino quæ sequuntur, ubi exemplis illustrat, ‘ exempla non consistere ibi, unde cœpere;’ sicut Noster loquitur. *Boecler.*

CAP. 4. *Aristonicus*] Non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia Citharistæ cujusdam filia genitus. Justin. l. XXXVI. Florus, Livius, et Strabo lib. XIV. *Schegk. Aristonicus*] Flor. II. 20. 4. ‘ regii sanguinis juvenem’ vocat. Quod de ‘ origine extra conjugium, adeoque de filio naturali’ Eumenis accipiendum est, nam Velleius ‘ de legitima et civili ratione stirpis’ sentiens, merito ‘ mentitum,’ ait, ‘ regiam stirpem,’ ut Asiam, ‘ veluti paternum regnum’ invaderet natus ex pellice. Vide Justin. XXXVI. 4. 6. *Boecler.*

Hereditate] Romanos doli mali in adeunda hereditate Attali insimulat Mithridates apud Sallustium, et Horatius Carm. II. Oda 18. ‘ neque Attali Ignotus heres regiam occupavi.’ *Schegk. Hereditate*] Itaque Romani

se justissimo titulo possidere Asiam gloriabantur. Et sane, ‘ alienari quædam imperia posse’ exemplis compluribus (inter quæ etiam hæc nostra) ostendit H. Grotius de Jur. bell. et pac. partim I. 3. 12. partim in Annotatis ad illum locum. *Boeclerus.*

M. Perperna] Qui consul ante quam civis, Valerius lib. III. cap. 4. Et quem triumphasse cum nostro, si vulgatam sequimur, innuere videtur, contra mentem reliquorum auctorum, qui in provincia mortuum relinquunt. *Schegkius.*

M'.] Recte. Non *M.* ut vulgo. Sane *Manius* dicitur non solum Val. Maximo, sed et in Fastis. Atque ita etiam apud Strabonem lib. XIV. in editis olim exemplaribus legebatur. Quod non bene in sua editione mutavit maximus Casaubonus. Apud Justinum tamen lib. XXXVI. ‘ Marcus Aquillius’ dicitur. Sed *Manius* rescribendum. *Voss.* *Sed M'. Aquilio*] *Sed a M'. Aquillio* legendum e Strabone lib. XIV. Val. Max. et Justino lib. XXXVII. *Manutius.* [Ut ita distinguatur, *ductusque in triumpho, sed a M'. Aquilio, &c.* Ursinus *sed* delet.] *Sed M'. Aquillio*] Scripserat Velleius, Aristonicum a Perperna victum : desiderabatur, ut de eodem triumphasse illum diceret. Id falsum erat, quia Perperna in provincia erat mortuus. Sed cum ei successor esset datus M'. Aquillius, is reliquiis belli confectis, egit triumphum, quem Perperna meruerat. Ob hanc causam τὸ *sed* adjectum. Reticetur vero *a*, frequenti Velleio more. Ita infra: ‘ expulsum civitate L. Saturnino :’ et deinde, ‘ cum proxima regio castris Pompeio retinetur :’ item, ‘ proruto vallo militibus receptus est :’ posteaque, ‘ hoc M. Antonio acto illis legionibus saluti fuit.’ Nisi tamen dandi casu hæc intelligere malis. Et hoc verius. Illud vero, ‘ capite pœnas dedit,’ nequaquam ad Aquillium referri debet. Nam Aristonicus, ut Eutropius Orosiusque referunt, senatus jussu in carcere est strangulatus. Cæterum τὸ *cum* strangulationis illius causam reddit. Quæ non monuissem, nisi locus hic vehementer viros doctos vexasset, atque acriter etiam ab iis esset vexatus. *Vossius.* Hæc tamen lectio, quæ in textu est, etiam retineri potest: M'. enim Aquillio triumphanti jussu senatus capite pœnas dedit.

Crassum Mucianum] Apud Agellium, sive A. Gellius est ; ait Sempronius Asellio, quinque habuisse rerum bonarum maxima et præcipua ; quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod Jurisconsultissimus, quod Pontifex max. Hunc consulem missum Cicero Philipp. II. Justinus, Orosius, Livius, et sequentibus consulibus, hoc est, proconsulem interemtum, Noster cum Obsequente narrant. In eo variat Florus lib. II. cap. 20. qui non occisum, sed captum vult. *Schegk. Crassum Mucianum*] Dissentiunt auctores super morte hujus Crassi. Strabo lib. XIV. Epitomator Livii lib. LIX. Eutropius lib. V. prœlio victum, et interemtum, narrant. Valerius lib. III. cap. 4., Florus lib. II. cap. ultimo, Orosius lib. V. cap. 10. tradunt, a Thrace (quorum maximus numerus erat inter præsidia Aristonici) occisum. Neutiquam vero ita super dignitate ejus pugnant auctores, ut ad Florum Vinetus; ad Justini lib. XXXVI. arbitrabatur Bongarsius. Nam Strabo, Epitomator Livii, Justinus, Orosius, loquuntur de profectione ejus in Asiam, cum consulem vocant. At Velleium de reditu ejus loqui constat, nam addit, ‘ decedentem ex Asia proconsulem.’ Itaque consulatus tempus sine dubio exspiraverat. Et sic etiam capiendus Florus, qui ‘ prætorem ’ dicit. Nam prætoris et proconsulis appellatio promiscue sumi solet. *Vossius.*

Et] Deleo *et*, repetitum e verbi

præcedentis ultima syllaba, *intermisisset*. Acidalius.

Tribuno Carbone] Homine eloquentissimo, et stellionis ad modum perverse nequam. Cicero in Bruto: 'Utinam in Tiberio Graccho, Caioque Carbone, talis mens ad Rempubl. gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit; profecto nemo his viris gloria præstitisset.' De contentione cum Africano idem in Miloniana, et lib. II. de Orator. 'Cum L. Opimii causam defendebat apud populum audiente me' (Antonius loquitur) 'C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi cæde negabat; sed id jure pro salute patriæ factum esse dicebat; ut eidem Carboni Trib. pleb. alia cum mente Rempubl. capessenti, P. Africanus de Tib. Graccho interroganti responderet, jure cæsum videri.' Et idem hunc cum C. Catone Gracchum secutum scribit. Pœnam itaque non effugit. Accusatus a L. Crasso annos XIX. nato, auctore Tacito de Oratoribus, cantharidas sumsisse dicitur. Cicero Epistola ad Pætum. *Scheglcius.*

Jure cæsum] Diserte hanc historiam exequitur Val. Max. VI. 2. 3. Adde *Liv.* Epit. 59. Plutarch. Apophth. Quid autem; 'jurene cæsus Tib. Graechus, sicut existimavit Scipio,' qui et apud Numantiam statim cum inaudivisset de exitu Gracchi, Homericum illud protulit: Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι; Auctoritatis sane non parum est in dicente, sive prudentiam ejus spectamus, sive cum Graccho necessitudinem, de qua Valerius. Unde Martianus Capella lib. v., de argumentis agens, ab auctoritate peti argumentum, nobili hoc exemplo monstrat; 'Africanum dixisse, jure cæsum esse Tiberium Gracchum.' Dubitandi autem rationem suggerit Plutarchus, quod 'conspiratione divitum oppressus sit:' et Noster Velleius, qui cap. præcedenti videtur deplorare hanc cædem tanquam initium civilis perturbationis; et Fab. Quintilianus, qui Instit. Orat. lib. v. 13. 'si Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Halæ, a quo Melius est interfectus,' dici posse monet, 'Melium regni affectatorem fuisse, a Graccho leges modo latas esse populares: Halam magistrum equitum fuisse, Nasicam privatum esse.' Excusatur tamen illa cædes et inter exempla præsentius vindicatæ seditionis refertur a Politicis, magnificeque commendatur a Val. Max. v. 3. 2. quippe cum de seditioso Gracchi animo factoque dubitari prorsus nequeat: nisi quod hoc ipsum exemplum cautionem debet suppeditare circa seditiones compescendas: ubi in honorem salutis publicæ multa sane severitas concessa existimanda est, sed severitas illa nec ab uno in Rep. libera pendere debet, nec quovis modo adhibita proderit. Digna profecto morte commiserat Gracchus, atque illa mors, auctoritate supremæ legis, id est, salutis publicæ, citra obstaculum aliarum legum, irrogari poterat: sed a Nasica, non exspectato senatus decreto, spreta consulis contradictione, commissas in publica concione civium manus esse, id non caritarum prava consequentia, ut loquuntur, multi prudentum, nec citra rationem, verebantur. Pro Scipione equidem est, quod senatores plerique 'armis tuendam Remp.' censuerant, quibus Consul resistere non videbatur debuisse: sed quædam remedia præsentiora sunt, quam ut illa capiat publicæ tranquillitatis et civilis societatis libertatisque teneritudo. *Boecler.*

Noverca] Non mater. *Noverca*] Similiter Petronius in Eumolpiano carmine, quod vulgo inscribunt, De mutatione Reip. Rom. 'Aut qui sunt, qui bella jubent? mercedibus emtæ, Ac viles operæ: quorum est mea Roma noverca.' *Acidal.*

Abhinc annos CL.] CLIIX. reponen-

dum. *Manut.*

Post duos consulatus] Cur omittis Censuram et Auguratum? quæ utraque in prisco lapide:

P. CORNELIVS PAVLI. F. SCIPIO
AFRICANVS COSS. II. CENS.
AVGVR. TRIVMPHAVIT. II.

Lipsius.

Velato capite] Aurel. Vict. LVIII. 'obvoluto capite elatus est, ne livor in ore appareret.' Vide doctiss. Kirchm. de funerib. Rom. II. 9. Addit Appianus: Καὶ οὐδὲ δημοσίας ταφῆς ἠξιοῦτο, μέγιστα δὴ τὴν ἡγεμονίαν ὠφελήσας· οὕτως ἡ παρ' αὐτίκα ὀργὴ τῆς ποτὲ χάριτος ἐκράτει, καὶ τόδε ὃν τηλικοῦτον, οἷα πάρεργον ἐπὶ τῇ Γράκχου στάσει συνέπεσε: *Ne publice quidem funeratus est vir, qui reipub. tantum profuerat: tanto plus valuit præsens indignatio quam præterita gratia, atque hoc quantumcumque fuit, auctarium seditionis Gracchanæ fuit.* Boecler.

Conflatam insidiis] Variæ suspiciones de hujus obitu. Appianus Bellor. civil. lib. I. veneno sublatum testatur: Plutarchus in Fulvium rejicit; Cicero Epistola ad Pætum in C. Carbonem: Plin. lib. VII. cap. 44. in Metellum Macedonicum: Livii Epitoma cum Cicerone in Somnio in Semproniam uxorem Gracchorum sororem. *Schegkius.*

Anno ferme LVI.] [Metæ temporum, quas Velleius mox ponit, evincunt scripsisse eum LIV. *Lipsius. Annos ferme* LVI.] Lipsius emendat LIV. Antonius Bendinellus potius sequentia corrigit, et legit, *in quem creatus est anno* XXXVIII. (pro XXXVI. quod in libris erat) loc. controv. VIII. *Boecler.*

CAP. 5. *A. Bruti*] Is est, qui de Gallæcis et Lusitanis ex ulteriore Hispania triumphavit; *Decimus*, non *Aulus*, a Cicerone et aliis nominatus. Ut vel mendum sit hic in prænomine, vel, adoptatus ab A. Postumio Albino, prænomen adoptantis, ex vetere consuetudine, sumpserit. Quod numus indicat argenteus patricii Veneti nobilissimi, Andreæ Lauretani, sic inscriptus: A. POSTUMIUS. ALBINUS. COS. BRUTI. F. *Manut. A. Bruti*] Omnino *D. Bruti* legendum est, non *A. Bruti*, nam A. Postumius Albinus Bruti filius, qui habetur in argenteo denario, non ad eum, de quo hic agit Velleius, sed ad D. Brutum, Cæsaris percussorem, refertur, qui M. Bruti consanguineus fuit, et ab A. Postumio Albino Cos., ut videtur, adoptatus, BRUTI F. ex adoptionis formula dictus est. Vide Plutarchum et Dionem. *Ursin.*

Audita] Quidam libri, *adita erant.* De Gallæcis vide Strabonem lib. III. *Schegkius.*

Contrebiam] Quæ Floro et Valerio Maximo est *Trebia.* Idem.

In procinctu] 'Procinctum' militem dixerunt antiqui, cum exercitus instructus est: sic procincta classis; procincta autem ideo, quod togis incincti ad pugnam ire soliti fuerunt. Unde et testamenta 'in procinctu fieri' dicta, quæ faciunt ad pugnam ituri; sicut colligitur ex fragmentis Festi. Adde Gell. X. 15. Vide et Instit. Jur. lib. II. tit. 10. et ibi Annotata Cl. Vinnii. *In procinctu*] Vocabulum Musæum, et varie veteribus usurpatum. Apud Agellium lib. X. cap. 15. Fabius Pictor 'classem procinctam,' interpretatur exercitum armatum; et Apuleium libro II. 'procinctus Pompæ,' adparatum Pompæ, denotat. Et, habere in procinctu, idem, quod habere in mundo sive promtu. Quinctilianus pro Milite: 'Neque in militiam gravissimo, asperrimoque belio ita venit, ut nesciret sibi mortem in procinctu habendam.' Seneca de Clementia, lib. I. cap. 1. 'Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est: severitatem abditam, clementiam in procinctu' (vulgo *in promtu*, ut et notavit doctissimus Modius) 'habeo.'

Et, ‘ reversus e procinctu,’ idem Ammiano libro XIIX. quod ex bello. Adi Ciceronem de Nat. Deor. libro I., Agellium, Festum. *Schegk.*

At Fabius Æmilianus, Paulli exemplo, disciplinæ in Hispania fuit clarissimus] Noli audire Lipsium, qui sic malebat distingui: *At Fabius Æmilianus Paulli, exemplo disciplinæ, &c.*] Paulli enim disciplina laudatur passim Livio, Plutarcho, et cui non? Vulgata præterea lectio multo magis ad gustum Velleii. Sic alibi, ‘ acer belli,’ ‘ munificentiæ effusissimus,’ ‘ lætus animi.’ Ita et Virgilius in IV. Æneidos, ‘ furens animi:’ et X. ‘ animi miserata:’ item Terentius Eunucho Act. II. Sc. 3. ‘ falsus animi.’ Ubi hanc auctorum *ἀντίπτωσιν* notat etiam Donatus. Nec dubitem similiter, ex Nostro optimæ notæ Ms. reponere apud Lucretium de Rerum Natura lib. I. ‘ Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta Difficile inlustrare Latinis versibus esse.’ Ubi vulgo, *animus fallit*: quod perperam retinet Gifanius. Quibus adde, ut ad Velleii verba revertar, quod nemo veterum facile in prosa oratione dicturus fuerit, ‘ Fabius Æmilianus Paulli,’ pro Paulli filius. Quamvis non ignorem, hellenismo hoc Poëtas aliquando usos. *Vossius.*

CAP. 6. *Eloquentiaque*] Contra omnium tamen sententiam Tiberium fratrem facile principem eloquentiæ laudat Florus. *Schegkius.*

Et acriora] Acutius veriusque, *et acrior repetens.* Ipse, inquit, Caius majora molitus est quam frater, et eodem illo acrior. Ita est. Vis ingenii et oris apud Caium multo major. *Lipsius. Et acriora*] Lipsius maluit *acrior*, approbante Grutero; sed fortasse nulla ratio est, cur potius id nobis placere debeat, quam *acriora*: sicut intuenti planum existimo esse. *Boecler.*

Plus D. *jugeribus*] Idem tradunt Plutarchus, Appianus, Aurelius Victor, aliique. Atque ita etiam apud Epitomatorem Livii legendum esse, docuerunt Sigonius et Antonius Augustinus. Sine dubio itaque in mendo cubat Siculus Flaccus de conditione agrorum: ‘ Gracchus’ (inquit) ‘ legem tulit, ne quis in Italia amplius quam ducenta jugera possideret,’ &c. Omnino legendum est: *quingenta jugera.* Hinc quoque apparet, corruptam esse Columellæ lectionem de R. R. lib. I. cap. 3. ubi ait: ‘ Criminosum tamen senatori fuit, supra quinquaginta jugera possedisse. Suaque lege C. Licinius damnatus est, quod agri modum, quem in magistratu rogatione tribunitia promulgaverat, immodica possidendi libidine transcendisset.’ Nam et hic similiter rescribendum, *quingenta.* Vossius.

Judicia a senatu] Fuse historiam præter Valerium lib. V. Plinium lib. XXXIII. Augustinum lib. III. De civit. D. Appianus et Plutarchus. De judicibus triga hic discordantium opinionum. Epitome Livii lib. LX. sexcentos equites, trecentis senatoribus admistos adfirmat. Plutarchus trecentis senatoribus, trecentos equites ait adscriptos, hoc est, inter utrosque communicata judicia. Verior, et majoribus tibicinibus nixa opinio, qui cum Nostro a senatoribus ad equites translata prodere insistunt. Varro, Cicero, Appianus, Pædianus. *Schegk.*

Hunc L. Opimius, &c.] Facto sc. SCto, quo jubebatur Cos. Opimius *σώζειν τὴν πόλιν ὅπως δύναιτο, καὶ καταλύειν τοὺς τυράννους*, sive, ut Latini efferunt, ‘ videre ne quid resp. detrimenti capiat.’ Quæ potestas Dictatoria est, ut recte animadvertit Plutarchus in Gracch. et explicat Sallust. Catil. XXIX. Primum Consuli tum concessa, et vice Dictaturæ postea usurpata, nisi quod aliquando ad plures magistratus, quam ad Coss.

pertinebat, sicut ex Jul. Cæs. Bell. Civ. I. intelligimus. Quod consilium veluti arcanum tuendæ adversum seditiosos publicæ majestatis, laudat Cic. Catil. I. 2. *Boecler.*

Unaque Fulvium Flaccum] Epitome Livii et Appianus, Fulvium Flaccum, et C. Carbonem creatos agro dividundo produnt. Cicero præter C. Carbonem et C. Catonem (si libri non mendosi) Tiberium secutum dicit. Apud Plutarchum solius Fulvii mentio. De Carbone mirum; novimus enim Opimium a Q. Decio postulatum Carbone hoc defendente absolutum. *Schegkius.*

Euporo] Auctori virorum Illustr. *Euphorus.* Plutarcho *Philocrates*, et Valerio Maximo dubium *Euporus* an *Philocrates* vocitatus. *Schegk. Euporo*] Veterem de hoc nomine dissensionem esse, liquet ex Macrobio lib. I. c. 11. *Vossius.*

Pomponii] *Lætorium* huic comitem dant Valerius, Orosius, et Victor. Quem Plutarchus *Licinium* appellat mendose. *Idem.*

Coclitis] Horatius Cocles tempore belli Hetrusci cum rege Porsena hostibus undique instantibus in ponte solus restitit, demum ponte reciso Tiberim transnatavit, neque arma dimisit. Coclites autem dicebantur veteribus monocnli.

Mira crudelitate] Quam et Plutarchus perstringit. Licet enim adversum perniciosos cives nihil crudeliter fieri posse videatur, tamen diligenter considerandum est, quid populi animos vel in præsens specie supplicii vel in posterum memoria nobilitatis et miseratione irritare possit. Ex temporis consideratione, ceterorumque momentorum, ita loquor. Erant enim tum tanta publicæ lateque fusæ consternationis mala operienda potius moderatione, quam ostentanda terrore. Alias scimus in majestate Reip. vindicanda non inutiliter usurpari acerbitatem suppliciorum et contumeliam. *Boecler.*

Cap. 7. *Viva adhuc matre Cornelia*] Non omittatur ob raritatem, exemplum feminei roboris. Seneca de Consol. ad Martiam: 'Ex una tibi familia duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem: duodecim illa partus totidem funeribus recognovit. Et de ceteris facile est, quos nec editos nec amissos civitas sensit: Tiberium Gracchum et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et insepultos. Consolantibus tamen miseramque dicentibus, Numquam, inquit, non felicem me dicam, quæ Gracchos peperi.' *Lipsius.*

Optimis ingeniis male usi] Sallustius tamen in Jugurtha, Gracchos veram gloriam injustæ potentiæ anteposuisse adfirmare videtur: et Cicero in Rullum II. Gracchorum consiliis et sapientia multas Reipub. partes constitutas non negat. *Schegk.*

Scelus unicum] Acidalius pro summo et unici exempli scelere habet. Mihi rectius videtur Velleium ex Velleio interpretari, atque hunc locum cum simili et sensu et negotio comparare, de quo II. 6. 'Id unum nefarie ab Opimio proditum, &c. ut enim ibi taxatum pretio caput Gracchi; ita hic innocentis adolescentis supplicium sceleris nomine damnat: Cetera utrobique aspere quidem et crudeliter, ut loquitur, non tamen sceleste gesta intelligens.' Unice cavit concordiæ Cicero, valde præcipue II. 48. 2. *Boecler.*

Quem pater legatum] Et quidem altera vice: cum demum Opimius in vincula eum dedit. Alias rectissime responderat Opimius primæ legationi: 'Non per legatos debere ipsos cum senatu agere, sed ut cives venire ad satisfaciendum senatui et dicendam caussam.' Argumento vere pragmatico, negabat 'convenire iis jus

mittendi legatos nuntiosque ad senatum;' quorum tractationem si admisisset, jam de Majestate publica aliquid imminutum esset, cui ad parendum se sistere ut ὑπεύθυνος πολίτης, non occurrere ad paciscendum debet, quisquis inter cives et membra civitatis cupit haberi. Sicut nec ex diverso ad tumultuantes cives legatos mitti decorum est Reip., sed nec tales legationes hoc nomine, si proprie loquamur, appellandæ sunt. Egregius est locus apud Dion. in Orat. Cicer. adversus Anton. lib. XLV. πῶς μὲν γὰρ οὐκ αἰσχρὸν κήρυξιν ὑμῖν καὶ πρεσβείαις πρὸς τοὺς πολίτας χρῆσθαι; Τοῖς μὲν γὰρ ἀλλοφύλοις καὶ ἐπικηρυκεύεσθαι καὶ διαπρεσβεύεσθαι δεῖ πρότερον καὶ ἀναγκαῖόν ἐστι· τοῖς δὲ δὴ πολίταις τοῖς ἀδικοῦσί τε, παραχρῆμα τὴν τιμωρίαν ἐπάγειν, ἂν μὲν ὑπὸ ταῖς ψήφοις αὐτοὺς λάβητε, δικάζοντας, ἂν δὲ τοῖς ὅπλοις, πολεμοῦντας, et quæ sequuntur: *Quomodo non sit turpe, præconibus nos et legatis uti ad cives? Nam cum extraneis quidem per nuntios ante omnia legatosque agi par est ac necessarium: civibus autem nefariis pœna statim infligenda est; judicio quidem, si sententias ferre integrum est; sin vero ad arma confugerunt, bello persequendi sunt.* Idem.

Haruspex Tuscus] Vulgo, *Fuscus*. *Haruspex Tuscus*] Herennius Siculus. Sed aliter Valerius lib. IX. cap. 12. *Manutius.*

Quin tu hoc potius] Hæc verba cum gestu et demonstratione intelligenda.

Damnatum postea publico judicio] Ob acceptas a Jugurtha pecunias. Sed indigne. Cicero pro Sestio: 'Unus in hac civitate, quem quidem ego possum dicere, præclare vir de Republ. meritus, L. Opimius, indignissime concidit. Cujus monumentum celeberrimum est in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrachino relictum est: atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi semper ipse P. R. periculo liberavit, alia quædam civem egregium iniqui judicii procella pervertit.' In ejusdem laudibus sæpe in Bruto, de Legib. et in Pisonem. *Schegk.*

Parum] Lipsius legit *parva*.

Opimianæ] *Vinæ*, pro *vici*, reposui; quam mihi conjecturam attulit antiquitatis observatio; nam Cicero in Bruto, 'Si quis,' inquit, 'Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quærat.' Accedit Plinii testimonium his verbis, lib. XIV. 4. 'L. Opimio consule ea cæli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali urbis DCXXXIII. durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi: (etenim hæc natura vinis in vetustate est) nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.' Et eodem libro, cap. 14. 'Apothecas fuisse, et diffundi vina solita anno DCXXXIII. Urbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia; nondum tamen ista genera in claritate erant: itaque omnia, tunc genita, unum habent consulis nomen.' Vide et Plutarchum in C. Graccho. *Manut.*

Quod jam nullum esse] Testatur tamen Plinius Nat. Hist. lib. XIV. c. 4. Opimiana vina suo ævo adhuc durare: Martialis etiam ea passim laudat. Misere itaque, virorum doctorum judicio, hic fallitur Velleius. Sed illi mihi mentem Velleii, etsi minime obscuram, non adsecuti videntur. Hæc enim est ejus sententia: seculo suo esse, qui Opimiano vino se jactent: sed ingens temporum intervallum facile arguere, id non esse ex illo veteri. Probabili sane argumento usus est. Et quidni credamus,

impositum Plinio, Martiali, aliisque, qui tanto post Paterculum floruere spatio? Ego non aliter existimo. *Vossius.*

Anni CLI.] Lege CL. *Manut.*

Visa ultio] Vox *ultio* inconcinne repetitur: me arbitro, delenda: faciendumque, *et visum privato odio m. q. p. vindictæ datum.* Quid visum? factum nempe Opimii. *Lipsius.*

Privato odio magis] Non tam res ipsa et vindicta Gracchani furoris, quam modus vindicandi, quæque accessere, citra vindictæ necessitatem usumque, toto hoc capite perstringuntur. Ita ferme Sallustius Jugurth. 16. [' L. Opimius Cos. C. Graccho et M. Fulvio interfectis, acerrime vindictam nobilitatis in plebem exercuerat.'] 'vindictam nobilitatis' vocat, et 'odium in plebem' innuit. 'Debet autem omnis animadversio, non ad ejus qui punit aliquem, sed ad reip. utilitatem referri,' inquit Cic. Off. I. 25. itaque affectus privati vel maxime hic compescendi sunt. *Boecler.*

CAP. 8. *Narbo Marcius*] Vide Annotationes ad Sallustium.

Cato consularis] Gryphii liber, *M. Cato cons. C. Cato cons.* ex Ciceronis in Verrem actionis V. lib. IV. et ex Bruto. Gessit consulatum cum M. Acilio Balbo, anno U. DCXXXIX. *Manut.*

Quater millibus] Non grandis omnino hæc mulcta judiciaria, uti series et scopus indicat Velleiani sermonis. Tamen Franc. Hotomanno visa justo minor, rescribitque, *quadringentis millibus.* Non assentior. Quid? Cicero duobus locis an pari fiducia corrigitur, qui minoris summæ auctor? Ille sic in Verrem III. 'Qua in civitate C. Carboni clarissimo homini H. SS. XVIII. cc. lis æstimata sit.' Iterum in eandem IV. 'Quo damnato' (Catone) 'tum cum severa judicia fiebant, H. SS. XVIII. millibus lis æstimata est.' Si quid ergo hic mutandum (et certe opinor) Ciceronis numeri obtineant et reponantur. *Lipsius. Quater millibus*] Legendum XIIX. ex Ciceronis Philipp. III. et IV. Quod alii jam monuerunt. *Vossius.*

Factaque ad consilium] Sensus iste: Quæ quisque fecisset, ad consilium et προαίρεσιν facientis, tanquam ad regulam referebantur, delictique æstimatio non ex modo pretii ac rerum, sed ex voluntatis ad peccandum determinatione, ut sic dicam, constituebatur. *Quid*, ad speciem delicti; *in quantum*, ad modum rei, pretiique pertinet. *Boecler.*

Metelli fratres] Vulgo *M. Metelli.* *Metelli fratres*] Fœdum mendum sententiam contaminavit; qui enim antiquas notas II. quibus *duo* significatur, ignorarunt, *M.* reposuere. Duos porro Metellos fratres simul triumphasse, Marcum de Sardis post annum, quam consul fuerat; Caium, cui Caprario cognomen fuit, ex Thracia in consulatu, testatur Eutropius, his verbis: 'C. Cæcilio Metello, et Cn. Carbone Coss. duo Metelli fratres triumpharunt, alter ex Sardinia, alter ex Thracia.' *Manutius. Metelli fratres*] Legit Pighius, *M. et C. Metelli.* Voss.

Non minus clarum exemplum] 'An fratribus in eodem ædilium, prætorum, consulumve aut aliorum magistratuum collegio apud Romanos esse licuerit,' disquirit et postea negat Langlæus semestr. VII. 3. Nam quod personis, e. g. in gratiam Scipionum concessum sit, in exemplum non trahi, nec ad alias personas produci debere. Et cum Velleius notanter limitet, (in verb. 'sed alterius in adoptionem dati,)' satis planum esse, non ejusdem amplius familiæ censendum, qui adoptione in aliam transierat. *Mutiorum præturam* diversa jurisdictio absolvere videtur. Ceterum Clapmar. II. 19. inter *arcana Aristocratica* hoc refert, 'ne duo ex una familia, vivo

utroque non solum magistratus sint, sed ne quidem uno tempore in senatu.' *Boeclerus.*

In collegio consulum] Fasti Capitolini huc mire conferunt: L. MANLIVS. L. F. L. N. ACIDINVS FVLVIANVS Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. HEI FRATRES GERMANI FVERVNT. *Schegk.*

Acidini] Vulgo, *Acidiani. Acidini*, legendum videt, quicumque sit paullo humanior. Quod etiam Fasti Capitolini declarant, anno U. DLXXIV. *Manutius.*

Quod solis contigerat Scipionibus] An, ut fratres germani duo Scipiones censuram simul gererent, quod proxima videntur indicare superiora verba? Nulla mentio, nullum omnino vestigium in historiis. Quid igitur? Hoc fortasse: cum Velleius colligat fratres eundem simul honorem assecutos, fieri potest, ut, quemadmodum de triumphantibus Metellis, consulibus Q. Fulvii filiis, censoribus rursus Metellis, postremo narrationem suam concludat, exemplo duorum fratrum germanorum, qui ædilitatem, eodem anno administrarint: hi fuere, P. Scipio, qui postea Hannibalem devicit, et Lucius ejus frater; quod Polybius initio lib. x. plane declarat. Hoc notandum putavi, falsa quorundam admonitus conjectura, qui *Cæpionibus* legendum existimant, quorum fratrum alter ante Metellos, alter post, censuram gessit: cum Velleius eos commemoret, qui eodem anno simul honorem eundem adepti sunt. *Idem. Quod solis contigerat Scipionibus*] Sed postea etiam Luculloruum exemplum habemus in Plutarchi Lucull. *Boecler.*

Cimbri et Teutoni] Vide Annotationes ad Sallustium.

Minucii, &c.] Sigon. Comment. in fast. et triumph. Rom. ad an. DCXLIII. *Boeclerus.*

Scordiscis] Scordisci, Σκορδίσκοι, Ptolemæo Pannoniæ Inferioris populi, quos Strabo etiam Scordiscas vocat, et Scordissos Sex. Rufus, qui eos in Thracia vicina regione ponit. Strabo eos Illyricis et Thracibus permixtos scribit. Rasciam eis attribuit hodie Castaldus: 'Ipsi se vocant nunc Bosnachi,' inquit Dom. Niger: hoc est, Bossen Germanice. Scordiscorum etymologiam lege in Britannia Humfredi Lhuydi. Cordistæ, Κορδίσται, sunt male apud Athenæum lib. VI. qui Galatas ex iis facit, qui cum Brenno Delphicum templum spoliaverant. *Scordiscos* Gallos nominat Posidonius, apud Strabonem, qui eos duplices facit, cis et ultra Istrum incolentes. Hos novit quoque Trogus XXXII. Vide tabulam Ptolemæi in Europa quintam. *Ortelius. Scordiscis*] De his ita Florus lib. III. 4. 'Sævissimi omnium Thracum Scordisci fuere, sed calliditas quoque ac robur accesserat. Sylvarum et montium situs cum ingenio consentiebant. Itaque non fusus modo ab his aut fugatus; sed (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. Didius vagos et libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciam. Drusus ulterius egit, et vetuit transire Danubium. Minucius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur.' Gens originis Gallicæ Epit. Liv. LXIII. et Justin. XXIII.

CAP. 9. *Namque Mucius*] Erratum hoc: illud recte, *Nam Q. Mucius.* Manut. *Namque Mucius*] Non omnem ei laudem dicendi omnes detrahunt: quem Tullius quidem in Bruto 'jurisperitorum eloquentissimum' satis quam magnifice prædicat: oratorum tamen in numero non collocat. Sed quid 'propria eloquentia' hic sonat? Forte verius legerim, *juris scientiæ prope quam eloquentiæ nomine celebrior.* Forte posui, nam nunc jam video, sic me posse interpretari: ut eloquentiæ

studium, sic laudem minus illi propriam, quam juris scientiæ fuisse. Quod ut sit, ut est quidem certe, non deero tamen eadem trajectione, nulla alia mutatione, sic rescribere: *juris scientiæ propriæ, quam eloquentiæ nomine.* Denique si nihil velis mutare, saltem *scientiæ* legere sustineas, utcunque de cetero statueris. *Acidalius.*

Togatis] Comœdiis, a Romana actorum toga, sicut palliatæ Græcorum erant.

Historiarum auctor] Videndus Vossius de Lat. Histor.

Rutilius] An iste Rutilius, qui historiam Romanam Græca conscripsit lingua, auctore Athenæo lib. IV.? Annuit vir litteratus in Emendationum libris. Vereor, ut largiter erret: is enim, de quo Athenæus lib. IV. vixit tempore Apicii, cujus opera et in exsilium missus: at Apicii ævum quis ignorat? Verius igitur Phœnix Jurisconsultorum Cujacius Observat. lib. II. c. 27. eum intelligit, qui Asconio Quæstor, sive legatus Mucii Scævolæ procos. Asiæ fuit, et quem noster infra damnatum repetundarum tradit. De historicorum choro, eos vide, qui fragmenta sodulo et laboriose anquisiverunt. *Schegkius. Rutilius*] Fallitur vehementer Schegkius, qui asserere conatur, alium hunc esse ab illo, quem historiam Romanam Græce scripsisse lib. quarto testatur Athenæus. Contrarium verum esse, jam docuit parens lib. I. de Historicis Græcis cap. 22. *Vossius.*

Pomponium] Falluntur vehementer, qui putant, a Velleio Pomponium ferri inter historicos, quia historicorum nomina sint, quæ præcesserei Nam alius est scopus Velleio, qui temporum, potius quam studiorum, spectat similitudinem: ut manifestum ex eo, quod dicat 'novitate inventi a se operis commendabilem.' Ubi Atellanas eum intelligere, clarum est. *Idem. Pomponium*] Scil: Atellanarum scriptorem: itaque præmittit: 'sane non ignoremus,' q. d. Dum in his temporibus signandis versor, non omittendus est Pomponius diversorum quidem studiorum, sed ejusdem ætatis scriptor. Euseb. Chron. I. de iisdem temporibus: 'L. Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor clarus habetur.' *Boecler.*

CAP. 10. *Abhinc annos* CLVII.] Lege CLIV.

Lepidum Æmilium] Male vulgo, *Ælium. Lepidum*] Cui dubium est, *Æmiliæ* gentis, non *Æliæ*, cognomen Lepidum fuisse? *Manut.*

Adesse] Verbum solenne Censorium: quo notatur citatio ad censores. *Boeclerus.*

Si quis tanti habitet] Livius lib. XLV. 'Et eos, qui prædium prædiave rustica pluris sestertium XXX. haberent, censendi jus factum est.' Et Cicero pro Cælio: 'Triginta millibus dixistis eum habitare.' Adjunge de Crasso et Domitio Plinii locum lib. XVII. 1. qui tamen in mendo cubat. *Schegk.*

Domitii ex Arvernis] Ille Bituitum sive Betultum regem eorum perfide vinxit, Valerio si fides lib. IX. c. 6. hic, cum isto felicius pugnavit. Vide Cæsarem lib. I. Bell. Gall. Et quod noster Domitium ex Arvernis, Fabium ex Allobrogibus tradit, dissentiunt Strabo lib. IV. Orosius lib. III. c. 13. Florus l. III. c. 2. De cognomine *Allobrogis*, Prædianus. *Schegk.*

Arvernis] Arverni, ἀρουέρνοι, Cæsari et Ptolemæo sunt Galliæ populi. *Arverni*, ἀρούερνοι, Stephano. Hodie *Auvergne* nominatur eorum regio. Horum agri descriptionem lege apud Sidonium ad Aprum suum IV. *Ortel.*

Allobrogibus] Glossarium Isidori vocis etymon innuere videtur. Nam habet: 'Allobroga, Gallus rufus.' Cui consonat et vetus Commentator Horatii ad istum in Epodis versum: 'Novisque rebus infidelis Allobrox.' Ait ibi: 'Allobroges sunt Galli rufi et Sequanici dicti, incolentes illum tractum Alpium, qui est a Vesontio

in Germaniam, qui vehementer res novas affectant, unde et ducibus suis raro fidem servant, habentque flavum præcipue capillitium.'

IV. *ente hunc*] Vulgo, *uti ente hunc*. IV. *ente hunc*] Locus quem haud temere transeam, a verbis corruptum, ab historia involutum. Quid illud *uti*? corrigunt VII. [Manutium intelligit,] et receptum id jam in libros, quasi certum. Ego miror. Nam ad vestigia scripturæ haud improbum hoc fateor: quid tamen ad Velleii mentem, aut historicam fidem? Ecce Velleius ait, peculiarem quamdam et artatam numero felicitatem Domitiæ familiæ se notare. Ubi ea hic? quodne septem in ea consules? nam illuc referunt. Ridiculum. Ego triginta gentes Romanas dabo, in qua longe plures: dabo unam Claudiam, in qua viginti octo. Denique quomodo fides constabit de septem triumphis? nam hoc additur, omnes pæne ad triumphi insignia pervenisse. At- qui volve revolve Annales, duos modo triumphos in Domitia gente reperies, quod Suetonius notat, diligens et fidus observator talium rerum. Hæc incommoda in ista correctione sunt. Nos ergo legimus, IV. *ente hunc*, id est, quatuor, ista mente: in una familia fuisse quatuor singulis parentibus genitos, ipsosque singulos (nam hoc illud rarum quod intelligit, ex unicis unicos semper natos,) et eos omnes ad consulatum pervenisse, ad triumphum pæne omnes. Velim igitur etiam scribi, *singuli parentibus geniti*, clarius ad hanc sententiam exprimendam, non *singulis*. Quod tamen si retines, eodem trahe. Ab hac nostra correctione Velleii verba sunt, 'artata numero felicitas:' et de paucis ostendit se loqui. Etiam Suetonii Domitianum stemma, quod initio Neronis legis. Ibi enumerat ab Domitio Allobrogico, quattuor parentibus suis unicos, ad Domitium usque patrem Neronis: qui est iste ipse Velleianus 'nobilissimæ simplicitatis juvenis.' Hæc ergo liquent: et omnes isti consules. Sed de triumpho quid? ubi quattuor? Nego esse debere; nam dixit Velleius (cujus verba jure pensito) 'pæne omnes.' Ergo pervenerint uno minus. Sed hos ipsos tres quomodo expedio? Ex eodem Velleio: qui dixit non 'triumphos,' sed 'triumphi insignia.' Ergo sunto duo triumphi, alter Domitii Allobrigici notus, alter Domitii Calvini de Hispanis anni DCXXI. Tertius autem Domitius, avus Neronis, donatus est sub Augusto 'ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello.' Suetonius auctor. Jamne tenebrosæ notulæ lux facta? Mihi videtur. *Lipsius.*

CAP. 11. *Natus equestri loco*] Alii originem viliorem Mario tribuunt, ut auctor de viris illustribus: qui ait, 'humili loco natum.' Ut Plutarchus qui scribit γενόμενον γονέων ταπεινοτάτων ἀδόξων, ἀπεύργων δὲ καὶ πενήτων: *natum parentibus plane ignotis, et operariis atque pauperibus.* Et Juvenalis: 'Volscorum in monte solebat Poscere mercedes alieno lassus aratro.' *Idem. Natus equestri loco*] Forte *natus agresti loco.* Sane ipse Paterculus sub finem voluminis ait, Marium, 'obscuro loco natum.' Plinius vero lib. XXXIII. cap. 11. 'aratorem Arpinatem' nominat. Cum quo consentit Juvenalis Sat. VIII. Item Julius Celsus, qui eum 'rusticanæ, ac ne Romanæ quidem originis,' fuisse asserit. Denique Valerius Maximus, Plutarchus, omnesque alii vilissimam ei originem assignant. *Vossius. Natus equestri loco*] Alii plerique obscuram originem tribuunt. Ipse se 'hominem novum' vocat apud Sallust. Jug. 85. in qua eadem oratione cum de fiducia generis, quæ nobilibus adesset, præmisisset, addit: 'mihi spes omnes in memet sitæ: quas necesse est et virtute et innocentia tutari.' Hinc etiam videtur, 'illud odium invidiæ Nobili-

tatis in Marium,' rursumque 'Marii vehementia adversum Nobiles,' originem habere. *Boecler.*

Triumphus] Vide Sigon. Comment. fast. et triumph. Rom. ad ann. DCXLIV.

Et meritum, virtutique, &c.] Inducta copula *que*, sententiam patefacit. *Manutius.*

Amplius XII.] Iterum in observatiuncula ista hæremus. Si verba, ut posita scriptaque, accipis, falsa sunt. Non enim profecto intra tot annos, *amplius* XII. Consules aut Censores aut Triumphales fuere. Quid si notulas detrahas, scribasque, *amplius* X.? Id certe verum sit: et reperio ab anno DCXXXIII. ad annum DCLVI. (qui sunt anni XII.) reperio inquam in gente Cæcilia Consules quinque, Censores duos, Triumphales quattuor. Ergo *undecim*, nisi quid in vestigando me fugit. Corrige me, non corripe, si ita est. *Lipsius.*

CAP. 12. *At C. Marius*] Consule Sallustium in Jugurtha.

Ut præcaventibus fatis] Tentabam, *patriæ caventibus fatis*: quasi compendio scriptum verbum fuisset; nec nunc pœnitet. Hæc autem referenda ad necessitudinem, quæ more prisco inter Consulem et Quæstorem est, qualis inter patrem filiumque. Cicero non uno loco. *Lipsius. Ut præcaventibus fatis*] Satis obscura est hæc ἐπεμβολὴ, quomodocunque accipiamus. Si enim accipias, fata jam tum illa inter præsidem et quæstorem necessitudine velut præcavere voluisse futuras discordias et bella civilia: sive, Lipsiana correctio *(patriæ caventibus fatis)* eodem sensu, aut consulendi significatu, et ita explicetur, quasi illis rerum Marii ope gestarum præludiis veluti ad majorem Cimbrici belli fortunam ac reip. liberationem consultum Romanis fata voluerint, sicut in descript. bell. civil. Florus, 'actum erat,' inquit, 'nisi Marius illi sæculo contigisset' (quod tamen durius erit concinniusque) non satis apte hærebunt textui illa verba. *Boeclerus.*

CXXXIIX.] Lege CXXXIV. *Manut.*

Consulatus initio] Recte *initio*: stante Repub. designatus consul ineibat consulatum more majorum Kal. Januar. qui, subsecuto Imperatorum ævo, *Ordinarius* dicebatur; quia ex tunc in singulos annos plures Consules creari inoleverat. Cassiodorus et Apollinaris. *Schegkius.*

Cimbris ac Teutonis] Nota Ciceronem de provinciis Consul. et Sallustium in Jugurtha hos Gallorum generali nomine concelebrare. *Schegkius. Cimbris*] Gallos appellavit Sallustius, forte quod teste Orosio et Eutropio Cimbris atque Teutonis etiam Tigurini atque Ambrones se miscuerint: vel quod Gallorum (vel potius Celtarum) nomine et Gallos et Germanos antiqui intellexerint. Vide Annotat. ad Sallustium.

Manliumque] *Manilium* repono ex Cassiodoro et Obsequente. *Manut. Manliumque*] Nihil muta si sapis. Tacitus in Germania: 'At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano.' Facit Epitoma Livii LXVII. Sallustius Jugurtha, Orosius lib. v. cap. 16. Cassiodorus. Aliis *Mallium* arridet. Sciant hoc Græcum, illud Latinum. In prænomine dissensus. Sallustio et Tacito 'Marcus,' Livio et Orosio 'Caius;' aliis 'Cneus.' *Schegkius.*

Scaurumque Aurelium Cos.] Legatum fuisse, cum captus et occisus est, M. Scaurum, ostendit Epitome Liviana. Itaque legendum puto, *consularem.* Triennio enim ante consulatum gesserunt, anno U. DCXLV. Et Orosius, 'In ea,' inquit, 'pugna M. Aurelius consularis captus, atque interfectus est.' *Manutius.*

Populus crearet] Advocando minorem ejus partem. Cicero in Rullum.

Abrogavit postmodum Sulla, restituit Labienus, Dio lib. XXVII. De collegio Cicero in Epistola ad Appium 10. ‘ Amplissimi sacerdotii collegium; in quo non modo amicitiam violari apud majores nostros fas non erat, sed ne cooptare quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus.’ *Schegkius.* *Populus crearet*] ‘ Pontifex maximus, et rex sacrificulus, et flamines a populo creati, pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis, tum cum reliqui sacerdotes a collegiis cooptarentur: quos omnes postea Cn. Domitius ad comitia populi tributa transtulit anno DCLI. Mario et Oreste Coss. quam legem post a Sylla sublatam, et iterum a T. Labieno tr. pl. Cicerone Cos. relatam, iterum M. Antonius Cos. post Cæsaris Dictatoris necem abrogavit. qua insequenti anno una cum ceteris Antonianis legibus Sc. sublata, res rursus ad populi comitia rediit.’ Libuit hæc ex Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 19. adscribere. *Boecler.* ’

Aquas Sextias] In Gallia. Vulgo Aix. Neque incelebre hac tempestate oppidum censetur, conditumque olim a Sextio, ita dictum ob aquas et scaturigines, quæ juxta sunt calentes.

Amplius CL. *millibus hostium*] Bene *postero die:* et tunc iterum pugnatum. Plutarchus aliique consensu tradiderunt. Orosio quid visum dissentire, sic scribenti? ‘ Quarto die rursus productæ utrimque in campum acies, usque ad meridiem pæne pari pugnavere discrimine.’ Non potest, ut hæc res fuit, de quarto die. Audacter emendo, *Orto die.* Lipsius.

Nomen erat Raudiis] Florus ‘ Claudium;’ veteres eruditissimi Vineti ‘ Raudium,’ nec numerus cæsorum convenit. Vide Livium, Orosium, Eusebium, Florum. *Schegkius.* Victor ‘ in campo Caudio.’

Decertavere prælio] Vir doctus existimabat deesse, *cum Cimbris.* Cui non adsentio. Vera lectio haud alia, ac vulgata. Nec periculum fuit, ne de aliis, quam Cimbris, hæc caperentur. Nam Cimbros solum, et Teutonos, sedibus suis egressos, narravit Velleius. Teutonorum autem gens jam excisa erat, ut paullo ante memoratum. Satis clarum itaque, ad Cimbros hoc referendum, etiamsi nomen eorum non exprimatur. *Vossius.*

C. M. *hominum*] Ut alii summas cæsorum captorumve concipiunt, videantur geminanda centenaria hic nota: CC. *hominum.* Lipsius.

Ac bona malis repensasse] Fortasse facilius legeres: *mala bonis repensasse,* sicut alii ioquuntur; quanquam hunc sensum etiam usitata lectio sustinere potest. Magnum oppido et reip. periclitanti salutare cumprimis facinus: sed quæ merita possunt contra ultimam turbatæ patriæ impietatem nominari? Et si recte rem putamus, plus est quod nocuit patriæ Marius, quam quod profuit. *Boecler.*

Consul] Acidalius legit *consularibus,* putatque ex decurtatione vocis *Cos.* postmodum *consul* substitutum esse.

In Hostilia curia] De Curiis, et quomodo per augures constitutæ esse deberent, vide Marlian. lib. II. c. 10.

CAP. 13. *M. Livius Drusus*] Cicero pro Milone, Plutarchus Catone. Non fuit ille, ut nuper quidam ad Orat. pro Milone falso putavit, qui C. Gracchi pernitiosis conatibus restitit, cujus mentio apud Plutarchum, Suetonium, Appianum, Ciceronem De finibus; sed ejus filius, de quo C. Carbo apud Ciceronem in Oratore: ‘ O Marce Druse’ (loquitur de patre) ‘ tu dicere solebas, sacram esse rempub. quicunque eam violasset, ab omnibus ei esse pœnas persolutas: patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit.’ De temeritate Valerius lib.

qu. cap. 5. Seditionis causam invenies in Epitoma 70. Flori lib. III. Cic. de Oratore II. aliis. *Schegkium.*

P. Rutilium] *Rufum.* Est ille ipse historicus, de quo supra, Consul cum Mutilio. Vita Socraticum probavit. Certatim in eo extollendo scriptores. Minutius in Octav. 'Quod si mundus divina providentia et alicujus numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, numquam Rutilius et Camillus exilium, numquam Socrates venenum.' Damnatus Smyrnam commigravit litterarum studio. Ovidius de Ponto lib. I. 'Et grave magnanimi robur mirare Rutili, Non usi reditus conditione dati. Smyrna virum tenuit.' *Idem.*

In iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur] Notabilis est Sallustii locus Orat. II. de rep. ord. 'M. Livio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant. Ubi intellexerunt, per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari, videlicet et sibi quisque conscius, malo atque infido animo esse, de M. Livio Druso juxta ac de se existimaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nixi, sua ipsius consilia disturbaverunt.' *Boecler.*

Ut minoribus perceptis] Hæc vetus lectio, non *præceptis*, ut volunt. *Voss.*

Ab ipso] Voces, *ab ipso*, superfluere censeo. *Lipsius.*

CAP. 14. *Incognita*] Possis legere *incondita.*

Cultello percussus] A C. Vario. Cicero de Natura Deor. III. Ambigunt tamen auctores. Senecam De brevitate vitæ consule, Plinium que lib. XXVIII. cap. 9. Leges ejus tanquam contra auspicia latæ, consule Philippo referente, uno SC. sublatæ. Pedianus, et Cicero de Legib. III. *Schegkius. Cultello percussus*] Florus, quasi de fatali morte, 'Drusum,' inquit, 'ægrum rerum temere mutarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.' Ceteri tamen percussoris manu (Ciceroni 'C. Vasius, homo importunissimus' vocatur) periisse consentiunt. Senec. de brev. vit. VI. Disputatur, an 'ipse sibi manus attulerit. Subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est: aliquo dubitante an mors voluntaria esset, nullo, an tempestiva.' Idem Consol. ad Marc. XVI. 'intra penates interemtum, incerto cædis auctore' memorat. *Boecler.*

Domum] Vulgo, *templum.*

Libera a conspectu] Quis non videt superfluere, tanquam interpretamentum sequentis sermonis, *libera a conspectu?* Itaque tollatur. *Gruter.* Tolerari tamen potest.

Arbitris] Vulgo, *hominibus. Arbitris*] Prima Editio optime, *ab omnibus arbitris.* Arbitri sunt inspectores, censores, quique facta tua aut verba arbitrentur. Plautus: 'Potare, amare vult, ne qui sciat Neve arbiter sit.' Iterum: 'Secede hinc nunc jam si videtur procul, Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.' *Lipsius.*

Neque quisquam in eam despicere posset] Non alt idem, quod in præcedentibus, Velleius. Nam *despicere* valet, ab alto inspicere. Falluntur itaque, qui verba hæc pro glossemate inducenda esse, contendunt. *Vossius.*

Ut quicquid agam] Vir vere antiquus Romanum ad morem: 'Nam, ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui:' unde Juvenalis: 'quasi fercula septem Secreto cenavit avus?' 'Ibique etiam pecuniam deponebant, unde qui honoratiores servi erant, liminum custodes adhibebantur,' et quæ sequuntur in Servio ad hoc Virgilii; 'vocemque per ampla volutant Atria.' Et Valerius lib. II. cap. 5. 'Nam mani-

mis viris prandere et cenare in propatulo, verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent.' *Schegk.*

Cap. 15. *Quod extra Italiam colonias posuit*] Sigon. de Antiq. jur. provinc. l. 2. Est autem laudabili observatione hic a Velleio animadversum et comparatione nobilium exemplorum veluti commentario illustratum, 'illud Romanorum de coloniis extra Italiam non deducendis arcanum:' qui profundo consilio, ut in plerisque imperii artibus, sedem sui imperii majestatemque non parum hac ratione firmabant. *Boecler.*

Ad censendum] Ad censum instituendum.

Prima autem] Parum abest, quin totum hoc exturbandum dicam: totidem enim verbis lib. priori legitur. *Vossius.*

Mors Drusi] Flor. III. 18. ibique Camers vidend. Sigon. de Antiq. jur. Ital. III. 1. *Boecler.*

Tumescens] Veluti cum tempore quodam erumpens.

Italicum] Sic dictum, quia caput imperii sui Corfinium legerant. 'Sociale' Floro; 'Marsicum' Straboni: scripserunt hoc bellum Appianus bell. civil. I. Strabo lib. V. Livius lib. LXXI. et LXXXII. Plinius lib. XXXII. cap. 1. Eutropius, Orosius, Macrobius Saturnal. 1. *Schegk.*

Annos CXX.] Lege CXIX. *Manut.*

Universa Italia] Ita emendat Manutius, cum vulgo legeretur, *cum id malum in universa Italia ab Asculanis ortum esset. Universa Italia*] Ut illud, *universa Italia*, ad illud referatur quod pone sequitur, 'Arma adversus Romanos cepit.' Quod alioqui, unde pendeat, non habet, nec potest ipsum per se consistere. Hanc opinor Velleio mentem fuisse: in verbis fortasse non nihil potuit a nostra conjectura dissentire, nec mihi, a veteribus libris destituto, affirmare quidquam licet. Tantum, quid sentiam, ostendo, studio et propensione quadam animi ad litteras adjuvandas. *Manutius. Universa Italia*] Florus lib. III. cap. 18. 'Asculo furor omnis erupit.' Belli ea origo fuit, quod Asculani cives Romanos interemissent inter ludos. Julius Obsequens: 'Asculi per ludos Romani trucidati.' Ita lego. Pessime, imo nullo sensu hactenus editum fuit, *A Sylo per ludos, &c.* Una opera apud eundem paullo post reponimus, 'Rutilius Lupus:' non, *Lucilius*, ut circumfertur. *Vossius.*

Asculanis] Picenorum oppidum Asculum Ptolemæo: Ascoli hodie.

Servium Prætorem] Etiam Orosius 'C. Servium Prætorem' appellat: At Livii Epitoma 'Q. Servilium Proconsulem,' uti et Appianus. *Lipsius.*

Ita causa fuit justissima] Ita Florus III. 18. 3. 'socios jus Civitatis quam viribus auxerant, justissime postulasse,' ait; sed ipse se explicat dum præmittit: 'Non minore flagitio socii intra Italiam, quam intra urbem cives rebellabant.' Et III. 13. 2. cum de his caussis loquitur, 'Inerat,' inquit, 'omnibus species æquitatis.' Ergo *species æquitatis* intelligenda est, non ipsa æquitas: sive, ut clarius dicam, æquitas erat aliqua in petitione, sed nulla æquitas in obtinendæ petitionis modo. *Boecler.*

Duplici numero] Petrus Delbenius legend. putat, *duplici munere. Manutius. Duplici numero*] Frustra vexatur hic locus, qui valet. Tamen legendum aliquis censet *duplici munere*: ab imperitia aut certe incogitantia moris prisci, qui fuit, ut socii duplum militum fere darent præ Romanis. Livius sæpe ingerit, ut lib. XXXVI. 'Decretum ut novorum militum tria millia duceret, et trecentos equites: ita ut in iis duæ partes socium Latini nominis, tertia civium Romanorum esset.' Libro XXXV. 'Imperatum L. Quinctio, uti duas legiones civium novas scriberet, et

pedum ac Latini nominis viginti millia peditum, et equites octingentos.' En, manifesto numero duplici: quoniam legiones tunc nondum sex millium factæ. Exempla plura observitabis. *Lipsius. Duplici numero*] Liv. XXII. 37. 'Milite,' ait, 'atque equite nisi Romano Latinique nominis non uti populum Rom.' qui tamen postea mutavit, v. Herm. Hug. Mil. Equestr. II. 2. Usurpatur hic (quod observari debet) Miles pro pedite, ut apud Velleium Nostrum 'milites equitesque' dicuntur. Adi Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 21. *Boecler.*

Militum equitumque] Ergo equites sejuncti a militibus? Ita, genere quodam loquendi. Nam pedites, quia plurima et præcipua militiæ pars, ἐξοχῇ quadam veniunt sæpe soli in militum nomen. Cæsar de Bello Civili III. 'Cum ipsi numero militum equitumque præstarent.' Hirtius in bello Africo: 'Advectis militum equitumque copiis.' Et alibi quoque in iis libris. *Lipsius.*

Amplius CCC. *millia*] Non dubito pro cladibus et cædibus quas passim lego. In Eutropio tamen minor multo numerus: qui de bello Sociali et Civili simul, libro V. scribit: 'Consumpserunt ultra CL. M. hominum, viros consulares XXIV. Prætorios VII. Ædilitios LX. Senatores fere CCC.' Sed ego profecto ibi scribam adauctis notis, D. M. *hominum*: nec minus fuit in utroque illo bello. *Idem.*

Quippe expulsum] Val. Max. II. 8. 4. et V. 2. 7. Appian. Bell. Civ. Cic. pro Sext. XVI. Flor. III. 16. 2. *Boecler.*

In leges ejus jurare] Remoram hic injicit vir adprime hac doctus litteras. Ait, *more majorum in leges jurari.* Movetur hoc, et Dionis lib. XXXIX. scriptoris virorum Illustr. Apuleii, et Dionysii lib. VI. locis. Sed errat tantum, ut hoc statuant, ut mage contrarium omnes videas penitius, et loqui præter Halicarnass. de perniciosarum rerum auctoribus sive tribunis, dabis, et hactenus facile concesserim. Cum enim suas leges firmare contra bonos et viros et cives legitimo modo non quiverint, huc, malo modo, nullo bonorum more descendisse quis negaverit? Halicarnassæi locus aperte de Legibus sacratis agit. Sed quid ad Livium lib. XXXI. 'Quia Flamen Dialis erat,' ait, 'jurare in leges non poterat.' Facile eludo ictum. Loquitur de Diali qui in magistratu: magistratum autem in suas leges jurasse, se servaturum neque violaturum æquum fuit. Cur non Dialis? quia iis jurare omnino nefas. Agell. lib. X. cap. 15. Quid plura? hoc certum, non arbitrarium: in leges non juratum, nisi scito cautum jurare. *Scheffkius.*

Consensu Reip.] Nemo, vel mediocriter in Romanis rebus versatus, non intelligit, *consensu populi Romani*, legendum esse. Natus error ex litterarum similitudine, ut alibi quoque: nam *Resp.* sic, *R. P.* Populus autem Romanus, *P. R.* scribebatur: quod jam pueris quoque notum est. *Manut.*

CAP. 16. *Silo Poppædius*] Ita legi potest: *Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Poppædius, Hirrus Asinius, T. Vettius, Cato, C. Pontius Telesinus, Marius Egnatius, Papius Mutilus.* Ita Appianus Bell. Civil. lib. I. profert hæc nomina, et fortasse aliquanto emendatiora, quam nunc sunt in Velleii codicibus. Illud certe, quod est in libris vulgatis, *Insteius Cato*, penitus displicet, pro quo Cicero in Philippicis, et Appianus libro supra memorato habet, *T. Vettius Cato*, quod placet. *Ursin. Silo Poppædius*] Melius *Pompedius*: ex Diodoro ac Orosio. Apud Appianum est Πομπήδιος: leviculo errore, pro Πομπαίδιος, aut Πομπήδιος. Ita enim aliquos scribere video: in his Josephum Antiquit. Jud. lib. XIX. cap. 1. Ubi tamen non hunc, sed alium posteriorem nominat. Dio quoque lib. XLVIII. Antonii ducem quendam Ὀυηπήδιον Λι-

λῶνα appellat. Sed lego, Πομπήδιον. Apud Senecam patrem Declamator quidam mendose 'Pompeius Silo' vocatur: ac ita quoque hujus nomen corruptum apud Obsequentem. Plutarcho in Apophtheg. hic Πόμπιος, in Mario Πόπλιος dicitur. Utrobique scribendum Πομπήδιος, aut potius Πομπαίδιος, ut apud eundem in Catone Minore. In hunc modum Florus, Livii Epitomator, aliique restituendi. Piget enim hæc pluribus prosequi. *Vossius.*

Herius Asinius] Livio lib. LXXIII. 'Hirmius Asinius Marrucinorum prætor.' *Insteii*, et *Isteii Capitonis* mentio apud Tacitum Annal. lib. XIII. et in lapide apud Cujacium Observat. lib. IX. c. 37. 'Papius;' Orosio, 'Papius Mutilus;' Diodoro, 'Aponius Motylus.' *Schegk.*

Insteius Cato] Ursinus legit *Vettius Cato*; ex Appiano, et Ciceronis Phil. XI. Ego amplius deliberandum censeo. Nam unde *Insteii* nomen paucis notum hic irrepserit? Itaque hæreo, an non *Insteius Capito* sit legendum, ex Taciti Annal. XIII. ubi 'Insteii Capitonis,' sed alterius, mentio. Si tamen Ursini lectio placeat, eo quod Capitonis alii in enumeratione ducum non meminerint, incertum erit, num P. an T. an C. *Catonem* vocitet Velleius. Quantum enim scrutari potui, duo, vel forte tres Catones inter Italicos duces fuere. Primus, ut dixi, est P. Vettius Cato. Hunc Cicero Phil. XI. et Appianus, 'P. Vettium' nominant. Alter est 'Titus Vettius Cato.' Eum Eutropius 'T. Vettium' appellat: uti et Cicero Phil. XI. ubi vulgo legitur: 'cum P. Vettio Catone duce Marsorum.' Sed cum in optimæ notæ Ms. Bibliothecæ publicæ hujus Amstelodamensis urbis inveneriin, 'cum P. Vectio, et Titio Scatone:' non dubito, quin legendum sit, *cum P. Vettio, et Tito Catone*. Tertius esset, C. Vettius prætor Marsorum; cujus meminit Seneca de beneficiis III. 23. Sed locus mihi suspectus. Puto verius esse, *T. Vettius*: idque Cicerone præeunte, ut vidimus. *Vossius.*

Papius Mutilus] Vulgo, *Mutilius. Papius Mutilius*] Lege, *Mutilus*. Non affero Appianum, Orosium, et alios, qui ita scribunt. Satis id firmant Fasti, qui ad annum urbis DCCLXI. ex eadem gente consulem constituunt M. Papium Mutilum. Mendose etiam apud Diodorum in excerptis libri XXXVII. apud Photium scribitur, Γαῖος Ἀπώνιος Μοὔτυλος, pro Γαῖος Πάπιος Μοὔτυλος. Apud Plutarchum lib. de Fortuna Rom. est Μοῦμος. Ubi Μοὔτυλος legendum, non Μουτίλιος, quod volebat Popma. *Idem.*

Decii Magii] Vir doctus hic legendum affirmat, *Decimi*. Eo impulsus, ut ait, quod necessario hic esse debeat prænomen. Sed fallitur. Nam Italicos duces duo gentilicia nomina quandoque habuisse constat: ut Minatius Magius, Marius Egnatius, Herius Asinius. Decii autem hujus meminit etiam Livius lib. XXIII. ac Silius Italicus lib. VIII. Ex quo apparet, Livii itidem locum frustra a Sigonio esse tentatum. *Idem.*

Hirpinis] Vide Cluverium in Italia antiqua.

Herculaneum] Plinio, Ciceroni, et Melæ; *Herculeum*, Ἡράκλειον, Straboni. Hujus mentio quoque apud Nonium, in verbo 'Fluvius.' Campaniæ Felicis, ad Sinum Puteolanum urbs est, inter Pompeios et Neapolim, Halicarnasseo. *Ortel.*

Cosamque occuparet] Quidam legendum censent *Cosam*. Quæ urbs Umbriæ Livio, Melæ, Plinio, Stephano: imo etiam, si vulgatis editionibus stamus, ipsi Velleio lib. priori. Sed nihil hic mutandum, satis clarum esse possit ex iis quæ ibi notavimus. Quamquam magis inclinet animus, ut hic *Compsam* legendum putem. Quæ Hirpinorum urbs est, ut infra dicemus. Nam de Hirpinis hic loquitur Vel-

leius. *Vossius.*

Tum maxime dilucideque] Lipsius legit, *tum maxime dilucide Q. Hortens.*

Hortensius] Meminit ejus quoque Cic. de Orat. III. item in Bruto cum laude et Senec. in pr. contr.

Cujus pietati] Editio vetus interserit vocem *ille;* ex quo Lipsius legendum conjicit *cujus scilicet pietati.*

Ipsum viritim] Id valet: solum et seorsum civem faciendo, non una cum aliis et in turba. Quod certe ad honorem ejus facit, et amorem simul indicat Romanorum. Volui aliquando scribere, *Ipsum Quiritium civitate donando:* nunc desisto. *Lipsius.*

Cum seni adhuc crearentur] Non frustra hoc adjectum. Brevi post, Sulla Dictator numerum vel ad IIX. auxerat, Lipsio ad Taciti I. teste: vel ad decem, quod Pomponio Jurisconsulto titulo de Origine juris visum, suffragante Cl. viro P. Pithœo in notis ad Collationem Legum Mosaicarum, et Onuphrio Panvinio in Fastis. *Schegk.*

Utque ad saga iretur] Sagum amictum militare Græcis, Gallis, Germanis, Hispanis usitatum cum Romanis. Cicero, Plutarchus, Tacitus, Strabo, Nonius, Suetonius. Hoc Romæ moris in dubio periculosi Martis eventu sumere; ut in tumultu, et tristi tempore civitatis ponere anulos, indicere justicium, differre vadimonia, mutare vestem. Livius, Tacitus, Suetonius, Juvenalis, Lucanus, alii. Et sumtum (ad quod SC. vel lege opus Cic. Philipp.) non deponebatur, nisi spe lætiore, et Fortuna obsequente. Orosius lib. v. 'Consulares,' tamen ait Cicero, Philip. VIII. 'togati esse solent, cum civitas est in sagis.' Ejus tria, ni fallor, genera. Unum lugubre, id est, luridum, nigrum, pullum, luctu fugaque dignum, ut Commentator Horatii ad Epod. 9. describit, et de quo nos hic. Alterum gregale, militum dico, densum et villosum; cujus colorem diu anquisivi, nec inveni: coccineum Commentator tribuit sine ratione et auctore. Scio, Romanis coccineam tunicam supra prætorium extensam futuri prœlii signum fuisse: sed quid huc? Doctissimus vir confundit cum illo; ego hæreo, et Strabonem lib. III. audio, tamquam novum quid tradentem, esse gentes, quæ pullo sive nigro utantur sago. Tertium, Imperatoris, quod paludamentum proprie. Apuleius Apologia I. 'Verum tamen hæ, Diogeni, et Antistheni pera et baculus, quod regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.' Color purpureus seu puniceus, præter exempla a doctis prolata ex Hirtii lib. I. Belli African. probo; 'Nam cum Scipio sagulo purpureo ante regis adventum uti solitus esset, dicitur Juba cum eo egisse, non oportere illum eodem uti vestitu; itaque factum est, ut Scipio ad album se vestitum transferret.' Ex quo et hoc haud absurde colligas, purpureum præcipue principem; album etiam eos, qui in exercitu alicujus dignationis et gradus, induisse. *Idem. Utque ad saga iretur*] 'More Romano sc. quo in tumultu ad saga iri decernebatur. Differt hæc mutatio vestium ab illa altera, luctus caussa usurpari solita, qua pro nitidioribus sordidæ vestes sumebantur.' Vide Brisson. formul. II.

Caput imperii] Ex antiqua editione legit Ursinus, *caput imperii sui legerunt Corfinium Italicani.*

Corfinium] Κορφίνιον, Pelignorum urbs primaria; Straboni, Diodoro, et Ptolemæo, 'Corfinienses' Plinio. 'Campi di S. Pellino,' alio nomine Pentinio hodie vocari, apud Leandrum et Colleantium lego. *Ortel.*

Appellarent] Fortasse legendum, *appellarunt.* Burrer. *Appellarent Italicum*] Lege, *appellarunt Italicum.* Corfinium Italicum dictum, liquet ex Strabonis lib. v. et Diodori excerptis

lib. XXXVII. apud Photium. Hinc Silius Italicus, hoc est, Corfiniensis. *Vossius. Appellarent*] Non video, quæ ratio adigat, ut *Italicam* legamus. V. Sigon. de Antiq. jur. Ital. III. 1. *Boecler.*

Fluentem procumbentemque] Non optime ad metaphoram, quæ continuari in his talibus amat, conjungi duo ista, quæ vocant, participia videntur. Itaque jam labebar, ut *ruentem* substituerem. Nihilominus Virgilius quoque meminit: ' Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri Spes Danaum.' *Acidalius. Fluentem procumbentemque*] In Ms. fuit, *Rempublicam P. R. restituentibus.* Nec putem mutandum temere. Aggenus de limitibus agrorum: ' Est ager similis subsecivorum, conditioni extra clusus; qui si R. P. Populi Romani datus non est, &c. jure subsecivorum, in ejus, qui assignare potuerit, remanet potestate.' Unde infra etiam forte legi debet, *Quod non Augustus post reditum in Urbem R. P. Populi Romani repræsentavit*: non autem, *R. P. Populoque Romano repræsentavit*; ut vulgo edunt. *Voss.*

CAP. 17. *Nisi quæ*] Lipsius, *nisi quod Nol. Nisi quæ*] Lego, *qua. Qua*, pro *quatenus*, apud optimos quosque Scriptores passim obvium. *Idem.*

Integris] A valetudine metaphoram duci, innuere videntur ista: *afflictis*, et *integris*. Acidal.

Vir qui neque ad finem victoriæ, &c.] Plane ad hanc sententiam Valer. IX. 2. 1. ' L. Sulla, quem neque laudare; neque vituperare quisquam satis digne potest: quia dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano; dum sævitiam exercet, Annibalem repræsentavit.' *Boeclerus.*

Hic natus familia nobili] Vide Plutarchi Syllam.

Intermissa esset] Acidalius legit *intermisisset*. Activa autem illa vocabula sæpe passive sumuntur.

Nactus est] Ita restituit Gruterus; vulgo, *factus est.*

Undequinquagesimo] Plutarchus, *quinquagesimo.* Τπατος μὲν, inquit, ἀποδέδεικται πεντήκοντα ἔτη γεγονώς. *Lipsius.*

CAP. 18. *Vir neque silendus*] 'Quippe cum quatuor Pyrrho, XVII. Annibali sufficerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus in gentibus bellis subactus, felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur.' Florus lib. III. cap. 5. Appianus, Plutarchus in Sulla, Lucullo, Pompeio, Cicero pro L. Manilio, alii. *Schegk.*

Semper] Malim, *aliquandiu.* Sed de magnitudine animi hujus regis, emendetur Sallustianum fragmentum, apud Fabium, si memini: ' Mithridates corpore ingenti, perinde et armatus.' Facito, *perinde et animatus.* Lipsius. *Semper animo*] Vir summus adducit heic fragmentum Sallustii de eodem Mithridate: ' Mithridates corpore ingenti, perinde et armatus:' exque eo facit *perinde et animatus.* Forsan vere, si constaret nobis, quæ verba huic frusto annexa fuissent. Id cum non liqueat, putarim suam esse energiam lectioni vulgatæ. Sic Curtius fere lib. VIII. ' Ipse Porus humanæ magnitudinis propemodum excesserat formam: magnitudini Pori adjicere videbatur bellua qua vehebatur,' &c. *Gruterus.*

Necatisque in ea omnibus civibus R.] Memnon de Tyrannis Heracleæ Ponticæ, item Valerius Maximus lib. IX. cap. 2. LXXX. millia Romanorum occisa tradunt. Ut omnino sit verisimile, Plutarchum in Sylla errare; qui numerum usque ad C. et L. millia adauxit. Quanquam Appianus in Mithridaticis Plutarcho fidem adstruere videatur. Centum enim et sexaginta millia perempta fuisse tradit. Sed Memnonis hic potior videtur auctoritas. *Voss.*

Mitylenæorum] Mitylene, Plinio; Melæ, Arriano, Vitruvio, et Ptole-

Mitylenæ, Lesbi insulæ oppidum libertum. ‘ Mitylin’ vocat Sophianus. *Ortel.*

Atioque] Q. Oppium proconsulem intelligit. *Schegkius.* Et hæc summa harum gentium fuit perfidia.

In unius Theophanis gratiam] Plutarch. in Pompei. et Vossius de Hist. Græc. I. 23. Apud Tac. XII. 61. 2. Cois in unius Xenophontis medici gratiam immunitas concessa. Apud Plutarch. advers. Colot. in unius Aristotelis gratiam Stagira excitata. Qualia exempla alibi quoque, nec panca reperiuntur. *Boeclerus.*

P. Sulpicius] De quo Pædianus. Valerius lib. VI. Cicero in Bruto. De bello cui non dictus Hylas? *Schegkius. P. Sulpicius*] Idem retulerat Asconius Pædianus ad Orationem Ciceronis pro Cornelio. Sed locus ejus etiamnum corruptus. Adscribam ergo illum, ut, quantum in me est, repurgem. Ait autem de Sulpicio: ‘ Ab initio bonarum actionum ad perditas progressus. Quod et initium bellorum civilium fuit, et propter quod ipse Sulpicius Cos. armis ire oppressus esse visus est.’ Lego, nulla fere mutatione: *propter quod ipse Sulpicius, consularibus armis jure oppressus esse visus est.* Nam τὸ *Cos.* antiquis librariis, et consulem, et consulatum, et consularem notabat. Ex *ire* etiam fecimus *jure.* Vere, ut arbitror, et ex usu historiarum. Quippe Sulpicium, Sylla consule, in Laurentinis paludibus jugulatum, mox etiam prodit Velleius. Cum quo consentiunt Florus, Appianus, Orosius, aliique. *Vossius.*

Quæsisset] Ut alibi pro simplici cōpositum, ita hic pro composito simplex. Quærere est enim acquirere: neque nostro solum, sed plerisque probatis omnibus. Justinus lib. II. ‘ Imperium Asiæ ter quæsivēre:’ lib. I. ‘ Regnum quod fraude quæsierant.’ At hic quidem trecentis locis, quæ cui bono quæram? *Acidal.*

Cap. 19. *Laurentinis*] Laurentinas paludes a Laurento nomen accepisse constat. Laurentum autem Latii urbs Straboni: de urbe ita Papinius lib. V. Sylvarum, ‘ Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat undis.’ Laurentinas quoque paludis Virg. meminit.

Rostris] Ex rostris Antiatium navium in foro suggestum erectum, ex quo loco conciones ad populum fieri solitæ. Liv. I. 8.

Annoque LXX.] Placeret magis: *Marius post sextum Consulatum, annosque* LXX. *nudus, &c.* nam illud, *annosque*, ad dictionem *post*, quæ præcedit, referendum est. *Ursinus. Annoque* LXX.] Potest esse a glossa, *annoque septuagesimo;* nam ætatem illam expressit antea capite 18. *Gruterus. Annoque* LXX.] Lego, *annumque.* Nam si Marius, ut ante Velleio narratum, septuagesimum annum jam fuerit egressus, cum Sulpicius legem ferret, necesse est illud; et magis quidem, locum habere illo jam pulso, licet brevissimum spatium intercesserit. Quod satis colligere possumus ex inscriptione rerum gestarum Marii. Non adscribam eam integram, quia longiuscula est. Sufficiunt hæc verba, quæ ad institutum nostrum spectant: POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS. EST. *Vossius.*

Circa paludem Maricæ] Fortasse nomen silvæ prope Minturnas, nam Meningem postea se contulit, ut ex Plutarcho liquet. *Manut.*

In carcerem Minturnensium] Juvenalis Satyra X. ‘ Exilium, et carcer, Minturnarumque paludes, Et mendicatus victa Carthagine panis, Hinc caussas habuere.’ Et Lucanus lib. II. ‘ Cum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos Exul limosa Marius caput abdidit ulva. Stagna avidi texere soli, laxæque paludes Depositum fortuna tuum: mox vincula ferri Exedere senem, longæque in

exercite pudor.' Eadem Ovidius de Ponto IV. Valerius in privata domo Minturnis clausum dicit. *Schegk.*

Jussu II. *viri*] An potius II. *virum?* Duo enim certe in coloniis. *Lipsius.* *Jussu duumviri*] Nocuit loco scripturæ compendium. Fuit certe, *jussu duumvirali.* Gruter.

Cum gladio] Merum glossema, *cum gladio:* additum ab eis, quibus gnarum statim sequi, 'abjecto gladio profugit e carcere.' At ideo mihi potissimum hoc supervacuum videtur; idemque sentio de illis, 'e carcere,' quæ modo produxi. *Gruterus.*

Servus publicus] Cujus ministerio magistratus utebatur juxta Gellium lib. XII. cap. 3. Licio transverso, qui magistratibus præministrabant, cincti erant. Vide et Varr. de ling. Lat. VII. Cic. Verrin. Tac. Annal. lib. I. et Lipsium in Annot. ad Tacitum.

Natione Germanus] Quem hic Germanum vocat, alii Gallum fuisse scribunt. Sed hujus diversitatis hæc est caussa; quod vulgus interpretum nescit, Celtarum vocabulum, apud Græcos scriptores, et Gallis et Germanis accommodari. Verisimile est Germanum fuisse, qui sit Cimbrico Teutonicoque bello captus. Sed et insigne Germanicæ probitatis specimen edidit ei parcens, a quo vita donatus erat. Nec me moverit vel Plinius vel Florus, qui Gallum fuisse scribunt: quod constet Romanos olim, Gallorum vocabulo Germanos etiam intellexisse, non Gallos tantum, modo veterum annales uterque istorum secutus est. Sed hæc satis sint in Velleii defensionem. *Rhenanus. Natione Germanus*] Cimbrum fuisse, præter Velleium, tradunt etiam Valerius et Lucanus. Livii tamen Epitomator Appianus, Auctorque de viris illustribus, Gallum nominant. Plutarchus utrumque dici refert. Rhenanus, aliique eum secuti, nodum se solvisse crediderunt, dicendo, veteres Gallorum vocabulo etiam Germanos comprehendisse. Sed hæc eorum errorem confutat Cluverius Germaniæ Antiquæ lib. I. cap. 10. Qui tamen frustra, ubicunque de Cimbris mentio, Gallorum nomen ex libris conatur evellere. Vix enim dubito, quin error ille sit quorundam veterum, qui, cum ipsi essent ἀγεωγράφητοι, secuti sint auctores, qui ante Galliam a Romanis penetratam dixere, quibusque Cimbrorum sedes erant incognitæ. Ita videmus Florum lib. III. cap. 3. Cimbros 'in extremis Galliæ' constituere. Ubi, ne quis audiat Cluverium, reponentem *Germaniæ*, addo, apud Rufum Festum, qui Florum sæpe sequitur, legi: 'Marius Gallos de Italia expulit: et transcensis Alpibus feliciter adversus eos pugnavit.' Hinc Glossæ nostræ membranaceæ: 'Cimber, Gallus, civis de Gallia.' *Vossius.*

Magno ejulatu expromenti] Gryph. et Steph. *Magno cum ejulatu se prodentem, indignatione casus tanti viri.* Male: unde tanto Imperatori tam muliebre pectus? Cicero in Paradoxis: 'Marium in secundis rebus ex fortunatis habeo; in adversis unum ex summis viris.' Sane in Bruto plane virum laudat. *Schegkius. Magno ejulatu expromenti*] Quæcunque aliis, mihi vero mens sedet, *expromens* vel *exprimens* legere. *Acidal. Magno ejulatu, expromenti*] Minime legendum *expromens*, ut sedet nonnullis: nam vox *expromenti*, non respicit servum Germanum, sed vocem adsitam *ejulatu*. Gruterus. Legi quoque potest, *exprimenti.*

Indignationem] Vide Cl. Freinshem. ad Curt. X. 8. 3. Valerius Maximus II. 10. 6. ad majestatem, id est, amplitudinem et admirationem tanti viri retulit hunc servi timorem; tum ad memoriam cladis Cimbricæ; denique ad fati providentiam: Noster de 'indignatione casus tanti viri' loquens, partim ad miserationem, partim ad priores duas, quas modo dixi,

eorum respicit. *Boecler.*

Æmariam] Inarime Virgilio, Græce Pithecusa, maris Tyrrheni insula est in sinu Puteolano.

Cum Marius, &c.] Egregie exprimit et subjicit lubricum istud et incertum rerum humanarum. Placuit Lucano, et mutuatus est: 'Solatia fati Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes Ignovere Deis.' *Lipsius.*

CAP. 20. *Ab exercitu*] Aliter, *ad exercitum.*

Seditione] 'Ambitiosi ducis illecebris,' inquit Valerius, 'corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactaverunt.' *Schegk.*

Creaverat] Dubito nonnihil, an pro *creaverat*, legendum sit *exciverat*, vel *excitaverat*. Burrer. Sed hæc etiam probe lectio est.

Ut in octo tribus] Vide de re et historia Sigon. de Antiq. jur. Ital. III. 1. Annotatur autem hic a Velleio ipsissima ratio arcani, sive artis, circa novorum civium admissionem usurpari solitæ. *Boecler.*

Flamen Dialis] Id est, sacerdos Jovis. Flamines tanquam Filamines dictos Grammatici volunt, quod Filo caput ligent. Nudos enim capite incedere nefas erat, teste Servio.

Hæc injuria] Peraphrasis ista est: Hanc severitatem ademtæ dignitatis merebatur sane homo, sed ad novas pœnas (præsertim in tali civitate, in personis talibus) decurrere, semper periculosum est, propter exemplum, quod datum sibi credit et dicit, quisquis eo abuti cupit. Ita de Clodii cæde infra II. 47. 'exemplo inutili, facto salutari reipubl. jugulatus est.' Confer supra II. 3. *Boecler.*

Cujus augendæ] Optima lectio, per Hellenismum satis notum. *Idem.*

De exilio revocavit] Inter consilia et instrumenta res novas molientium passim observare licet, 'revocatos ab exilio proscriptos patriaque expulsos:' quippe qui et calamitate favorabiles, et patriæ ob exilium infesti, et pro reditu conficiendo omnia ausuri videntur. *Idem.*

CAP. 21. *Bello Marsico*] Flor. III. 18. Strabo: 'Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Asculi eversione, Manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium Diis litaretur.' Adde Liv. Epit. LXXIV. et LXXVI. *Idem.*

Ut præscripsimus] Frustra Velleii memoriam accusat Popma, quia de Piceno mentionem non fecerit. Nam Velleius non locum, sed res gestas respicit. Dixit autem ante: 'imperatores Romani fuerunt eo bello Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius,' &c. Item 'Pompeio, Sullaque, et Mario fluentem procumbentemque Remp. P. Romani restituentibus.' *Vossius.*

Ut omnia ex proprio usu ageret] Livii Epit. LXXIX. 'Cn. Pompeii fraudem' notat: 'qui utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit.' Ita 'Amyntas' apud Curtium IV. 1. 27. 'semper ex ancipiti mutatione temporum pependit.' Ita 'temporaria Græcorum ingenia incertæ famæ captant auram, ut quocunque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur,' apud Eundem IV. 5. 11. *Boecler. Ageret*] Malim *agere*. Quod nisi per alios steterit, per me facile cadet. *Vossius.*

Affuisset] Aldus reponebat *affuisset*. Quomodo jam ante eum legebatur apud Cuspinianum; qui hunc locum citat. *Idem.*

Oculisque] Vulgo, *sociisque*. *Oculisque*] Displicent *sociisque*, nec germana sunt. 'Socii Romanæ urbis,' duriter dicuntur iidem 'pugnasse et spectasse,' falso. Nam cives quoque parte una pugnarunt, nec socii sane spectatores ulli, sed actores. Denique copula in voce *sociisque*, non pro sermonis textu. Nos credimus fuisse *sub ipsis mœnibus oculisque* (sive ocu-

que) urbis Romanæ, pugnantibus spectantibusque quam fuerit exitiabilis. Hæc pugna, inquit, commissa, non ut aliæ procul a patria, sed apud Janiculum, sub ore atque oculis Romanæ urbis, quam tristis funestaque fuerit et pugnantibus et spectantibus ægre dici potest. Sic mihi videtur; et rogo ne quis ἄπειρος τῶν κριτικῶν κριτὴς ἔστω. *Lipsius. Oculisque*] Locus obscurus, ac corruptus, quique diversa eruditorum ingenia torserit. Nos minima mutatione rescribimus: *sub ipsis mœnibus, fociisque urbis Romanæ, &c.* Sensus perspicuus, et qui non egeat interprete. Nec absurda tamen Lipsii conjectura, ut quidam rentur. Putabat ille, pro *sociisque*, legendum *oculisque*. Ut sensus fuerit, hanc pugnam non cominissam procul a patria, ut aliæ; sed sub ore et oculis urbis Romanæ. *Vossius.*

In corpus mortui contulit] Οὔτε γὰρ μῖσος οὕτως ἰσχυρὸν καὶ ἄγριον ἐπεδείξαντο Ῥωμαῖοι πρὸς ἕτερον στρατηγὸν, ὡς τὸν Πομπηΐου πατέρα Στράβωνα· non erga alium Ducem Romani infensius sæviusque animati, quam erga Strabonem Pompeii patrem erant, inquit Plutarch. Pompei. pr. 'Cujus corpus, cum fulmine ictus expirasset, dum effertur, lecto detractum, omnique ignominia affectum,' idem memorat, caussamque ejus odii exprimit: ἁπλήστου χρημάτων ἐπιθυμίαν. *Boecler.*

Seu duæ seu tres Pompeiorum] V. Carol. Sigon. Comm. in fast. et triumph. Rom. ad an. U. C. DCII. et Onuphrium Panvin. Comment. in lib. I. fast. ad an. DCXIII. *Idem.*

CLXVIII.] Ex vet. habet CLXVII. *Burrerius.* CLXVIII.] Turpiter erravit Marlianus, dum legit LXVIII. et, pro *Q.*, *Quam*, ut habet Rhenanus, reponit. Sed legendum CLXIX. Leopardum vide Miscellan. VIII. 8.

CAP. 22. *Mox C. Marius*] Lucan. II. 'Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor Intravit! quantoque gradu mors sæva cucurrit! Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur Ensis, et a nullo revocatum est pectore ferrum,' &c. Legendus præsertim Appianus Bell. Civ. I. qui etiam indignas mortes tam illustrium virorum, quos hic nominat Velleius, describit. *Boecler.*

In mediocres] Vulgo, *immediocri. In mediocres*] Tam apertam mendam fallere tam oculatos Argos potuisse? Nam ipsa se quidem verba refellunt. Quomodo mediocris sævities, quæ in tot talesque viros varie grassata? Nec εἴρωνα heic Velleium agnosco. Sed emendetur quamprimum me auctore: *Neque licentia in mediocris sævitum, sed excelsissimi quique eminentissimique* (sic enim et heic malo) *civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti.* Antiquus scilicet accusativi flexus errorem peperit, ut capiti vocis præpositio assueretur, caudæ sibilus præcideretur: cui tamen etiam verbi sequentis initialis litera occasionem fecit proniorem. *Acidalius. In mediocres*] Rhenani et Acidalii scripturam pro commodissima habui, secutusque sum. Nam quod non nemo existimabat, *immediocri* (quod hic legebatur) pro simplici, *mediocri*, poni, curiosius videtur quam verius. *Boeclerus.* Quid tamen si duplex negatio pro simplici posita fuerit?

Excelsissimi] Lib. vet. *excelsissimi quoque atque eminentissimi*, addita copula. Ex quo Aldus *Excelsissimi quique atque eminentissimi civit.*

Consulatu] Ita recte emendant; vulgo legebatur *consulis. Consulatu*] Cinna, cum ei a Senatu consulatus abrogatus esset, insignia interim consularia retinuit. Quod eo notandum fuit, ut appareret, vulgatam hujus loci scripturam aliquo modo defendi posse. Non displicet tamen *consulatu*: quomodo Griphio, Marneffio, Stephano, Schegkioque editum, qui tamen minus candide hanc emendationem sibi adscribere conatur. *Vossius. Consulatu*] Ita Rhenanus edidit, ne do Auctore hujus lectionis in pos-

terum dubitetur. *Boecler.*

M. Antonius] Cicero Tusculan. v. Lucanus II. 'aut te præsage malorum Antoni, cujus laceris pendentia canis, Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Imposuit.' *Schegk.*

Quos ipsos] Non dubito, quin *ipse* scribendum sit, non *ipsos*, ut legatur: *Quos ipse facundia sua moratus erat, &c.* nam verbum *ipse* aliquanto ἐμφατικώτερον videtur. *Ursin.*

Perpolito] Verius fuerit *perlito*. Lipsius. *Perpolito*] Lipsius verius esse putabat *perlito*. Mihi veterem veramque scripturam mutare religio est. Cælius Aurelianus I. 1. Tardarum Passionum: 'Sed neque præstantius quicquam antecedentium causarum, ut adustio, cruditas, vinolentia, atque exercitium post cibum, vel mansio sive somnus in speluncis affertur, aut nova politura in muris parietis cubiculorum.' Vide etiam Festum in Depolitiones. *Vossius.*

Et qui fuisset locuples, fieret nocens] Πλουσίοις γὰρ οὐκ ἔστιν, ὅτε εἰρήνη πρὸς τὸν ἰσχυρότερον ἐν τοῖς τοιούτοις γίγνεται: divitibus enim in hujuscemodi casu nihil contra vim potentiorum tuti est, inquit Dio in descriptione triumviralis, quæ postea secuta est, proscriptionis, lib. XLVII. Et rursum, 'cum in aliis occidendis, tum præsertim in divitibus promtissimos fuisse' asserit 'Triumviros;' idque non sine caussa: Παμπόλλων τε γὰρ χρημάτων δεόμενοι, καὶ οὐκ ἔχοντες ὁπόθεν ἄλλοθεν τὰς ἐπιθυμίας τῶν στρατιωτῶν ἀποπληρώσωσι, κοινήν τινα κατὰ τῶν πλουσίων ἔχθραν προέθεντο: Quia enim multa prorsus pecunia indigebant, neque explere aliter cupiditatem militum poterant, communem inimicitiam divitibus indixerunt. Vide talia in Plutarchi Sylla. *Boecler.*

Suique] Vulgo *sui*, sed bene ita restituit Acidalius.

Merces foret] Vocula illa *foret*, auctore Lipsio, deletor tamquam glossema. *Merces foret*] Infra Noster, 'Fieretque quisque merces sui mortis.' Petronius Arbiter, 'qua re tam perdita Roma Ipsa sui merces erat, et sine vindice præda.' Ad eundem modum locutus Sallust. Catilin. *Schegk.*

CAP. 23. *Vir in bello hostibus, &c.*] Epit. Liv. LXXX. 'Vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior an pace perniciosior fuerit; adeo quam remp. armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.' *Boecler.*

Quadrantem solvi] Ut usura annua quadrante solveretur. Erat autem quadrans centesima tres; ternos igitur nummos ex centenis pendi, usuræ nomine Flaccus voluit. *Manutius.* *Quadrantem solvi*] Id est, quartam partem, ita ut tres (crediti an usuræ) partes perirent creditori, quarta deberetur. Est hoc genus novarum tabularum, quare Velleius turpissimam vocat hanc legem Valeriam, quippe quæ et manifestam haberet iniquitatem, et seditioso potius turbulentoque esset consilio a trib. pl. lata, quam summæ ac inexsuperabili necessitati publicæ data: quo solo casu, ubi usuræ sc. veluti tabes omnibus arrosis ad corpus ipsum pervenere, decreta novarum tabularum, specie inevitabilis subsidii, aliquando excusari posse videantur. V. Cæl. Rhodigin. XII. 10. Antonius Augustinus 'nihil aliud quam nominat hanc legem, cujus scilicet circumstantiæ et historia plenius apud Auctores superstites non perscribuntur.' *Boecler.*

Cujus facti merita] Liv. Epit. LXXXII. 'L. Valerius Flaccus consul collega Cinnæ missus, ut succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius ultimæ audaciæ homine occisus est.' Adde Velleii II. 24. *Boecler.*

Athenas] Vide Meurs. lib. de Atheniis Atticis.

Piræea] Portus hic erat Athena-

rum, quadringentarum capax navium, muro duorum millium passuum urbi conjunctus. Terent. Andr. ' Heri aliquot adolescentuli convenimus in Pyrrhum.'

Nimirum] Alii *nimium veri*. Florus certe non liberat suspicione, ait enim, ' Postquam domuerat ingratissimos hominum, in honorem tamen mortuorum sacris suæque famæ donavit.' De Græcorum flaxa et sublesta fide, res proculcata jam, notatumque ad Plautum. *Schegk. Nimirum*] Lege, *nimium*. Et ita jam in quibusdam codicibus emendatum reperio. De Atheniensium vero fide, contrarium prodit Tacitus II. Annalium in oratione Pisonis; qui appellat hos ' Mithridatis adversus Sullam socios.' *Vossius.*

Ante omnia] Lego, ex auctoris perpetua consuetudine, *in omnia*. Id illi est prorsus. Infra: ' M. Lollio homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore.' Superius item: ' Meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna usus.' *Acidalius. Ante omnia*] Acidalius legit *in omnia*. Sed nihil mutandum. *Ante omnia* valet *præcipue*. Quis nescit illud Maronis Georg. II. ' Duices ante omnia Musæ?' Sic et Plinius VIII. 37. ' Quæ natura malitiæ, et ante omnia, ursis.' Suetonius in Caligula: ' Destinaverat Mileti Didymæum peragere, in jugo Alpium urbem condere; sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere.' Plurima etiamnum hujus locutionis exempla afferrem, nisi studerem ante omnia brevitati. *Vossius.*

CAP. 24. *C. Flavius Fimbria*] Plutarch. Syll. Aurel. Vict. vir. illust. LXX. Liv. Epit. LXXXIII. *Boecler.*

Forte] Illud *forte* suspectum est Lipsio. Lib. vet. *ponte. Forte*] Et virtutibus Magni Mithridatis, et Velleio, etiam insignem, mea sententia, injuriam faciunt, qui emendant, *forti*. Ego *forte* omnibus modis retinendum censeo; ut dicat Velleius, casu magis, quam virtute Fimbriæ, Mithridatem esse pulsum. *Vossius.*

P. Lænas] Aldus verisimili conjectura legit *Popillius Lænas*. Nil tamen temere mutandum. Forte enim huic nomen fuit *P. Popillius Lænas*. Sed de hoc nihil possumus affirmare, cum apud cæteros scriptores Lænatis hujus nulla extet mentio. *Idem.*

Sex. Lucilium] Plutarchus in Mario, ipsum Marium auctorem hujus facti edit: sed in eo legas, Σέξτον Λουκίνον: *Sextum Lucinum*. Nostrum, an illum rescribis? *Lipsius. Sex. Lucilium*] Plutarchus in Mario, et Epitomator Livii lib. LXXX. produnt ipso die, quo Marius VII. consulatum iniit, Sextum Lucinum de Tarpeia rupe præcipitatum. Vicinitas nominum idem factum esse suadet. Et valde mihi verisimile, *Lucilium*, notiorem librariis, *Lucinum* e contextu removisse. Illud tamen interest, quod Lucini mors biennio ea anticipet, quæ ante hæc verba retulit Velleius. Aut igitur diversam narrationem esse existimandum est: aut, quod potius reor, Velleium biennii anachronismo peccasse. *Vossius.*

Saxo Tarpeio] Ex qua rupe olim damnati præcipitabantur. Gellius refert, eos quoque præcipitatos qui falsum dixissent testimonium. Vetitum postea, l. si diutino, D. de Pœn.

Metu] Ita legit Barrerius. Vulgo erat *motu*.

Aqua ignique] Qua interdictione quis in exilium mittebatur.

Legati Parthorum] Nam ante eam diem nihil commercii intercessisse inter utramque gentem, singularemque Syllæ eam felicitatem obtigisse, quod cum ipso primum Parthi societatis amicitiæque gerendæ caussa congressi sint, Plutarchus in Sylla auctor est. Memorabile est in illo congressu, quod cum Sylla tres sedes poni jussisset, unam Ariobarzani, alteram Orobazo (is legatus Parthorum erat) sibi mediam, atque adeo inter duos

sedens audientiam legato dedisset, postea Orobazus a rege Parthorum interfectus est. Scilicet 'Legatus,' cui idem, qui Principi mittenti, si adesset, honor debetur, 'etiam in loco prærogativam sui principis animose asserere debet, et fugere potius congressum, quam sinistre vel inferius sedere aut subscribere: ni faciat, plurimum Principi suo detracturus, ipse velut homo nihili habendus. Pluris enim apud Principem dignitatis possessio fit, quam ceterarum rerum quæ dignitati ancillantur.' Dixi hæc verbis Freder. de Marselaer, qui in Legat. lib. II. dissert. 32. tota, hoc argumentum tractat, exemplisque illustrat. Fieri tamen potest, ut illa de loco et *προκαθεδρίᾳ* contentio, plurimum publicis rebus, præsertim in communi negotio periculoque, noceat, neque detrimenta illa, comparatione vindicatæ prærogativæ repensari possint. *Boecler.*

Quidam magi] Plutarch. in Syll. refert 'quendam ex Orobazi legati Parthici comitatu, inspecto Syllæ vultu, observatisque diligenter animi et corporis motibus, adeoque natura indoleque ejus ad artis *ὑποθέσεις* exacta, prædicasse, fieri non posse, quin summus vir evaderet; etiam nunc se mirari, quod ante se quenquam esse patiatur.' Apud Gellium I. 9. 'Pythagoras adolescentes, qui se ad discendum obtulerunt, *ἐφυσιογνωμόνει*. Id verbum significat, mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, sciscitari.' Ammianus XV. 21. meminit 'veterum librorum, quorum lectio per corporum signa pandit animorum interna.' Vide Pontan. Philocal. X. 26. de variis gestuum naturalium significationibus. *Idem.*

Cœlestem] Suspecta mihi vocula. Nam cur Sullæ *vita cœlestis?* Imo scelesta revera, et facinorum plena. Si ad famam et nomen respicit prædictio, cur non *immortalem*, aut, quod ego velim censeamque nunc substitui, *celebrem* dicat? *Celebrem*, inquam, lego: et in Plutarcho magorum hoc præsagium breviter sic concipitur, *μέγιστον γενέσθαι. Lipsius. Cœlestem*] 'Cælo demitti' dicebant summa ingenia. Unde 'cælestis' (Augusti) 'animus sprevisse humana consilia dicitur,' II. 60. tanquam majoris e cælo auspicii prudentia fretus. De cetero Noster hac voce, crebra figura, excellentiam rerum celebritatemque notat. 'Cælesti ore' Cicero coarguit Antonium II. 64. 'Cælestem ejus vitam et memoriam futuram' hoc loco: de cujus loci lectione prorsus nihil dubito; cum gravitatem vocum captet Velleius, et hanc ipsam exempla asserant. 'Cœlestium præceptorum disciplinis innutritus,' Tib. II. 94. 'Cœlestissimum os' Ciceronis, ob singular. eloq. II. 66. 'Cœlestissima opera' Tiberii, II. 104. Quem ipsum superlativum augendæ novitate quadam gravitati non dubitavit assumere. *Boecler.*

Brundisii] Quæ urbs est Calabriæ.

Repulsoque] Restituo, vix unius literæ mutatione, *repulso quo externo metu, &c.* Laudandum, inquit Velleius, Sullæ consilium, qui existimavit, ante propulsandum esse bellum externum, quam domesticum: quo devicto hoste, et domestici motus facilius comprimi possent, et nequiquam hostibus præberetur occasio remp. Romanam discerpendi penitus, dum membra inter se decertarent. *Vossius.*

Superaret] Verborum series poscere videtur, ut legamus *superare;* quod verbum pendet ab eo quod præcedit, 'existimavitque,' &c. *Ursinus.*

CAP. 25. *Justis legibus et æquis conditionibus*] Ita Cæs. Bell. Civ. I. 'magnopere se confidere demonstrat, si ejus rei sit potestas facta, fore ut æquis conditionibus ab armis discedatur.'

Est enim conventio talis, sive pactio pacis vel æqua vel impar: ibi æqualitati justisque legibus locus hic est: hic observantia ut erga majorem, et quædam obligatio ad officia certa continetur. Vide omnino doctissimum Fabr. semestr. I. 7. *Boecler.*

Sed iis, quibus, &c.] Tales autem erant tum oligarchici illi spiritus et factiosi homines, tum plurimi e vulgo militibusque, cupidine rerum novandarum, sicut tabe infecti. Quapropter ' corruptissimo sæculo nemo eam vulgi' (et ceterorum) ' moderationem sperare poterat, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent,' sicut Tacitus de Vitellianis temporibus et impedimentis pacis loquitur H. II. 37. Excluditur e consilii publici auctoritate, quidquid privatorum cupiditatibus includitur: quæ jam directe publicis commodis adversantur. Verum an Sylla tam serio optaverit pacem, an vero spem pacis, famæ caussa et nominis, ad deludendos adversarios ostentaverit tantum, non desunt, cur dubitemus, caussæ. *Idem.*

Et sanissimo] Alias juxta Rhenanum, *sanctissimo*. Alioqui *sanissimi* dicuntur meliores et prudentiores.

Deinde] Vulgo, *denique*.

Scipionem] Non exputo, quid doctissimo viro in mentem venerit, legenti, *Cæpionemque*: invitis memoriis et Fastis, in quis, L. CORNELIVS. L. F. L. N. SCIPIO ASIATICVS. C. Norbanus. Adi Appianum, Cassiodorum, Tacitum. *Schegk.*

Superat] Liv. Epit. LXXXV. Appian. Bell. Civ. I. Flor. III. 21. 19. et 20. *Boecl.*

Justissimo lenior] Alias *mitissimo ac justissimo lenior*. Pro *vincit*, alias legitur *vinceret*. Rhenanus. *Justissimo lenior*] *Justo lenior* magis ferrem. Quid si etiam *mitissimo lenior*. Lipsius.

Audito crudelior] Justinus, ' exspectato maturius,' et Noster de Tiberio, ' exspectato revolavit maturius,' iisdem verbis. *Schegk.*

Nam et consulem] [Ita legit Lipsius. Vulgo *consul.* quod si servamus] ubi hoc, sodes, prædixisti, Vellei? Ne potuisti quidem, nam profecto nihil harum rerum Sulla gessit Consul, sed Proconsul. Clarum id est. Correctiuncula igitur nos expedimus: *Nam et consulem, ut prædiximus, exarmatumque Sertorium.* Ita sane est. Sulla clementiam lenitatemque exhibuit et in Consule: quo illo? Scipione, quem ante dictum, cum exercitum ipsumque in potestatem redegisset, dimissum sine noxa: et in Sertorio, qui Suessam frustra occuparat, atque in Hispaniam aufugit. Appianum vide. *Lipsius.*

Exarmatumque] De Sertorio exarmato tacent scriptores; quod de Scipione verissimum esse constat. Ita igitur integrum hunc locum scribi malim: *Nam et consulem, ut prædiximus, exarmatum, atque Sertorium, proh quanti mox belli facem! &c. dimisit incolumes.* Mirum vero, quosdam dubitare, veriorne lectio sit vulgaris, an, *proh quanti mox belli facem*, ut ex editione principe emendavimus. Nam et alterum sola conjectura fultum, et haud satis Latinum est; ut mihi quidem videtur. Nisi alii docuerint, cur, cum dicat, *propinquanti*, τὸ *mox*, non omiserit Velleius. *Vossius.*

Proh quanti] Vulgo, *propinquanti*. Editio Basileensis: *pro quanti mox belli facem!* Quod volui testatum relinquere, cum ferri tamen possit vetus lectio. *Manut.*

Duplicis ac diversissimi animi] Diximus de talibus in Comment. Nepot. p. 56. et seq. Hic obiter notandum, non tam ' duplicis animi' specimen in Sylla credi debere, quam unius pravi animi dissimulationem et revelationem. Id est, finit Sylla ex iis, qui cum sint malo pravoque ingenio, tamen dum quærunt magnam potentiam, maximas virtutes simulant; adepti quod cupivere, solvunt suas cu-

piditates, et retecti patent. Atque hæc est illa ὑποκαιόντης ἀνακάλυψις τῆς πονηρίας, insitæ pravitatis in potentia detectio, quam Plutarchus in Sylla nobis suppeditat. Gravissima est sententia Taciti de Tiberio, cui primo mixturam morum tribuit, non indolis respectu, verum dum metu aliorum, fingendis virtutibus subdole securitatem quærit: sed 'postremo,' inquit, 'in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore ac metu, *sua* tantum ingenio utebatur.' A. VI. 51. 7. Scilicet hi sunt animi, 'qui plus vulpis quam leonis habent,' ut hoc ex Carbonis dicto nostrum faciamus. Nam ceteros, quorum in audaciam ardet animus, minus sui obtegentes esse, satis constat. Suntque hi dissimulatores sui (si et hanc notam adjicere licet) 'meliores servi, quam Domini;' i. e. coërciti auctoritate metuque utilem industriamque operam præstant, sibi relicti aut supra ceteros evecti, belluæ sunt intemperantes immanesque. *Boecler.*

Tifata] Mons Campaniæ felicis, imminens urbi Capuæ, ut Dion tradit. Vulgo hæc erant corruptissima. *Tifata*] De Tifata præter Festum, Livius lib. XVIII. 'Samnites cum eminentes Capuæ colles firmo præsidio tenuissent, descendunt inde quadrato agmine in planiciem, quæ Capuam Tifataque interjacet.' Totam hanc connexionem varias editiones secutus, ita edidi. Vide præstantissimi Medici Mercurialis Variarum lib. II. 9. Ista duo, *ut potius*, quæ in plerisque vulgatis, rectissime induxi; non enim auctoris, sed Burrerii. *Schegk.*

Grates Dianæ] *Grates*, non *gratus*; legendum, res et alii dixerunt. Sed de templo hoc Dianæ apud Pausaniam legi non omittendum. Ille lib. V. ubi disputat de elephantum dentibus sive cornibus, ait, se vidisse ἐν γῇ τῇ Καμπανῶν πρόπυλον ἐλέφαντος ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ, et addit: σταδίους δὲ ἐς τριακοντα ἀπέχει μάλιστα Καπύης τὸ ἱερόν: in terra Campanorum, calvam elephantis, in templo Dianæ, quod abest maxime a Capua triginta stadiis. Certe hoc ipsum est, in quod Sulla tam munificus. *Lipsius.* *Grates Dianæ*] Corruptissimus erat hic locus: qui ut intelligi posset, e correctionibus Lipsii Gruteriique sic expressimus, quanquam Rhenanus jam pene totum ita rescripserat, nisi quod adhuc legebatur: *hujus gratæ retig. memoriæ.* Restaurata interim penitus Velleii verba, neme vel jactare vel credere debet. *Boecler.*

Aquas salubritate] Ejiciendum omnino illud *ut potius*, non refingendum in aliam faciem, ut tentarunt viri doctissimi. Nec enim comparet in membranis unicis, sed decepit eos perpera distinctio verborum Burrerii; nam ejus *ut potius*, conjungendum cum ceteris Burrerianis, 'legendum existimem.' [Ut ex ejus notis liquet.] *Gruter.*

Tabula ærea] Haud displicet profecto Rhenanianum, *tabula intra ædem*; dummodo tamen scribatur membrum sequens hoc modo: *tabula intra ædem. Inde Consules*; quomodo et Lipsio venit in mentem. Fuisse autem usitatum, ut ichnographia templi aut aræ alicujus, alio atque alio exprimeretur exemplari, et reponeretur in eadem illa æde aut alio quo loco, notum est ex marmoribus antiquis; sed et intus in æde tabulam poni solitam, eadem vel adeo plura aliaque continentem, quam quæ basi columnæ statuæve aut frontispicio ædium incisa erant; plurimo item patet exemplo in Epigraphis nostris totius orbis Romani, e quibus unum alterumque, fidei caussa, oculis subjicerem; nisi id arbitrarer conjunctum cum aliarum Inscriptionum injuria: quæ cum sibi invicem mutuam adstruant lucem, singuiatim laudari nolunt. Multa autem congerere hoc loco, alienum ab instituto. *Idem.*

· Cap. 26. *Consulis filius*] Solus Appianus fratris filium vocat. De ætate variant. *Boecler.*

· *Annos natus* XXVI.] De ætate discrepant auctores. Ille, qui Livium in epitomen redegit, lib. LXXXVI. inquit: 'consul ante annos viginti per vim creatus.' Quem locum ad Octavium Suetonii contra Dionem laudat maximus Casaubonus; quia ille scripserat, Octavium sine exemplo ante annum XX. iniisse consulatum. Sed non dubito, quin mendum sit in Epitome Liviana, et pro XX. ad minimum reponi debeat XXV.: ut ei sic conveniat cum auctore de viris Illustribus. Noster tamen annos numerat XXVI.: Appianus etiam XXVII. *Voss.*

Multis] Præponit Ursinus vocalem *qui.*

Apud Sacriportum pulsus] Appian. Bell. Civ. I. Flor. III. 21. 26. Liv. Epit. LXXXVII. Aurel. Vict. LXXXVI. *Boecler. Sacriportum*] Locus circa Prænestæ. Appian. *ἱερὸς λίμνος* vocatur.

· *Ne quid unquam*] Malim *usquam.* Lipsius. *Ne quid unquam*] Forte: *ne quid utique malis publicis deesset, &c.* Vossius. Acidalius legit, *iniquum. Ne quid unquam*] Non valde inconcinnam sententiam redderent, qui, *ne quid iniquum malis publicis d.* legunt, nisi contextus generaliorem formulam et in mala publica, quæ Velleius memorat, amplius patentem, requirere videretur, ut fortasse satius sit *usquam.* Boeclerus.

Damasippus] Cicero Epistola ad Pætum, Livius, Valerius. Errat Appianus, fidus alias narrator, qui Brutum prætorem recenset. *Schegk. Damasippus prætor*] Ita Valerius, IX. 2. 3. 'Damasippi jussu principum civitatis capita hostiarum capitibus permista esse,' ait: cui consentiunt alii. Liv. Epit. tamen LXXXVI. 'Mari Cos. jussu fecisse Damasippum' memorat. *Boecler.*

Domitium] Addenda distinctionis nota post verbum *Domitium*: occidit enim Damasippus, ut historiæ testantur, L. Domitium, Q. Mucium Scævolam, et alios. Posset etiam legi, *D. pr. Q. Mucium Sc. pont. max.* Verum distinctio, cum nihil mutet, magis etiam placet. *Mamt.*

Scævolam] 'Qui Asiam tam sancte, et tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officii decreto suo proponeret.' Valerius lib. VIII. 15. Cicero in Bruto, et Verrinis. In cujus quoque honorem Asiani diem festum *Mucia* nominarunt. Pædianus. *Schegkius.*

C. Carbonem] De quibus ita scribit Eutropius lib. V. 'Damasippus Prætor incentore Mario Cos. Q. Scævolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antistium, in curiam quasi ad consulendum vocatos crudelissime occidit.' *Ursinus.*

Consulis fratrem] Quod falsum facile convinco. C. Carbo præterea patre natus Caio, clarum ex Valerii lib. III. 7. Ciceronis de Oratore lib. III. Cneus vero, si fastis Capitolinis fides, Cneo patre, quem accusatum a M. Antonio autorio atramento absolutum Cicero Epistola ad Pætum dat intelligere. Qui igitur frater? an patruelis? nec hoc. Caio etenim deo solummodo fratres, Publius et Marcus. Cicero ibidem. Erravisti itaque, Velleï, nisi si adoptatum Cneum a Caïi patre probaveris. *Schegk.*

Ut prædiximus] Nimium olet glossam *ut prædiximus.* Equidem cur id addere necesse, cum proxime præcedat? imo ex ea narratione in hanc transeat auctor? *Graterus.*

Se ipsum] Magis Velleianum sit *se ipso, &c.* Ita semper auctor noster loquitur. Quod mihi negabunt, qui eum cum attentione legerunt. *Voss.*

Patria latet] Corruptum hoc esse dicam, et dicam tantum. Non enim medeor. Certe patria ejus non latet, et Romanam fuisse nomen gentemque evincunt, 'Calpurnia Bestiæ filia.'

Lips. : Patria latet] Hæret hic Lipsius, aitque patriam neutiquam latere, et evincere nomen genusque fuisse Romanum. Sed fugit virum maximum, *patria* hic poni pro *paterna*. Per patrem vero intelligendum arbitror Calpurnium illum, quem Jugurtha pecuniis corruperat. *Vossius.* *Patria latet*] Lipsius desperatum hunc locum existimat. Acidalius maluisset, *sua virtute eminet, patria latet;* ut filiæ gloria cum paterna turpitudine comparetur. Sed bene fecit, quod timide huc decurrit: quanquam longe ille quidem elegantius sensit, quam qui eundem sensum in usitata lectione repræsentari credunt: *nunc virtute eminet, patria latet: patriam* enim *virtutem*, absque ulla pronominis ἀντιθέσει hic ad filiæ virtutem contendi, cui persuaderi poterit? Faveo conjecturæ de sensu; in asseveratione scripturæ cautissimum quemque maxime probaverim. *Boeclerus.*

Cap. 27. *Domi belliquæ*] Alias *animi belliquæ*.

Quadraginta millibus] Pæne duplicant numerum Appianus, Orosius, Eutropius, scribuntque *millia* LXXX. An non hic saltem LX.? *Lipsius.*

Abhinc annos CXI.] Vulgo XL. Sed Ex. vet. habet, *abhinc annos* XI. *Kal. &c.* Quod Fasti etiam consulares docent. *Abhinc annos* CXL. *Kal. Novembribus*] Recte: sed de Kalendis Novembribus etiamne rectum? Ambigo. Nam paullo infra scribit: 'Felicitatem ejus diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetuo ludorum Circensium honoravit memoria, quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur.' Atqui profecto perpetui ii ludi in Kalendario Romano sunt notati, non Kalendis Novembribus (tunc enim nulli) sed VII. *Kal. Nov.* atque ibi sculptum; *LUD. VICT.* sicut et sequenti quatriduo, *LUDI.* Nisi fallor, isti ipsi sunt, et ad hunc numerum Velleiana lectio reformanda. *Lipsius.*

Portam Collinam] De variis veteris urbis portis vide Marlian. lib. I. 7. et Georg. Fabricium in descriptione Romæ c. 4. Collina quæ et Quirinalis et Agonalis, sita erat versus septentrionem. Per hanc portam, quæ juxta Tacitum erat ad viam Salariam, memorant Gallos Senones urbem ingressos, eamque populatos esse.

Quæ non majus periculum adiit] De Telesino hoc etiam capiendum, quod ait Lucanus lib. II. 'Romanaque Samnis Ultra Caudinas speravit vulnera furcas.' Male enim alii putarunt, Damasippum intelligi. *Vossius.*

Nunquam defuturos, &c.] Callidum dictum, de dominandi cupidis, alienæque libertatis insidiatoribus; cujus cupiditatis respectu, 'lupos' vocat Romanos Telesinus; plane sicut Mithridates apud Justin. XXXVIII. 6. 8. 'ut ipsi ferunt, conditores suos lupæ uberibus altos, sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.' Ita Æqui Volscique apud Liv. III. 66. Fallor an ex hujus consilii regula Romani Carthaginem exciderint: cujus usum crebro etiam deprehendas in Consiliis de bello Turcico suscipiendo. *Boecler.*

Esset excisa] Si abesset verbum *esset*, vividior fieret oratio; ita tamen ut *sylva excisa* habeatur sexti casus. *Gruterus.*

Non obscuratur ejus] Vetus liber, *obscuratur civis memoria.* Burrer.

Felicis nomen, &c.] Ita in Panegyr. Constant. Aug. cap. 20. 'Sulla Felix si se parcius vindicasset: sed enimvero multis capitibus Rostra complevit.' Nimirum, ut Solinus autumat, 'Cornelius Sylla dictus potius est, quam fuit Felix:' sive, ut Pliniana ἀπόφασις habet: 'Unus sibi ad hoc ævi Felicis cognomen asseruit L. Sylla. Civili nempe sanguine, et patriæ oppugnatione adoptatus, et quibusdam felicitatis inductus argumentis, quod

proscribere tot millia ac trucidare potuisset. O prava interpretatio, et futuro tempore infelix.' Congruit Valerius, qui post enumerata crudelitatis argumenta, *καθηγητικῶς* subjicit: 'En quibus actis Felicis cognomen assequendum putavit!' *Boecler.*

Ofella] Ursinus legit, *Ofela. Ofella*] Vera hæc lectio; licet in Ms. fuerit *Affella*. Ὀφέλλαν enim vocant Plutarchus et Appianus. Nec aliter legitur in editione veteri Epitomes Livianæ. Apud Martialem etiam libro x. idem occurrit nomen: 'Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.' Atque ita scribendum esse, docet Servius ad VI. Æneidos. Ita ergo legendum apud Ciceronem in Bruto, ubi hunc *Aphilium*, et Pedianum, ubi *Asellam* videas nominari. *Vossius.*

Prætor] Mendum sine dubio subest: nam Ofella anno sequenti, cum consulatum peteret contra mandatum Sullæ, qui lege vetuerat ne quis ante quæsturam prætauramque consulatum gereret, fuit occisus. Cujus rei auctorem habeo Appianum. Nec vulgatam lectionem juvat, quod Ofella, jussu Sullæ, Prænestinæ obsidioni præfuerit; cum et hoc aliis, nec prætoriæ dignitatis viro, potuerit demandari. Puto ergo pro *prætor* substituendum *proditor*. Similiter infra de Munatio Planco ait Velleius: 'Plancus non judicio recta legendi, neque amore Reip. aut Cæsaris, sed morbo proditor, &c. transfugit ad Cæsarem.' Qui locus per se fere sententiæ nostræ firmandæ sufficiat. *Idem.*

Ludorum Circensium] Equestrium, quales erant Circenses.

Quibus sine nomine] Burrerius testatur, in vet. exempl. esse; *qui sub ejus nomine*: quod omnino probum videtur. *Boecler.*

CAP. 28. *Ad Sacriportum*] Vide supra c. 26.

Magnificis] *Magnis* magis placet. *Manutius. Magnificis*] Non muto: etiam paullo post, 'magnificentissimas res gerere' invenies. *Lipsius.*

Duo Servilii] Hæc Serviliorum de Italicis victoria habetur in argenteo quodam apud me denario, in cujus una parte pone caput Romæ, cui ITALIA subscriptum est, signata est corona quadam victoriæ hujus, ut videtur, index, quod signum in aliis etiam Servilise gentis denariis impressum est. In altera Castorum equitantium aversis equis simulacra expressa sunt, cum litteris Oscis, quibus indicari nomen prænomenque Servilii putamus. Nam Oscis etiam litteris signati sunt hi denarii, in quibus Italica hæc contra Romanos conspiratio et velut fœdus quoddam cæsa porca imp s m est. *Ursinus.*

Clusium] Mediterraneum Tusciæ oppidum Ptolemæo, Straboni, Livio, aliisque.

Faventiam] Italiæ urbs Plinio.

Fidentiam] Galliæ togatæ in Italia urbs Ptolemæo et Antonino.

Aucta sunt] Suspicor scripsisse Velleium, *nata sunt*. Haud paullo argutior sic sententia, et *honestius* exornata. *Lipsius.*

Cujus honoris, &c.] Hic locus corruptissimus fuit, ut B. Rhenanus testatur. *Cujus honoris*] Parum hæc inter se apta. Distingui scribique mavelim: *non tam desiderasse, quam timuisse) potestate imperii, quo priores ad vindicandam m. p. r. usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia abusus est.* Ex hac distinctione, et transposita nota parentheseos, longe alia clariorque sententia, quam quæ vulgatur; maxime si mecum *potestate*, pro *potestatem*, scribis: itemque *abusus*, non *usus*. Lipsius. *Cujus honoris, &c.*] Lipsius distingui scribique mallet: *non tam desiderasse, quam timuisse) potestate imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis Rempublicam usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia abusus est.* Sensum sane optime assecutus est. De verbis videamus.

Ea in editione principe corruptissime ita erant concepta: *usum dictatoris est metu desiderat Tulio co timuisse potestatem imperii, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia muniranteo, immodicæ crudelitatis licentia usus est.* Quæ multo minori libertate commode ita restitui posse putamus: *ut appareat populum Romanum usum dictatoris haud ita desiderasse, uti eximuisse potestatem imperii) quo priores ad vindicandam maximis periculis Rempublicam usi erant: eo immodicæ crudelitatis licentia usus est.* Quæ si non vera, saltem veræ proxima est lectio. *Voss. Cujus honoris, &c.*] Si recte memini, non occurrit facile in antiquis Scriptoribus locus, de Dictatura, accuratior pleniorque. Quapropter nihil abs re me facturum arbitror, si paulo pressius Velleianis vestigiis institero, usumque Dictatoriæ potestatis, ea parte, qua notitiam reip. gerendæ juvare potest, declaravero. Quæ jam aliis sunt tradita, nihil attinet repetere. Manebimus enim intra limites Velleianos. Dicitur 1. ‘ Priores Dictatura ad vindicandam maximis periculis rempubl. usos esse.’ Recte, ipsa caussa reperti usurpatique hujus magistratus, et finis innuitur: creatum esse ad maxima quæque et ardua pace belloque præsentioris imperii viribus conficienda. Itaque Livio ‘ in rebus trepidis ultimum consilium ’ dicitur Dictatoris creatio IV. 56., et Augustin. de C. D. III. 17. ‘ in extremis periculis ’ factum ait. Hic verus, et, ut ita dicam, ordinarius scopus. Nam quod Clapmarius de arcan. III. 19. inter ‘ Arcana Aristocraticæ dominationis adversus plebem ’ refert, *κατ' ἀκολούθημα* et respectu temporis, quo primus Dictator creatus, item resp. intemperantiæ popularis *ἐκρύσεως* accipiendum est. Serviebat enim postea Dictatoris terror non Democraticæ modo vehementiæ coërcendæ, sed certaminibus etiam et ambitioni optimatum in ordinem redigendæ. Dicitur 2. a Velleio, ‘ populum R. timuisse potestatem imperii’ Dictatorii. Erat enim jure regio, a quo ferme solo tempore differebat; unde Ciceronis illud Philipp. I. debet explanari, cum ait de Syllæ temporibus: ‘ Dictatura jam vim regiæ potestatis obsederat.’ Erat sane regia potestas, quippe quæ duorum consulum, ut apud Liv. alibi dicitur, potestatem repræsentabat: jam autem duobus Consulibus ‘ regium imperium ’ tribuitur apud Ciceron. de leg. III. 3. sed cum exceptione temporis, quam cum transcendit Sylla perpetuus Dictator factus, jam Dictatura vim totam regiæ potestatis formamque veri regni obsederat. Alias, ne Dictatura ad libertatis oppressionem, regnique in rem Rom. reductionem tenderet, temporis brevitate cautum provisumque erat, ne ultra sextum mensem quisquam eum magistratum gereret: vide Clapm. de arcan. II. 11. et Catuli Orat. apud Dion. XXXVI. ubi et alterum consilium *ἐπιτελήσεως* cujusdam, ‘ ne extra Italiam cum imperio sit Dictator.’ Tertium erat veluti imaginarium Dictatoriæ potestatis frenum, sive simulacrum Democraticæ libertatis etiam sub Dictatore; quando Dictatori equum conscendere non licebat, nisi ad populum tuiisset, ‘ ut equum ascendere liceret,’ sicut ex Plutarchi Fabio et ap. Liv. III. 14. discimus. His igitur rationibus consiliisque Dictatoriam potestatem, quam timebat populus Romanus, quodammodo limitabant, et, ne ad mutationem status valeret, retinebant. Dicitur 3. apud Velleium: ‘ Non tam P. R. desiderasse usum Dictatoris, quam timuisse potestatem imperii.’ Desideravit sane usum, neque carere omnino potuit hoc remedio adversum libertatis vitia: sed non sine timore tamen accessit ad præsentissimi remedii strenuitatem; sicut peritissimi quique medicorum fortissima et maxime

strenua medicamenta non quidem penitus omittunt, sed cum cura et solicitudine adhibent. Hæc solicitudo non parum creverat, perspectis reip. morbis paulatim invalescentibus, auctaque inciviliis elationis cupiditate. Præcipuæ observationis est locus Appiani Bell. Civ. I. p. 359. cum in tumultu Tiberii Gracchi miratur, nemini, neque tum neque postea, in mentem venisse Dictaturæ remedium, quo respubl. sæpe e maximis periculis convaluerat. Καί μοι, inquit, θαῦμα καταφαίνεται, τὸ πολλάκις ἐν τοιοῖσδε φόβοις διὰ τῆς αὐτοκράτορος ἀρχῆς διασεσωσμένους, τότε μηδ' ἐπὶ νοῦν τὸν Δικτάτωρα λαβεῖν, ἀλλὰ χρησιμώτατον τοῖς προτέροις τόδε τὸ ἐργὸν εὑρεθὲν, μηδ' ἐν μνήμῃ τοῖς πολλοῖς ἄρα γενέσθαι, μήτε τότε, μήτε ὕστερον. Quod ait, neque postea in mentem venisse cuiquam hoc remedium αὐτοκρατορικῆς ἀρχῆς, caute accipiendum est. Nam illud SC. quo postea in C. Gracchi seditione Opimio Cos. primum mandatum est, 'videret ne quid respub. detrimenti caperet,' quid aliud notat nisi commissum, quam plenissimum esse potest, imperium, sive, ut rectissime in Gracchis Plutarchus explicat, 'Dictatoriam potestatem?' Ut clarum sit, nomine Dictaturæ, ob timorem, quem innuit Velleius, abstinuisse; rem ipsam tamen, post longiorem cessationem, reduxisse Romanos. Etsi autem [monarchici imperii] nomen ejuraverat amantissima libertatis civitas, tamen tot illis artibus suis, tanto legum consiliorumque apparatu, non potuit suam libertatem regere atque conservare, quin subinde ad plenam Unius potestatem, sub diversis quidem nominibus, recurrendum haberet; donec denique penitus in eam imperandi formam recideret, atque ita ab interitu, qui ex morbis libertatis imminebat, resurgeret. *Boecler.*

Immodicæ crudelitatis] Quam præsertim graphice describunt Valer. Max. IX. 2. Plut. Syll. Augustin. de C. D. III. 27. et 28. Lucan. II. Senec. de Clem. I. 12. Id. de Provid. III. alique plures. *Idem.*

Primus ille] Impotentiam Sullæ Cicero Officiorum II. et Verrin. Act. 2. lib. III. his tangit verbis: 'Qui ausus est dicere hasta posita, cum bona in foro venderet, et bonorum virorum et locupletium, et certe civium, prædam suam se vendere.' Præter ordinarios meminit Dionysius, Cæsar Bell. Civil. lib. I. Sallustius. *Schegk.* *Primus ille*] Appianus Bell. Civ. I. p. 409. οὗτος γὰρ δοκεῖ πρῶτος οὐς ἐκόλασε θανάτῳ προγράψαι, καὶ γέρα τοῖς ἀναιροῦσι, καὶ μηνύματα τοῖς ἐλέγχουσι, καὶ κολάσεις τοῖς κρύπτουσιν ἐπιγράψαι: *Hic enim primus, quos capite plexos cupiebat, proscripsit, et præmia percussoribus proscriptorum, itemque latentium indicibus, neque minus pœnas celantibus latentes proposuit:* quod et Velleius Noster mox subjicit. Clarius autem Plutarchus, 'receptatori proscripti et servatori capitalem pœnam denuntiatam, non exceptis fratribus, filiis, parentibus; percussori bina talenta promissa, etiamsi servus Dominum, filius parentem interfecisset,' memorat. *Boecler.*

Judicium histrioni exoleto] Alibi [in Epistolic.] tentavimus hunc locum etiamque alii. Nunc placeat: *judicium in histrionem ex albo.* Nam id verum est, et legibus XII. tab. animadversi actores aut histriones, qui carmen actitassent quod infamiam flagitiumve faceret alteri. In bona omni Rep. ita solitum: hodierna licentia quam effrænis solutaque es! *Lips.* *Judicium histrioni exoleto*] Placet Grutero interpretatio: nimirum aures præbuisse judices histrioni, et cives qualescunque castigasse, quos constaret histrionem aliquem petulantiore notasse convitio. Lipsius maluerat: *judicium in histrionem ex albo.* Quia in Msc. fuit *judicium historiarum ex alto.* Boecler. *Exoleto*] *Exoleti*

epitheto nihil contemptius histrioni tribui potest. Ita Firmico in præfatione l. I. Astrol. Sulla dicitur, 'Senex exoletus.' Hoc est, ut mox ipse explicat, 'qui a primo vestigio pubescentis ætatis in scurrarum gremiis per damna venundati pudoris adolevit.' Glossæ Philoxeni: *Exoletus, ὑπέραικμος, τρίβακος.* Sic et Cicero pro Milone aliique ea voce usi. *Vossius.*

R. publice] Vulgo *Reipublicæ.* Ita restituit Claudius Puteanus.

Auctoramentum] Sumitur pro obligatione nexuque, ac veluti stipendio pretioque ejus, qui sit auctoratus, sive obligatus.

Nec tamen in eos] Forte, *nec tantum in eos*, juxta Ursinum. *Nec tamen in eos*] Pro *tamen* quidam emendant *tantum:* alii cum Acidalio particulam *tamen* retinent, sed ita, ut alii corrigunt, interpretandum censent. Neutris assentio. Subauditur enim *tantum*, vel *solum.* Sallustius bello Jugurthino: 'Non enim regnum, sed fugam, exilium, et has omnes, quæ me premunt, miserias cum anima simul amisisti.' Hoc est, non enim solum regnum, &c. Quod male manus recentior in Ms. nostrum, optimæ alioqui notæ, invehere fuit conata. Frontinus lib. II. c. 13. de Horatio: 'dejecit se in alveum, eumque non armis, sed vulneribus oneratus, tranavit.' Possem etiam compluria aliorum afferre loca; sed hi *et*, aut tali particula, post *sed* addita, locutionem hanc emollire conati. *Voss.*

Qui contra arma tulerant] Octo millia deditorum in villa publica trucidavit. Livius XCVIII. 'Villa publica locus in campo Martio,' Augustinus Civitatis Dei III. c. 29. *Schegk.*

Exclusique paternis opibus] Contra morem priscum, quo liberi minime parentum delicto tenebantur. Dionysius Antiquitatum VIII. et Plinius in eximio illo Ciceronis elogio lib. VII. c. 30. eo alludit. Postea his ignovit Cæsar, et ad jus dignitatis revocavit. Suetonius, Dio, et Noster infra. *Idem.*

Quod indignissimum est] Ita Plutarchus: *ὁ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε: Quod omnium visum est indignissimum, proscriptorum liberos nepotesque infamia notavit, omniumque bona publicavit.* Boecler.

CAP. 29. *Res in consulatu*] Ita exemplar vetus juxta Burrerium: vulgo, *in senatu.*

Privatis ut opibus] Ita de Octavio infra II. 61. 'mira ausus ac summa consecutus privato consilio majorem senatu pro rep. animum habuit.' Quanquam hæc privati consilii auxiliique, utut pro rep. suscepta, molitio, nisi accesserit publicæ auctoritatis approbatio, non solet commendari a rerum civilium peritis. Itaque prudentes apud Tacitum A. I. 10. in reprehensione Augusti etiam illud memorant: 'paratum ab adolescente privato exercitum.' Scilicet plus est in legibus, quam in successu, datoque semel exemplo prætextuque, facile dominandi cupidis ad nova consilia via panditur. Quare non frustra Aristoteles etiam circa clientelas, de quibus mox sequitur, monuit, 'periculosum esse liberæ civitati, si quis nimia clientum, amicorum, servorum multitudine emineat polleatque.' Quod Romani mature debebant observare. *Boeclerus.*

Forma excellens] Ita Plutarchus Pompeium commendat: *τὸ γὰρ ἐράσμιον, ἀξιωματικὸν ἦν φιλανθρώπως, καὶ τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εὐθὺς ἡ ἀκμὴ, τὸ γεραιὸν καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους. Gratia formæ dignitatem pariter ac humanitatem eximiam præferebat, et in illo juvenili flore explendescebat jam senilis regia quædam gravitas.* Compara Suetonii locum de Tito, cap. 3. 'Forma egregia, et cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ.' Estne hoc *εἶδος ἄξιον τυραννίδος*, sive

imperatoria forma, quam Cornelius Nepos etiam Iphicrati tribuit, III. 1.? *Idem.*

Sed ex dignitate] De gravi autem hac et ἀξιωματικῇ Pompeii forma, ex Silio aliquid capies lib. XLII. 'Ille hirta cui subrigitur coma fronte, decorum, Et gratum terris Magnus caput.' *Lipsius.*

Constanti] Manutius legit *Constantique.*

Bello] Lipsius *belli.*

In reconciliandâ] Imo *reconciliatâ.* Nam ibi fides locum habet, uti facilitas in reconcilianda. *Lipsius. In reconciliandâ*] Lipsius legit *reconciliatâ.* Mihi nihil mutandum videtur. Vult Velleius, fidelissimum fuisse in reconcilianda inter alios gratia, ubi fide potissimum opus. *Vossius.*

Vitiorum] [Vulgo male, *veterum.*] Nimium est pro Pompeio, et quis vel Socrates ad hunc sapientiæ gradum venit, nil vovere? Aldus igitur *vitiorum* fecit, haud male. Possis et, *notarum*: ac consequenter, *inter maximas.* Ut velit nihil esse culpandum notandumque in Pompeio, præter nimiam æstimationem sui et studium excellendi. *Lipsius. Vitiorum*] Profecto verior Aldi conjectio, quæ fuerat eadem et mea. Nam sequentia attende: virum ait fuisse Pompeium liberum et immunem ferme omnibus vitiis, nisi maximum illud tamen esset, neminem quemquam parem ferre potuisse. Certo igitur *vitiorum* rescribendum. Sed de Catone Porcio infra: 'Omnibus humanis vitiis immunis.' Exempla in alteram partem allata, si vere volumus judicare, minus etiam cogemur quam ad rem minimo minus facientia fateri. Taceo, quod quivis videt, quam illam ipsam lectionem insequentia adversis veluti cornibus impugnent. *Acidalius.*

Quemquam æqualem] Cæsar Bell. Civ. I. 'Pompeius neminem dignitate secum exæquari volebat.' Lucan. I. Flor. IV. 2. 14. Sallust. alludit Orat. I. de rep. ord. cum de Pompeio loquens, 'Nam particeps,' inquit, 'dominationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret.' Egregie Theophrastus in Charact. περὶ τῆς ὀλιγαρχίας, notat, 'homines ὀλιγαρχικοὺς ex Homeri versibus hunc solum et unum tenere, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίην· εἷς κοίρανος ἔστω: 'aliorum omnium nihil scire.' Qui character non tam Optimatibus, id est, Aristocraticis hominibus, quod simpliciter et sine limitatione Magnus ille Casaubonus pronuntiat, sed Oligarchicis, adeoque iis, qui Optimatium auctoritatem usque ad paucorum potentatum evectam cupiunt, videtur convenire. Quo sensu scilicet ὀλιγαρχικὸς declaratur a Poll. III. 6. οὐκ ἀγαπῶν τὸ ἴσον: *æqualitatem non amans.* Est enim ἰσότης, sive ἰσηγορία, ἰσομοιρία, *civilis æquabilitas*, veluti fundamentum et vinculum libertatis et Democratiæ. Ergo Velleius: 'cum omnes cives jure haberet pares.' Hanc æqualitatem qui transcendunt, 'inciviles,' 'inciviliter elati,' et ὀλιγαρχικοὶ vocantur, et interdum τυραννικοί. *Boecler.*

Hic a tegâ] Vulgo, *hicce tegâ. Hic a tegâ*] Ita V. E. Is qui Velleium e vetusto descripsit, falsus est *a* litera in ccc. Nam ut in hoc, sic etiam in quibusdam aliis veterum codicibus, *a* sic scribitur cc.: quod iste pro ec syllaba adspexit. *Burer.*

Excoluit] In veteri exemplari *celebriora*: forte legendum *celebrior.*

CAP. 30. *Etoscæ*] Potuit esse loci nomen, *Etoscæ*, a librariis postea corruptum; potuit *et escas*: id quod sententia non respuit: potuit etiam aliter. Quod ut assequi conjectura felicitatis est, sic affirmare sine veterum librorum, aut historiæ testimonio, temeritatis. Mihi loci nomen fuisse probabilius videtur. Et quoniam in emendando litterarum maxime similitudinem sequi oportet, placeret Osca, quæ fuit urbs Hispaniæ, inter eas, quæ

rum ope Sertorius usus est. 'In fidem Romanam,' ait Florus, 'venere urbes, Osca, Termæ, Tutia, Valentia, Auxima.' Meminit etiam Plinius lib. III. 3. et Ptolemæus lib. II. 6. *Manutius. Etosca*] Adsentior doctissimis viris, Manutium dico et Ortelium, *Osca* ex Plinio, Ptolemæo, Plutarcho legentibus. Strabo lib. III. *Ilosecam* agnoscit. Supremum istud convivium reperies apud Sallustium Historiarum l. III. 'Igitur discubuere,' inquit, 'Sertorius interior in medio: super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis; in summo Antonius, et infra scriba Sertorii Versius: et alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium, et Dominum Perpernam.' Huic loco lucem pete a Plutarcho in Sertorio. [Vide Annot. in Sallust. p. 476. et seqq.] Unam moneo, facillime ab Antonio, qui in summo, vulnerari potuisse Sertorium, qui interior: ita enim ritus statuere lectos, ut cujus prona et prompta transitio et attactio. Colligo e Plauti Asinaria Scena, 'Agedum istum: Neque illæc ulli suo pede pedem homini premat. Cum surgat, non in lectum inscendat proximum: Neque cum descendat, inde det cuiquam mannum.' *Schegk. Etesca*] Imo, *Osca*. Strabo lib. III. de eodem Sertorio ait, ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ. Ita enim egregie emendavit Cl. Putеanus. Vulgo corrupte editum: ἐτελεύτα δὲ νόσῳ. Florus etiam lib. III. 22. Oscam inter urbes recenset quæ, Sertorio occiso, in potestatem venere Romanorum. *Vossius.*

Metellus et Pompeius] Adi Sigon. Comment. in fast. et triumph. R. ad ann. DCLXXXII. ubi et Auctorum loca notata. *Boecler.*

Hispanis] Vulgo, *Hispanis. Hispanis*] *Hispaniis* reponit Lips. Nam alioqui legendum esset *de Hispanis.*

Adfuit eques Romanus] Cicero pro L. Manilia, Lucanus lib. VII. Plinius l. VII. 'Pompeius Siciliæ recuperatæ, Africa tota subacta, Magnique nominis spolio inde capto, eques Rom. (id quod nemo ante) curru triumphali revectus est.' *Schegkius. Adhuc eques Romanus*] Nam et antea, quatuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, 'quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit.' Epit. Liv. 89. Adi rursum Sigon. Comment. in f. et tr. R. ad ann. DCLXXII. *Boecler.*

Rationem habere] Flor. IV. 2. 16. et late Dio XL. Appian. Bell. Civ. II. Cæs. Bell. Civ. I. Plut. in vit. *Idem.*

Invidiam rerum] Etenim ut est non multo post, 'interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget, aut levat.' Et, 'raro invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur:' sed 'qui eos suo arbitrio aut deposituri, aut retenturi videntur, et modum habent in voluntate.' *Acidalius. Invidiam rerum*] Satis obscura sententia, nisi capias: invidiam rerum a plerisque ambitiosis et potentiæ cupidis non referri ad causam et negotium, neque ex eo æstimari: sed potius voluntatis suæ studio obsequentes eos ferri ad obtrectandum invidendumque, non tam factis et rebus quam personis. Si enim *voluntatem* de προαιρέσει eorum, quibus invidetur, accipias, falsa erit sententia. *Boecler.*

Tribunicium potestatem] Tullius de Legibus III. 'Quamobrem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis pleb. sua lege injuriæ faciendæ potestatem ademerit, auxilium ferendi' (intelligit intercessionem. Cæsar lib. I. Belli Civil.) 'reliquerit, Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus: de tribunicia potestate taceo, nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.' *Schegkius.*

Imaginem sine re] Alii, *sine jure*, eodem sensu. Restituit autem Pompeius tribunitiam potestatem, simulacro quodam popularitatis: ut mi-

mirum pigneratо populi favore, aditum sibi ad dominatum muniret. Sicut et Cæsar apud Sueton. v. 'auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cujus vim Sulla diminuerat, enixissime juvit.' *Boeclerus.*

LXIV.] Non displicet Lipsio numerus qui in Livii Epitoma legitur, LXXIV. LXIV.] Ut nihil hic mutandum putem, facit maxima scriptorum dissensio. Quorum in hoc numero diversitatem scire qui desideret, adeat eruditissimum Freinshemium, ad Flori lib. III. 20. *Vossius.* LXIV.] De bello Spartacio vide Flor. III. 20. quoque ibi *Camers* laudavit. Adde Sigon. ad ann. DCLXXX. *Boecler.*

Fugitivi] Vix probes *fugitivi profugientes.* Aliud quid videtur prius loco vocis *fugitivi.* Gruter.

XL.] Alii hunc numerum plurimum augent. Inter quos, is qui minimum habet est Eutropius. Hic sexaginta millia virorum ab iis collecta fuisse scribit. Appianus vero ad c. et XX. militia extendit. Orosius Liviique Epitomator medium tenuisse videntur, ut ex cladibus colligas. Itaque vix ambigo, quin in Velleio legendum sit, $\overline{\text{XC}}$. *hominum.* Vossius.

M. Crassum] Qui ovans urbem inivit, quod Senatus censeret indignum de servis, hoste non justo, triumphare. Plutarchus. Coronatus tamen non myrtea corona, quæ Ovalis, sed per gratiam Senatusconsulto adjutus, laurea. Agellius lib. v. 7. *Schegkius.*

Romanorum omnium principem] Non sane *omnium:* nec Cæsar aut Pompeius concesserint. Quid si, *opibus?* id verum sit; nec displiceat etiam omitti vocem *omnium*, atque induci. *Lipsius. Romanorum omnium principem*] Non quasi solus, sed quia unus ex tricipitina. Lipsius, pro *omnium*, malebat *opibus.* Quem dictio, *mox*, satis refellit. Aliorum conjecturæ Lipsiana multo deteriores. Omnium minime placet illa Barthii, qui, pro *Romanorum omnium*, scribebat, *Romanorum hominum.* Ut tacita nimirum argutia Cæsarem non modo, sed et Pompeium, hominibus eximat Velleius. *Voss. Romanorum omnium principem*] Nihil prorsus impedit æqualitas aliorum, imo nec superior alterius auctoritas quicquam detrahit huic significatui. Princeps Romanorum rectissime dicitur, non qui solus supra ceteros eminet, sed qui inter eminentissimos Romanorum, id est, inter principes suæ reip. numeratur. *Boecler.*

CAP. 31. *Pene homine major*] Antea fuerat: *per omnia majore vi habebatur.* Acidalius legit *per omnia major ævo habebatur.* Arridere potest primum aspicienti ea emendatio: sed penitius expensa non carebit dubitatione. *Idem.*

Cum consul jurasset] Vide Appian. Bell. Civ. I. extremo: ubi reconciliati Cos. Pompeius et Crassus 'exercitus dimissionem edixere.' Sigon. Comment. in f. et tr. R. ad ann. DC. LXXXII. existimat apud Zonaram (t. 2. p. 12. in verbis παρρησιάσασθαι δὲ καὶ τὴν στρατηγίαν) hoc ipsum intelligi, 'provinciam sc. ab eo repudiatam.' *Idem.*

A. Gabinius] 'Qui nisi rogationem de bello Piratico tulisset, profecto et egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset.' Cicero. *Schegk.*

Piratis] De piraticæ licentiæ origine successibusque vide accuratissimum Dionem lib. XXXVI. et Plut. in Pompeio. *Boecler.*

Quo SC.] Aperte falsum, aut Velleius in mendo. Magnus ille Jurisc. in Observationibus rescribit *P. S.* id est, *Plebiscito*, invitis libris, volente veritate. Emendaverim *scito*, facili et prono errore imperiti librarii, τὸ *scito* in *SCto* mutantis. Et *sciscere* sive *scitum* verbum proprie plebis, notum ex Plauto, Cicerone, aliis; immo generale ad omnia decreta pertinens. Livius lib. I. 'qua publica qua privata sacra Pontificis scitis subjecit.' Plinius lib. XXXIII. c. 2.

'Nongenti vocabantur ex nominibus selecti ad custodienda suffragiorum scita in comitiis.' A me Lipsius ad Tacitum. Hæc uti protuli, opinor; magis Velleium peccasse, cum et statim Catoni Senatusconsulto Cyprum commissam recitet. *Schegkius.* *Quo SC.*] Viri eruditi, inter quos etiam summus I. C. Jacobus Cujacius, pro S. C. restituunt hic, P. S. Nimirum quia satis constet, Gabinio tribuno legem ferente, populum eam scivisse. Ego nil temere mutaverim. Nam licet illud P. S. fuerit, tamen a senatu, quamvis invito, comprobatum fuisse videtur. Vide Dionem lib. XXVI. Extant præterea duo numismata, apud Occonem Adolphum, quorum unius inscriptio:

MAGNVS IMPERATOR ITER.
PRAEF. CLAS. ET ORAE MARIT. EX S.C.

Alterius,

MAGNVS PIVS IMPERATOR ITER.
PRAEF. CLAS. ET ORAE MARIT. EX S. C.

Unde colligo, P. S. quoque, quæ senatus vi approbare coactus, S. C. nomen obtinere. Hinc est, quod infra Cyprum S. C. provinciam factam dicat Velleius. Satis enim constat ex Catone Plutarchi, aliisque, et hoc plebiscitum fuisse, ac P. Clodium vi a senatu extorsisse, ut Cato in eam insulam mitteretur. Imo et ipse Paterculus postea ait: 'Idem P. Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a Rep. relegavit.' Cujacius, aliique viri eruditi, *τὸ in senatu*, ab aliena manu esse arbitrantur. Ego illuc retineri posse puto. Ut P. Clodius in senatu egisse dicatur, quod senatum pro rato habere compulerit. *Vossius.*

Imperium uni viro] Plutarchus: *ἔγραψε δὲ Γαβίνιος εἷς τοῦ Πομπηΐου συνήθων νόμον, οὐ ναυαρχίαν, ἀντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα, καὶ δύναμιν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους ἀνυπεύθυνον.* Adde quæ sequuntur. *Boecler.*

Sed tamen idem hoc] Gruterus duas priores voces omnino irreptitias esse censet. Mihi non videtur. Mirandum esse inquit Velleius, P. R. adeo libertatis studiosum, uni Pompeio totius maris decrevisse imperium. Demere tamen admirationem, quod idem hoc ante biennium M. Antonio esset decretum, homini non nimis magnæ existimationis. Per M. vero Antonium intellige triumviri patrem; qui quamvis adversus Cretenses improspere rem gesserit, tamen Cretici nomen retulit; ut ex Appiani excerptis legationibus cognoscas. In Plutarchi Antonio male cognomentum *Critici* ei tribuitur. Quod facile cuivis emendare. Absque hujus historiæ ignoratione fuisset, non corrupisset Lactantium Thomasius, lib. I. 11. ubi vulgo legas, 'cujus regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ potestatem senatus decreverat.' Maluit ille, *Pompeii*, ex quibusdam Mss. Sed, præter citatos auctores, eum satis refellit Cicero Verrina I. cujus ipsis verbis utitur Lactantius. Vide etiam, quæ de hoc Antonio ad eandem orationem adnotavit Asconius Pædianus. Atque hunc etiam innuere videtur Florus l. III. 8. quod est de bello Cretico. Sed more suo erravit, quod a Pompeio missum dicat, captandæ laudis ex aliena provincia. Octavium igitur cum Antonio confundit. Illum enim nominat in hac re Dio, lib. XXXVI. et Plutarchus in Pompeio. *Vossius.*

Sed interdum persona, ut exemplo nocet] Quid noxa exemplorum hic ad rem? Examina, videbis frigidum hoc totum esse aut ineptum. Censeo legendum: *Interdum persona, ut exempla docent, aut invidiam auget.* Hoc scilicet per occasionem, sententiæ modo, addit: Sæpe in eadem re aut culpa invidiam majorem minoremve esse, et voces attolli aut minui, aspectu personæ magis quam meriti: idque exempla testari. Supra hoc ipsum dixerat, 'Familiasse esse homi-

nibus invidiam rerum non ad causeam, sed ad voluntatem personasque dirigere.' *Lipsius. Sed interdum persona, ut exemplo nocet*] Hæc nonnullis frigida aut inepta: itaque emendationibus incumbunt, quæ meis tamen oculis minus satisfaciunt, quam vulgatum: quo vult Velleius; quemadmodum alia atque alia persona minus magisve noceat exemplo suo; sic quoque unam eandemque rem huic vel illi majorem minoremve creare invidiam. Quo nihil verius; ut pluribus adstruo suis locis; nam omnia hæc cumulare, non est meum. Hanc omitto tamen Velleianam istud capitis trigesimi: 'Familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; et invidiam rerum non ad causeam, sed ad voluntatem personasque dirigere.' *Grut.*

Cap. 32. *Cum dissuadens legem*] Vide quantum ex egregia oratione Catuli apud Dion. XXXVI. superest. Velleius Noster ipsam vim consilii complexus est: Esse et Optimatibus et Populo valde periculosum, si uni alicui extraordinaria, aut summa, aut crebra potestas deferatur: cum præsertim Pompeii magnitudo jam nimia sit, et ὡρὸς ἰσότητα δημοκρατίαν ἀσύμμετρος, ut Plutarchi voce utar. Quales nimium observandos esse cavendosque in rep. libera, paritissimi quique Politicorum monent. Arist. III. Pol. 9. Potest quodammodo ad Velleianam de Pompeio sententiam accommodari, quod de Manlio Livius judicat VI. 20. quem 'virum' vocat, 'nisi in libera civitate natus esset, memorabilem.' *Boecler.*

Si quid huic acciderit] Verba sollemnia vitandi ominis in mortis mentione. Sueton. extremo Augusto: 'Julias filiam neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulchro suo inferri.' Indubie huc spectat fragmentum illud e lib. v. Historiarum Sallustii, 'Nam si Pompeio humani quid evenisset:' quod etiam Nobilissimo Ilpenso in mentem venisse jam video: narrat historiam Plutarchus et Valerius. *Schegk.*

Per idem tempus Cotta] Immo biennio ante, Pompeio et Crasso Cos. quod actiones in Verrem aliaque testantur exempla. Itaque coger hic, nisi vitiosi libri sunt, Velleii diligentiam requirere. *Manut. Per idem tempus Cotta*] Confer II. 6. 3. II. 18. 2. De re tota late Sigon. Antiq. jur. civ. Rom. II. 18. *Boecler.*

Inter utrumque ordinem] Discentit a Pediano et aliis: qui inter tres ordines a Cotta communicata judicia, tradunt. *Manut. Inter utrumque ordinem*] Senatorium puta, et equestrem. Equestri annumerat Cl. vir Ant. Augustinus Tribunos ærarios testimonio Plinii lib. XXXIII. 9. Hoc magis Livius lib. XCVII. ad equites solos translata judicia constanter asseverat. *Schegkius.*

Otho Roscius] Vulgo corrupte, *Horescius. Otho Roscius*] Legem Roscianam theatralem quis jam, qui modo historiam quamvis leviter attigerit, ignorat? Testis Cicero, Pedianus, Plinius, alii. Ut, monere lectorem de reponendo *L. Roscii* nomine, extruso *Horescio*, putidum pene videatur. Id etiam adulterinum puto, *loca restituit*: quasi eadem equites antea habuissent; quod falsum est: primus enim Roscius hoc sua lege induxit. Itaque vel *constituit*, vel *distribuit*, rectius opinor. Nec displicet, quod Puteanus, pro *Horescius*, *Otho Roscius* reponit: familiare enim est Velleio, cognomina præponere nomini gentilicio; ut, 'Mancinus Hostilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius, Scaurus Æmilius, Saturninus Appuleius, Ofella Lucretius, Marcellus Claudius.' *Manut. Otho Roscius, &c. restituit*] *Constituit*, aut *distribuit*, suadet vir doctus, nullus persuadet. Cicero de illa ipsa agens, 'L. Otho,' ait, 'vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque hoc

hent, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, qua honestissimo ordini eum splendere, fructus quoque jucunditatis est restitutus:' Pro Murena. Vides hoc verbum bis repeti, nec frustra: in vario namque significatu veteribus præpositio *Re*. Hinc apud Tacitum Annal. lib. I. legas, *remittere*, pro *permittere*: 'Remisit,' inquit, 'Cæsar adreganti moderationem,' ut notavit vir nunquam satis laudatus Cujacius Observat. lib. XXI. cap. 29. De L. Roscia, quæ tantum de Scena, non Cerealibus ludis caverat, quosdam non e vulgo, vir omnia doctus Lipsius, ad Taciti lib. I. Addo loca ipsa *Equestria* dicta; hinc sedere in Equestribus ex simplici et puro in obscenum deterquet sensum ancilla Chrysis apud Petronium: 'Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur. Ego etsi ancilla sum, numquam tamen, nisi in Equestribus sedeo.' Et Quatuordecim absolute. Idem: 'Ex hac nota domina est mea, usque ab Orchestra quatuordecim transilit, et in extrema plebe quærit quod diligat.' Ex aliis nulla profero consulto. *Scheghius. Othe Roscius, &c. restituit*] Rursum vid. Sigon. de Antiq. jur. R. c. 2. 19. *Beeclerus.*

Multis et præclaris viris] De legatis capiendum. Nam lege Gabinia continebatur etiam, ut multis legatis (πολλοὺς ὑποστρατήγους Dio vocat) uteretur Pompeius. Plutarcho πρεσβευταὶ dicuntur, expresso numero XVI. Appianus ὑπηρέτας ἀπὸ τῆς βουλῆς, οὓς καλοῦσι πρεσβευτὰς, numerat XXV. Florus, 'plures legatos atque præfectos' memorat III. 6. 8. e quo capite ascriptisque a Camerte Auctoribus totius belli Piratici historiam petas licet. *Idem.*

Brevi, &c. terrarum orbem liberavit] Distincte Florus: 'Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod XL. die parta est? an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerint?' Scheph.

Per multa prælia] Primæ editioni abest vox *prælia*. Addita explendæ sententiæ videtur; et fortean fuit, *per multos, multis locis*. Per multos, legatos nempe Pompeii et duces. *Lipsius. Per multa prælia*] Primæ editio, *præd. per multa a multis locis victus:* ut videri possit, prius fuisse, *prædonesque permultis locis victos*. Gruterus.

Cilicium] Quæ regio minoris Asiæ, Syriæ proxima.

In urbibus] Aut illud, *in urbibus*, supervacuum est, aut sequens, *in certa sede*. Gruter.

Hunc carpunt] Lege *hoc*. Sic editio Gryphiana, alique eam secutæ. *Vossius.*

Rapinis arcuit] Florus quoque 'singulare' hic 'ducis consilium' agnoscit: 'qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, et mediterraneis agris quasi obligavit.' Quæ translatio nationum hominumque fecium ex assuetis sedibus in diversos indolis loca, etiam alibi arcanis firmandi imperii stabiliendæque tranquillitatis servit. *Beeclerus.*

CAP. 33. *Et L. Lucullus*] Vetus editio: *cum et L. Lucullus, &c.* Quod cur rejicerent, nulla erat causa. *Vossius.*

Qui ante septem annos] Solenne est (Velleio, dicam, an exscriptoribus Velleii?) per magnas parentheses orationem suspendere: id quod aliquando non caret molestia. Cetera, quæ de Lucullo hic tanguntur, perscripta lege apud Plutarch. in Lucull. Appian. Mithridat. Dion. XXXV. Flor. III. 5. &c. *Beeclerus.*

Ex consulatu] Licet hæc lectio non displiceat, magis tamen placeret, si ita legeretur: *Qui, ante septem annos ex S. C. sortitus est Asiam, &c.* nam in antiqua editione est, *ex Coc.* quod videri potest factum ex, *ex S. C.* quæ usitata erat formula in decernendis provinciis. *Ursinus. Ex consulatu*] Ursinus legit, *ex S. C.* Sed vulgata lectio mutari non debet. Velleius

infra: 'Domitius cum ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi, comparandique antiquis exempli, auctor fuit.' Ita et Cicero in Bruto: 'Cotta ex consulatu est profectus in Galliam.' Item Valerius Maximus libro III. capite 7. 'cum ex consulatu provinciam Galliam obtineret.' Quod Colerus non intellexit. Sed perinde est, *ex consulatu*, ac si *consul* dixisset. *Vossius.*

Cyzicum] De Cyzico nobilissima et Romanis amicissima Asiæ urbe, Cicero pro L. Manilia, Murænа, Orosius. *Schegk.*

Expellebatur] Lipsius legit *debellabatur*: Acidalius, *excellebatur*, id est, superabatur: Gruterus nova voce, *exbellabatur*. Si quid mutandum, Lipsiana emendatio per omnia ceteris melior esset. Sed quæ illa necessitas correctionis? Certe *expellebatur* provincia rebellione militum et calumniis inimicorum, ipsiusque Pompeii ambitione: expellebatur, inquam; Pompeiusque non tam belli quam triumphi successor mittebatur. Quod factum non esset sc. 'nisi milites propter avaritiam sibi infensos habuisset.' Lege Plutarchi Lucullum, ubi clare notantur quæ innui. *Boecler.*

Alienæ minister potentiæ] Tales plerique tum tribuni, qui decus ac libertatem populi, cujus custodes esse debebant, alienæ potentiæ gratificabantur. Itaque nemo immoderata nimiaque concupivit aut molitus est, quin tribunis plebis, tanquam satellitibus pravæ lubidinis, ad opprimendas leges capiendamque vi remp. uteretur. Observabunt autem studiosi prudentiæ iterum hoc loco, verissimum esse in Rep. quod Aristoteles in Philosophia posuit: 'uno absurdo dato, cetera accidere.' Nimium reip. liberæ et in certissimum libertatis præjudicium erat iturum, cum ad bellum Piraticum tanta Pompeio tamque monarchica potestas deferretur; nunc, ne quid ad absoluti dominatus speciem deesset, continuatur, augetur, suppletur illa potentia: Dum enim lege Manilia Luculli legiones et provinciæ, Bithynia item, id est, quæcunque antea non habuerat, decernuntur, classisque et imperium maritimum continuatur; quid hoc aliud erat, quam uni semel imperium Romani orbis transcribere? τοῦτο δὲ ἦν, ἐφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, inquit Plutarchus in Pomp. ὅπερ οὐδενὶ πω πανδήμοις πρὸ τοῦδε δήμοις πάντα ἐδόθη, notante Appiano Mithrid. p. 288. Vide tamen callidas astutasque rationes, quibus inducti duo summi viri Cicero et Cæsar hanc legem Maniliam probarunt atque defensarunt, apud Dion. XXXVI. p. 23. Videbis eadem opera, Remp. Romanam non fuisse jam rem publicam. *Idem.*

Infamiam]. Puto rectius, *infamem*: et refero ad cupiditatem. *Lipsius.*

Neuterque ab eo] Vide num verius, certe clarius, *neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui posset.* Neuter falsus convinci arguique in eo posset, quod arguebat. Uterque utrique veram culpam objiciebat. *Idem.*

Quo arguebatur] Vulgo, *quod arguebatur. Quod arguebatur*] Si diligenter attendatur, patebit *arguebat* esse rectius. *Manut. Quo arguebatur*] Patidum est, doctissimos viros heic implicari circa glossam, nam nihil similius vero, quam manasse tantum a calamo Velleii, *neuterque mentitus argui posset*, adlitumque deinde a scriba aliquo, *ab eo quod arguebatur.* Belle prorsus, belle; nisi et Tacitus scripsisset Histor. lib. I. cap. 24. 'mox quasi rixantes stupra et flagitia invicem objectavere: neuter falso.' *Gruter.*

Ut primum ad Remp.] Alii, *Ut primum Remp. adgres.*

Animo parem] Animorum ergo inspector et arbiter Pompeius? Non opinor: nec hoc illi ægre, si quis animo æquaretur, sed si re et specie

externa. Fortasse *omnino*, pro *animo*, legendum. Quid si etiam vox alia inclusa in simili priore? ut sit *quemquam æquo animo parem*. Lips. *Animo parem*] 'Haud necesse videtur aliquid hac loco novare: nam ut haud fuerit Pompeius animorum inspector et arbiter, poterat tamen de eis judicari ex actionibus hominum eorundem. *Gruterus*. *Parem tulit*] Noti sunt Lucani versus: 'Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompeiusve parem.'

Debebat] Divino, *esse havebat*. Lips. *Debebat*] Non video, cur primus esse debuerit Romæ Pompeius. Quare suspicor, illa, *esse debebat*, aliunde invecta; et repetendam vocem, *cupiebat*; tanquam expressisset, *in quibus rebus cupiebat esse primus, cupiebat esse solus*. Grut. *Debebat*] Ita Cicero loquitur Offic. I. 19. ubi de nimia principatus cupiditate agit. 'Ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime valt princeps omnium, vel potius solus esse.' *Boecl.*

Ut qui eos] Lego, *et qui eos*; item, *sumeret*. Hæc ipsa autem Cato de Pompeio jam mortuo apud Lucanum in IX. 'invasit ferrum, sed ponere norat. Prætulit arma togæ, sed pacem armatus amavit. Juvit sumpta ducem, juvit dimissa potestas.' *Lips.*

Profusæ, &c. luxuriæ] De profusione in ædificando Cicero de Offic. Varro de re Rustic. lib. III. De Luxuria Athenæus lib. VI. *Schegk.*

Convictibusque] Planius esset, *conviviisque*. Manut. *Convictibusque*] Aldus, *conviviisque*. Sed alterum idem est. Sic Juvenalis Sat. 13. 'Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum De Rutilo.' Ita omnes libri impressi, et noster Ms. optimæ fidei. Ubi etiam glossa adscripta τὸ *convictus* interpretatur *convivia*. Nolim itaque Lipsium audiri, qui ex unico codice Ms. emendat, *conventus*. Vocabulo eadem significatione usus etiam Valerius Maximus, lib. II. cap. 7. 'Interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum.' Vide locum. Item Tacitus Annalium II. 'Atque interim Libonem ornat prætura, convictibus adhibet,' &c. *Vossius*.

Suffossis montibus] Sic M. Varro de Re Rust. cap. 17. 'Contra ad Neapolim,' inquit, 'L. Lucullus, postquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproce fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu.'

Xerxem togatum] In Plutarcho leges, cognomen hoc jocosum Lucullo inditum a Q. Ælio Tuberone. *Lipsius*. *Xerxem togatum*] Vide Plutarchum in Lucullo, ubi et de molibus mari injectis, &c. Idem Scriptor, non a Pompeio, sed a Tuberone Stoico, 'Xerxem togatum' esse appellatum memorat: quanquam et Plinius cum Nostro facit IX. 54. 'Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim, majore impendio quam villam ædificaverat, euripum et maria admisit. Qua de caussa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat.' *Boeclerus*.

CAP. 34. *Creta insula*] Arx altera prædonum, prius malo Reip. a M. Antonio tentata. Livius lib. XCIX. Valerius, Plutarchus in Pompeio, Dio, alii. *Schegk*. *Creta insula*] Vide de bello Cretico Florum III. 8. et quos ibi Camers notavit. quibus adde Dion. XXXVI. principio. Plutarch. in Pomp. *Boecler*.

Usura gloriæ] Ita reposui, cum antea legeretur, *usuræ gloria*. Manut.

Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit] Hinc ipse Tullius in L. Pisonem: 'Me cum quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum, cunctis suffragiis populus R. faciebat; homini illi honorem, non generi: moribus, non majoribus meis, virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati detulerunt.' Item Philipp. 7. 'Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum hominibus nobilissimis omnibus honoribus prætulistis?' Sed

et aliis locis ita de se, ut est hominis ingenium, frequentissime. *Acidalius.*

Utrisque ordinis] Burr. Ms. *utrius ordinis*, antique. Sic quidam veteres editiones Agellii XIII. cap. 22. in verbis M. Catonis: 'Si quid est quod utar; uter: si non est; ego suum cui' (alias cuique) 'per me uti licet.' *Schegkius.* *Utrisque ordinis*] Ms. *utrius.* Quod antique dictum putabat Schegkius. Sed fuerit illud contra mentem Prisciani, qui lib. V. postquam probavit, ut veteres, *pierus*, *pieva*, *pierum*, aliaque id generis, absque *que*, soliti fuerint efferre; ita de hac voce subjungit: 'Uter vero, et uterque, diversas habent significationes. Uter enim πότερος, dividuam vim habet; uterque ἑκάτερος, collectivam; ubi πού, ὅπου, ubique πανταχοῦ. In his ergo, et similibus, Que si conjunctionem accipiamus, composita sunt: sin syllabam, derivativa.' Vix tamen Prisciano assenserim. Quadrigarius apud Agellium lib. IX. epistol. 13. 'Utris summo studio pugnantibus.' Sic enim fuit in Ms. Giselini, testante Lipsio, Epist. Quæst. lib. IV. cap. 2. Nec dubitat idem ejusdem lib. epist. 2. quin apud Livium lib. XXXVI. ex Ms. sit reponendum: 'Frumenti spes, quæ in oculos fuerat, utros pariter frustrata est.' Audacia ergo sit nimia, veterem Velleii lectionem exturbare. *Vossius.*

Aperuit] Ita alii. Vulgo, *eripuit.* *Eripuit*] Forsitan ita scripsit Velleius: ut sit, *Eripuit e rep.* Sed aptius videbatur, et usitatius, *exstinxit*, aut *oppressit.* Quod attingendum putavi, ne quis me gloriæ causa putet insignia tantum persequi, humiliora contemnere. *Manutius.* *Aperuit*] Inepte, *eripuit.* Repono, *eruit.* Nam hoc Cicero ipse ubique in laude sua ponit, quod conjurationem retexerit, in lucem produxerit, vindicandam comprimendamque Senatui præbuerit. Etiam Florus: 'Industria rem patefecit.' *Lipsius.*

Præter iterum] Post consulatum præturam ea propter repetiit, ut senatorium ordinem censorio judicio ob mollitiem amissum jure et beneficio magistratus reciperaret. Dio lib. XXXVII. 'Et P. Lentulum, qui post consulatum gestum senatu exciderat: ac senatoriæ dignitatis recuperandæ causa præturam tunc gerebat.' Ubertim hunc morem disertissimus Manutius deduxit. *Schegk.*

CAP. 35. *Altissime illuminavit*] Ita cum Grutero legimus, cum fuisset antea, *in altissimo luminavit*: ubi si *luminandi* vox toleraretur, φράσις tamen tota insolentior videri potest. *Boecl.* [*Luminandi* verbo usus est Prudentius, Capella, Cælius Aurelianus. Sed ex iis auctoribus Latinitas petenda non est.]

Familiæ Porciæ] Nota Familiam pro Gente: nisi si dictio *Porciæ* aliena sit, et a glossula. Tamen infra quoque Cæsarem 'genitum nobilissimæ Juliorum familiæ' dixit. *Lipsius.* *Familiæ Porciæ*] Omnino familiam pro gente posuit Velleius. Similiter et Valerius Maximus lib. III. cap. 2. 'Porciæ familiæ' dixit: item Noster infra de Cæsare: 'Nobilissima Juliorum genitus familia.' Nihil certius. *Vossius.*

Fortunam in sua potestate habuit] Eleganter Cicero Paradox. 'Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat. Nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia. Cujus autem spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi.' Horatius lib. II. Satyra 7. 'Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus: Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent: Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis, et in seipso totus teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per læve morari: In quem manca

ruit semper fortuna:' et quæ sequuntur. Comparationem Catonis et Cæsaris habes in Sallustio et Dione. *Schegk.*

Ut ardore oris] Ed. vet. *et ardore oris, ut orationem.* Hinc Lips. pro *et* legit *eo.* Et postea, *ardore oris, ut orationem.*

Sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis] Nihil mutandum. Sensus est: Catonem prævidisse ac exposuisse impendentia pericula, quæ partim ex ruinis et incendiis, partim commutatione status publici, constabant. Et sane ex Catilinariis Tullii, ac Sallustii bello Catilinario, aliisque, notum est, Catilinam minatum palam se incendium suum ruina exstincturum. Florus breviter lib. IV. cap. 1. 'In præsentem reum Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo, incendium suum restincturum ruina minaretur.' Ubi quærunt viri docti, quidnam sit *professo.* Ego eos hac molestia libero. Scribendum est *professus.* Vult enim Florus, hoc ipso eum se hostem professum palam, quod in senatu se suum incendium ruina restincturum esset minatus. *Vossius. Sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis*] Rursum ipsam vim orationis Catonianæ (quam habes apud Sallust. Catil. 52.) sive præcipuum argumentum his verbis complexus est Noster. Non enim videbantur intelligere Patres, quantum a Catilinariis molitionibus periculum reip. toti statuique, omni ordini, omni ætati ac sexui immineret: itaque Catonis oratio potissimum in eo occupabatur, ut ruinas, incendia, internecionem, in conspectu omnium poneret, necessariæque severitatis unicum consilium demonstraret. *Boeclerus.*

Consulis] Aliter, *consilii.* Legi quoque potest *consilio*, ut Vossius monuit.

Vota obiit] Vulgo, *nota. Vota obiit*] Ego, *mortem obiit:* vel, *vita abiit.* Sed, *obire mortem*, Velleio familiarius. Sic enim locutus est supra, multis locis. *Manutius. Nota obiit*] Alii aliter. Puto, *nota obiit.* Id est, non minus animose semel a se mota peragere voluit, quam movere ea cœperat. Utrobique audax, in ordiendo, in exsequendo. Probe etiam, *vota obiit:* ea quæ voverat destinaveratque. *Lipsius. Vota obiit*] Est in Ms. *nota*, unde fit ut aliquando conjectarem, *conata obiit.* Sic supra cap. 29. 'privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus magnificeque conata exsecutus.' *Gruterus. Vota obiit*] Gruterus *conata* reponit, cum in Mss. *nota* fuerit: sed cum *conandi* vox statim subsequatur, debilitari vim hujus lectionis, consentaneum est. *Boeclerus.*

CAP. 36. *Annos* LXXXII.] Lege, XCII. *Manutius.*

Ciceronem, Hortensium] Tres de Oratore Ciceronis libri, magis etiam is qui Brutus inscriptus est, quantum eloquentiæ laude floruerint Antonius et Crassus, deinde Cotta et Sulpicius, plane demonstrant. Itaque Velleium puto tria oratorum paria conjuncte posuisse, primo loco, Ciceronem, Hortensium; secundo, Antonium, Crassum; tertio, Cottam, Sulpicium. Locus igitur emendandus. *Manutius.*

Hortensium] Vide G. I. Voss. de Histor. Lat. I. 2. sicut idem de aliis Historicis agit.

Senemque Crassum] Aliter, *seneque. Saneque Crassum*] Lego, *unaque Crassum.* Hac ipsa ætate, inquit, floruerunt pariter in eloquentia Crassus, Cato. Crassum autem illum divitem intelligit, quem et Cicero eo nomine laudat, et Plutarchus 'inter Romanos fuisse eloquentissimum' ait. Est qui senemque Crassum legat, et de illo Lucio, qui cum Antonio vixit floruitque, intelligat. Valde errat: palam hic Velleius de iis oratoribus, qui M. Tullio compares, aut suppares certe fuerunt. Nam Catonem intelligit

Uticensem: Salpicium, Servium illum eloquio et juris scientia laudatum. Denique et altero illo Crasso jam ante a Velleio et suo loco dictum. *Lipsius.*

Suscepti] Vulgo, *suspecti*. *Suscepti*] *Suspecti* posuit pro suspiciendi, id est, admirandi. Aut lege, *suscepti*; ut Gryphio, aliisque editum. Sed alterum magis placet. Sic *conspectum*, pro *conspiciendo*, posuit Appuleius lib. x. de Asino aureo: 'conspectum atque famigerabilem meis artibus efeceram dominum.' Item Avienus Fab. x. 'Ad campum nitidis venit conspectus in armis.' *Vossius.* *Suspecti*] Cur non *suscepti?* nec enim aliud vult, quam Catullum nullo minorem in opere et materia quam elegit. In magnis alii magni, hic nihil iis minor, sed in parvis. *Lipsius.*

Catullum] *Catullum* pro *Catulum*, quod est in antiqua editione, docti viri reposuerunt. Sed haud scio quam recte. Nam et Q. *Catulus* numeratur inter nobiles ejus ætatis poëtas. *Ursin.* *Catullum*] Laus eximia Catulli, quam hodie multi sunt Suffeni Catulliani, qui deterunt; homines venusti, dicaces, et urbani, longe plurimos item versus facientes: sed qui simul aut hunc ipsum, aut hujus similem ex prima classe poëtam attigere, caprimulgi rursus aut fossores videantur, adeoque inficeto omnes rure sint inficetiores: tantum abhorrent ac mutant. Hoc tamen præter institutum aut morem meum. *Acidal.*

Princeps carminum Virgilius, Rabiriusque] Vetus editio communicat hunc Principatum cum Rabirio, scribitque *principes*. Credimusne tam magnifice sensisse de poëta hodie vix noto Velleium? fortasse per amicitiam, aut alia de caussa. Ovidius quoque laudat: 'magnique Rabirius oris.' Et Seneca de benefic. VI. 'Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam exclamare: Hoc habui quodcumque dedi.' Ubi legendum, *habeo*. Fabius contra tenuiter de eo sentit: 'Rabirius et Pedo non indigni cognitione, si vacet.' *Lips.*

Consecutus Sallustium Livius] Opinor hæc verba e suo loco in alienum detrusa. Cur enim poëtis admisceatur historiarum scriptor Livius? Quod si post illud, paullo ante dictum, *æmulumque Thucydidis Sallustium*, ponantur, suam sedem obtinebunt. Quo in loco requirit antecedentium verborum ordo, ut legatur, *Et consecutum Sallustium, Livium:* vel, *Et, qui consecutus Sallustium, Livius.* Cum enim nec unum oratorem, nec unum poëtam, sed multos simul Velleius nominet, de uno Sallustio historico mentionem ab eo factam esse, verisimile non videtur. Quod si quis cum Sallustio in historiæ Romanæ laude conjungendus, quem Livio anteponamus, aut etiam conferamus, prorsus non habemus. Ipse etiam Velleius in extrema parte libri primi perhonorifice eum appellavit. *Manutius.* *Consecutus Sallustium Livius*] Viro docto atque optime (rem dico) de Velleio merito transposita hæc verba videntur: et iis quæ supra subjungenda, *æmulumque Thucydidis Sallustium.* Cur enim, inquit, poëtis admisceatur historiarum scriptor Livius? Ratio aliqua est, sed hic vana; quia non studiorum similitudinem in jungendo, sed temporum Velleius spectat. Livius autem illis prioribus inferior, et tantum non ævi Velleiani. Obiit enim (Eusebio sic traditum) quarto Tiberiani imperii anno. *Lipsius.*

Perfectissimi] Manutius legit, dubitanter tamen, *perfectissima metamorphosis. Perfectissimi, &c.*] Dico nil tentandum: frequens nostro phrasis: 'Nunc proposito operi sua forma reddatur;' et, 'In formam justi exercitus;' atque, 'cogit enim excedere propositi formam operis,' &c. *Schegk.* *Perfectissimi*] Possit tamen etiam legi, *perfectissimus.* Ut ad Nasonem

solum referatur, quem ultimo nominavit Velleius. *Vossius.*

Ita censura difficilis] Næ difficilis, præsertim in opere Historico: vel ob hoc ipsum, quod Velleius acute inquit, quia admiratio publica neque requirit judicia et rationes censuræ, neque admittit examen sui affectus. Jam quantum potest dignitatis, loci, gentis, necessitudinis, denique fortunæ veneratio? ad quam vel suo vel ævi ingenio plerumque etiam prudentum mentes inclinantur. Igitur haud dubie ea sincerissima laus est, illud verissimum decus quod incorruptæ cuique posteritas rependit. Cum præsertim ex altera quoque parte doctissimum quemque invidia, non nisi cum inviso finitura, contundere nitatur ac deprimere. *Boecleris.*

Cap. 37. *Tigranemque socerum*] Librarii erratum, non Velleii; quis enim nescit, Mithridatis generum, non socerum, Tigranem fuisse? *Manutius. Tigranemque socerum*] Omnes tradunt generum fuisse. Vacillavit memoria Velleii? potuit. Sed hoc quoque potest error in scripto esse: et forte vetus germanumque *socer ejus petit.* Ipse socer generum suum petit. *Lipsius.*

Nisi quia Luculli] Ferri forte queat, sed tamen inclinat animus reponere, litera minus, *nisi qua Lucullus*: qua, pro quatenus. *Gruter.*

Patri] Vulgo, *Patris.*

Cujus se fidei] [Vulgo *societati.*] Proprietas Latinæ linguæ magis exigit, *committere se potestati*, quam *societati*: idque comprobant hoc in loco, quæ *supra* proxime, quæque infra dicuntur: alii *cujus se fidei c. f.* Manutius.

Sicuti Pompeio moris erat] Recte hoc notatum Pompeio non peculiare, sed commune omnibus. Igitur ego, quod aliis minus tentatum, voces aliter colloco: *Quæ omnis Pompeio, sicuti moris erat, redacta.* Præpositionem omittere Nostro familiare. Supra de Aristonico: ' ductusque in triumpho sed M' Aquillio.' Et abhinc paullo post, ubi nunc sumus: ' Gallias primum Domitio et Fabio intratas cum exercitu.' Quibus locis de suo tamen Aldus, nimis forte liberaliter, *a* præpositionem addit. *Acidal.*

Redacta in quæstoris potestatem] Nonne idem mos aliis? et nonne semper pecunia publica appensa Quæstori? Ita, sed non pari fide. Luculli, Crassi, et ejusmodi rapones, partem plurimam in se derivabant. Significat igitur et laudat integritatem Pompeii, qui publicæ pecuniæ abstinentissimus fuit. Tamen Cato apud Lucanum, libere, et ut Cato, profert, aliquid eum quoque delibasse: ' Immodicas possedit opes, sed plura retentis Intulit.' *Lipsius.*

Cap. 38. *Redacta in formulam provinciæ*] Egregiæ hujus egressionis Commentatorem damus Sigonium; ex cujus de Antiq. jur. Provinc. I. plenior provinciarum factarum historia ratioque peti potest. Est autem, ' redigere in formulam provinciæ, nihil aliud, quam leges domesticas adimere, et Romanas dare, ac prætorem, qui quotannis provinciam ex legibus datis administret, instituere. Neque vero sola tributi impositio provinciam efficit, cum id multis sit etiam Italicis et exteris imperatum, qui tamen in provinciæ formam non sint relati; sed legum domesticarum et patriæ libertatis ademtio, et prætoris, qui eos regat, institutio.' Sunt hæc rursum verba Sigonii e I. de Antiq. jur. Ital. 26. Ergo ipsum ' Jus provinciale,' alio nomine, ' Formula provinciæ,' appellatur, notante eodem de Antiq. jur. Prov. I. 1. *Boeclerus.*

Stipendia pacta sit] Quasi pacisci gentes victæ cum hac victrice de stipendiis soleant. Raro aut non hoc factum: ipsa superbe imponebat. Mea voluntate scribas, *stipendiaria facta sit.* Lipsius.

Ut quæ facilius] Vulgo, *notavimus facilius, ut e partibus simul universa*

conspici possint. Ut quæ facilius] Scribendum, *Notabimus, ut facilius, quam partibus, simul universa conspici possint.* Hac mente. Ego simul et ut in tabula proponam, ut lector ea magis uno obtutu capere et simul animo infigere, quam varie diducta, possit. *Lipsius. Ut quæ facilius*] Lege, *Stipendia pacta sit: notatis ut partibus, facilius simul universa conspici possint.* An magis hoc? *Notabimus partibus, ut facilius simul universa conspici possint.* Partibus notare, est per partes, seu particulatim notare. Sic ab aliquot lineis: 'Inde varie possessa et amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est.' In partibus pro eodem infra: 'Horum XVI. annorum opera quis, cum inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur?' Nihil agimus, tertium dabo, in quo manebo, Apolline volente. Exemplaris Aldini scriptura est: *notabimus facilius, ut quæ partibus simul universa conspici possint.* Hinc ego nulla vocum mutatione, levissima traductione, errantes et fluctuantes lectiones sic stabilio: *ut quæ partibus notabimus, facilius simul universa conspici possint.* Acidal. *Ut quæ facilius*] Bene observatum Popmæ, *id* latere in voce præcedenti *sit*. Itaque locum hunc sic emendandum arbitror: *Id notabimus, facilius ut, quam partibus, simul universa conspici possint.* Vossius.

Primus in Siciliam] Errat Velleius. Sicilia præter regnum Syracusanum iisdem temporibus, quis Sardinia, provincia facta. Solinus, Pomponius De Origine juris. Universa cum regno Syracusano non a Marcello, sed M. Valerio Lævino. De provinciis post Sigonium pauca, imo nihil, dicere habeo. Satis sit monuisse, in plurimis Velleium victorem gentis cum pacificatore, eum dico, qui pacis conditiones jussu populi tulerit, confundere imperite. *Schegk.*

CCIV.] Nisi omnis calculatoria me fugit, superest hic centenaria nota. Nam ecce Africa intrata anno CCCCXCVIII. Carthago deleta, DCVII. quid amplius quam justi intersunt anni CV.? Tolle ergo grande hoc ἀνυπόστατον. *Lipsius.*

Annos CLXXXII.] Συλλογιστικὴ evincit, CLXXV. Facile colligere ex anno Carthaginis deletæ jam dicto. *Idem.*

Certum] Eleganter *certum jugum*, pro firmo et perpetuo. Sic Florus lib. IV. cap. ult. 'Certa mox fides et æterna pax cum ipsorum ingenio in pacis partes promptiore et cum consilio Cæsaris.' Martiali 'Certus' frequenter pro duro et obstinato: lib. V. in Marianum: 'Nil mihi respondes? uxoris res agit, inquis, Iste mea: sane certus et asper homo est.' Lib. L. ad Phœbum: 'Fac rata vota patris: sic te tua diligat uxor, Gaudeat et certa virginitate soror.' Cicero Epist. ad Att. 21. lib. V. certum hominem, pro gravi et moribus antiquis. 'Q. Volusium, tui Tiberii generum, certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem, misi in Cyprum.' Sæpissime et Propertius de Cynthia rigidiore, et in ira pertinace, cujus te exemplorum congerie non onerabo. *Acidal.*

Semel sub regibus] Hoc sub Numa fuisse factum, notius, quam ut referri debeat. Cæterum non contineo me, quin hac occasione Plutarchi patrocinium suscipiam. Scribit is, ἐν τῷ περὶ τῶν Ῥωμαίων τόχης, inter primam et alteram Jani κλεῖσιν annos esse quadringentos et octogenos. Recte sane. Numerat enim ab initio regni Pompiliani, quod annorum fuit XLIII. Vir autem doctus, qui non dubitavit integrum caput componere, ut ostenderet Plutarchum committere ἀνυπόστατον annorum XLVI., in eo lapsus est, quod numerare inceperit a bello Albano, sive Jano primum aperto. Quod in VI. Tulli annum incidere ex Eusebio liquet. Itaque nemini dubium fore arbitror, quin Plutar-

chas ab eo parum τὸν ὀχυρὸν gravissimi erroris agatur reus. *Vossius.*

Tertio Augusto Principe] At docuit me vir, qui cuncta tenet antiqua sepulta, J. Lipsius in electorum I. c. 20. Janum ter ab Augusto clausum. Et vere. An igitur legendum *ter?* minime. Satis habuit Velleius a quibus, non quoties a singulis, clusus exprimere. *Schegkius.*

Janus Geminus] Jani bifrontis templum pace claudebatur. *Janus Geminus*] Hinc Florus IV. 12. 64. '. Aususque tandem Cæsar Augustus Janum Geminum cludere, bis ante se clusum, sub Numa rege, et victa primum Carthagine.' Sueton. Aug. XXII. 'Janum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spacio, terra marique pace parta, ter clusit.' Alii passim. *Boeclerus.*

Abhinc annos CCL.] Stricta computatio CCXLIIX.

Ab Attalis possessam regibus] Sive placet, *Attalicis.* Ita enim Pergami reges dicti, quia aliquot Attali nomine. Strabo lib. XIII. Πέργαμον ἐπιφανὴς πόλις, καὶ πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι: *Pergamum, illustris civitas, et diu felix sub regibus Attalicis.* Ibi quoque origo eorum, et stemma. *Lipsius.*

Cypri devictæ] Lipsius reposuit, cum esset *Cypro devicta:* ex quo alii fecerunt *Cypro de victa.* Boecler.

Senatusconsulto] Certum est Plebis hoc scitum, non Senatus fuisse: eoque summo virorum Cujacio visum hic reponi, *PSto.* Lipsius. *Senatusconsulto*] Clarissimus Cujacius et hic corrupte legi *SCto* pro *PSto* ait, nisi utrumque intervenisse dixeris, quod sæpe accidit, ut de colonia Vibonem deducenda apud Livium lib. XXXV. De actis Cæsaris apud Ciceronem ad Atticum V. Epistola 16. Ego Velleium culpa vix libero. Ministerii duo genera doctissimo et Jurisconsultissimo Rævardo. Unum honorificum, et cum potestate, ut cum mittuntur in provincias, cum prætorio, consulari, quæstorio jure. De quo hic et Valerius. Alterum vile et servile; de quo Quinctilianus Declamatione, Præguans adultera: adde Cujacium Observat. lib. VII. cap. 9. *Schegkius.*

Regis morte] Ammianus lib. XIV. regem 'fœderatum et socium ob ærarii angustias sine ulla culpa proscriptum' narrat; 'ita ut jus ejus insulæ avarius quam justius sint assecuti Romani.' Strabo lib. XIV. quod rex Clodium a piratis captum redimere noluerit, legem latam scribit. *Schegkius.*

Quam ille] Potius est vel *ipse* vel *illi;* quod posterius censeo potissimum. *Acidalius.*

Et Syria] Lege, *At Syria, Pontusque,* &c. Vossius.

CAP. 39. *Cæsaris*] Vide Cæsarem de Bell. Gall.

Pæne idem quod totus terrarum orbis] Quæ mens? an tantum fere stipendii conferre divites illas Galliæ, quantum reliquum orbem? tumidum et vanum est. An discrimen aliquod tributi Gallicani a reliquis provinciis indicat? nugæ, nec hic locus. Verbulum hoc turbans ego trajicio, et lego, *idem quod pæne totus.* Probe et caute veritati nempe consultum it Velleius; et quia illa annuit de toto orbe stipendiario, addidit *pæne totum.* Lipsius.

Ignavum conferunt stipendium] Non displicet, *In ærarium conferunt stipendium.* Manutius. *Ignavum conferunt stipendium*] Alii volunt, *in ærarium conferunt.* Quid opus mutatione? Revera *ignavum stipendium,* et ejus pensio parum virilis. Tamen, si quid opus, legam *in annos.* Lips. *Ignavum conferunt stipendium*] Manutii conjectura non displiceat, nisi videatur supervacua. Insultat enim quodammodo auctor contumeliosa voce Gallis: qui bello celeberrimi et antehac

invicti, nunc velut fracti et ignavi stipendium Romanis pariter cum aliis gentibus solvant. *Acidal. Ignavum conferunt stipendium*] De stipendio ita Eutropius lib. VI. ' Galliæ autem tributi nomine annuum imperavit HS. quadringenties.' Unde emendandus Suetonius in Julio, ubi vulgo legitur: ' eique' (Galliæ) ' in singulos annos stipendii nomen imposuit.' Scribendum ex codice Vaticano: *Eique* CCC. *in singulos annos stipendii nomine imposuit*. Frustra enim *HS.* addebat Torrentius, quod intelligi debet. Velleius supra de Catone: ' cum lis ejus XIIX. æstimaretur.' Ubi male itidem pro *ejus*, Scaliger libello de re nummaria reponebat, *ei HS.* Ita ἀλλαττικῶς semper loquuntur poëtæ. *Voss. Ignavum conferunt stipendium*] Cur vocet *stipendium ignavum*, liquebit ex verbis Taciti Histor. lib. IV. 12. ubi loquitur de Batavis: ' Nec opibus Romanis, societate validiorum, attriti, viros tantum armaque imperio ministrant.' Unde et ipsimet Batavi Histor. lib. V. 25. ' Respicerent Rhætos Noricosque, et ceterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed virtutes et viros indici: proximum id libertati.' *Gruter.*

Ab eodem facta Numidia] Locus est mutilus et mendosus. Cum autem de C. Cæsare hoc loco loquatur Velleius, posset sic restitui: *Ab eodem Britannia fracta, &c.* nam præcedit verbum *infractæ*, in quo videtur Velleius lepide jocatus esse. *Ursinus. Ab eodem facta Numidia*] Liber Bonhom. *facta Numidici.* Inde emendaveram, *facta Numidia*, quod jam video et Sigonio, (at cui viro?) in fastorum commentariis placuisse. Confirmat Hirtius, dum ait: ' Tributis vectigalibusque regiis abrogatis, ex regnoque provincia facta, atque ibi Crispo Sallustio procos. cum imperio relicto, ipse Zama egressus, Uticam se recepit.' Et Dio lib. XLV. dubitationem omnem tollit: ' Ea pars Libyæ, quæ, circa Carthaginem sita, a Romanis Africa dicebatur, vetus provincia dicta est, quod jam olim subacta esset: Numidiæ autem, quia recens debellata fuit, novæ provinciæ nomen inditum est.' *Schegk.*

Quarum titulis forum ejus præmitet] An hic ergo ' Index' ille rerum Augusti tangitur? de quo Suetonius scripsit, et qui hodieque lacer visitur Ancyræ Galatiæ urbe. Sunt qui censent: non ego. Nam ille quidem ante ' Mausolæum' Augusti ' statutus in æneis tabulis:' at hi tituli in foro. Loca igitur discrepant: sed nec res eadem. Nam in illo breviarium, quidquid belli aut domi Augustus gessit: hic saltem gentes ab eo, sive auspiciis ejus, victæ, et tituli ducum triumphales. Denique tangit Velleius hoc, quod Suetonius cap. 31. in Aug. ' Proximum a Diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cujusque manentibus titulis restituit, et statuas omnium triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit.' *Lipsius. Quorum titulis forum ejus præmitet*] Suetonius extremo Aug. ' De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est; altero, indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausolæum statuerentur; tertio, breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario et fiscis, et vectigaliorum residuis.' Et Tacitus Annal. lib. I. ' Proferri' (Tiberius) ' libellum recitarique jussit: opes publicæ continebantur, quantum civium, sociumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia et necessitates et largitiones; quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus.' Ambo ecce ab Augusto compositum, sed nullus in foro positum adfirmat.

Locus itaque laudabilis, et quem alibi quæras frustra: eumpse esse volunt, cujus exemplar Ancyræ ab Amplissimo Busbequio curatum, edidit doctissimus Schottus. *Schegkius.*

Facta] Scil. provincia.

Parendi confessionem] Historiæ et fidei interest hoc corrigi. Numquid enim Tiberius Hispanos subegit, et domuit? nusquam factum, aut scriptum. Imo Augustus ipse, atque ita antea traditum hoc ipso Indice: 'Hispania universa ductu Augusti facta stipendiaria est.' Huic sensui emendo: *confessionem extorserat parens, Illuriis Dalmatisque extorsit.* Tam certam, inquit, Tiberius Dalmatis et Illuriis parentiam extorsit, quam parens ejus (Augustus) Hispanis. *Lips.*

Cappadociam P. R. fecit stipendiariam] Eunt in hanc sententiam agmine facto omnes præter Appianum, qui hujus subacti regni gloriam confert in Augustum: ait, 'Quod regnum Ariobarzanes integrum reliquit filio superstiti, multis mutationibus obnoxium usque Augustum Cæsarem, quo imperante, quemadmodum alia quædam, ita hoc regnum in provinciæ formam redactum est.' *Schegkius.*

Cap. 40. *Juris sui*] Bene, *juris sui.* Nam Pharnaces postea quidem Ponticum regnum administravit, sed non nisi jure stipendiario. Emendandus obiter hac occasione Plinius Naturalis Hist. lib. XXXIII. cap. 12. ubi Pharnacem hunc primum Ponti regem nominat. Ita quippe ait: 'Jam enim triumpho Magni Pompeii reperimus translatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam.' Omnino legendum, *qui postremus regnavit in Ponto*, &c. Vossius.

Favorubilem] *Reditum formidabilem*, quæ proxime sequuntur verba, legendum significant. *Manutius. Favorabilem*] Certum est, hoc esse contra mentem scriptumque Velleii. An hoc favorem Pompeio fecit, quod cum exercitu rediret, et oppressurus libertatem crederetur? Imo odium prorsus. Aldus igitur legit *formidabilem.* Ego, *infavorabilem*: novo, sed apposito verbo. Quidni istud, ut *Defavere* et *Defautio*, quæ in Tertulliano scio mihi lecta? *Lipsius. Favorabilem*] Omnes uno agmine in hæc conspirant. Alii legunt *formidabilem*: alii, *infavorabilem*; alii, *non favorabilem.* Atqui vulgata lectione nihil rectius. Dicit Paterculus, Pompeii reditum fuisse favorabilem, quia privatus in urbem veniret. Vulgus enim metum conceperat, ne, Sullæ aut Marii instar, armatus urbem invaderet. Traditum hoc, præter alios, Dioni quoque lib. XXXVII. *Vossius. Favorabilem*] Optima lectio. Plutarchus: *λόγοι δὲ παντοδαποὶ περὶ τοῦ Πομπηΐου προκατέκυπτον εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ θόρυβος ἦν πολὺς, ὡς εὐθὺς ἥξοντος ἐπὶ τὴν πόλιν τὸ στράτευμα, καὶ μοναρχίας βεβαίας ἐσομένης. Varii rumores in urbem præcurrerunt; magnoque tumultu trepidatum est, ne exercitum statim urbi admoveret Pompeius, uniusque dominatio denuo invalesceret.* Adde Dion. XXXVII. p. 43. ubi magnifica commendatio hujus civilitatis. *Boeclerus.*

Brundisii dimisso exercitu] Quod inter laudanda et suspecta Pompeii facinora in primis numerant auctores concorditer. *Schegkius.*

Magnificentissimumque] Vide Sigon. Comment. in fast. et triumph. Rom. ad ann. DCXCII. *Boecler.*

Præterquam a Paullo] Plus ergo Paullus intulit quam Pompeius? Supra de Paullina summa vidimus: at hic Plutarchus auctor, Pompeium tuliase *εἰς τὸ δημόσιον ταμεῖον ἐν νομίσματι καὶ κατασκευαῖς ἀργυρίου καὶ χρυσοῦ δισμύρια τάλαντα, παρὲξ τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας δεδομένων: in publicum erarium in pecunia et apparatibus argenti atque auri viginti millia talentum, præter ea quæ in milites dilargitus erat.* Confer cum illo bis millies Paulli: altero tanto vincit. Ergo jure hic et

ingeniose rescriptum, *præterquam Capitolio intulit.* Ad quem sensum etiam fac, *majore*, non *majorem*. Lipsius. *Præterquam a Paullo*] Imo summa pecunia a Pompeio in ærarium inlata altera fere parte Paullinam vincit. Quod jam Lipsio, ex Plutarchi Pompeio, demonstratum. Sequitur itaque alios, qui, pro *a Paulo*, emendarunt *Capitolio*: ac, pro *majorem*, scribit *majore*. Sed sententia neque sic satis clara est, neque veritati consentanea. Quamobrem enim inter ærarium et Capitolium distinxerit Velleius, cum ærarium, quod fuit in ede Saturni, in Capitolio fuisse satis constet? Suspicor itaque, tria illa verba, *præterquam a Paullo*, ab inepto librario textui esse inserta, cum Pauli triumphum magnificentissime ab aliis descriptum legisset. *Vossius.*

T. Ampius] *L. Tampius* scribendum est ex antiquo denario, et veteri item inscriptione, ut in notis ad Cæsarem diximus; et totus hic locus ita legendus: *L. Tampius et T. Labienus Tribuni pleb. legem tulerunt, ut is ludis Circensibus corona aurea, &c.* nam in antiqua editione est, *ut si ludis Circensibus, &c.* ex quo alii fecerunt, *ut S. Ludis, &c.* Ursinus. *T. Ampius*] Meminere hujus etiam Varro apud Nonium, Cæsar de Bello Civili lib. III. Cicero ad Atticum libro VIII. et alibi sæpe, Suetonius in Julio, aliique. Non tamen dubitabat Ursinus reponere *Tampius*. Nam Tampiam familiam notam sibi ex nummis et lapidibus. Nec ulterius ab eo recessit magnus Casaubonus Not. ad Sueton. quam ut se simile numisma vidisse scriberet, ita tamen ambigua scriptura, ut tam T. AMPIVS, quam TAMPIVS, legi posset. Cæterum Hub. Goltzius, in Thesauro rei antiquariæ, ex numismate quodam expressit, L. AMPIVS. Unde, quæ sit nostra de hoc loco sententia, quivis facile colliget. *Vossius.*

Tribuni pl. legem tulerunt] Considera orationis et historiæ ordinem, et rectius *tulerant* videbitur. *Acidalius.*

Corona laurea] Parum periti rerum morumque Romanorum, qui auream coronam hic locarunt. Non fuit ea triumphantibus, sed e lauru. Et hæc ipsa Pompeii laurea, ex Dionis claris verbis, lib. XXXVII. Δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν διὰ πάσας τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις μὲν αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν Ἑλλήνων ἀγῶσιν ἐνδύνειν: *Ipsum autem Laurum ferre* (in capite) *per omnes ludos, et Togam prætextam; Triumphalem autem, per ludos Circenses.* Sunt hæc ipsa decreta, quæ Velleius dicit: et tu corrige. *Lipsius.* *Corona laurea*] Recipienda erat in textum palmaria Lipsii emendatio; quam res ipsa ritusque Rom. et Dionis auctoritas firmat: unde nihil de aurea corona, sed de laurea habemus. Auream tamen Coronam defendit Carol. Paschalius in erudito de coronis opere. Judicent docti. Savaro ad Sidon. Apollinar. carm. XXIII. v. 425. confundit locum Nostri Auctoris cum iis qui de coronis sacrorum certaminum victoribus dari solitis agunt. Nisi forte respexit ad locum Plinii, VII. 26. ubi de Pompeio: 'Postea ad maria et deinde solis ortus missus hos retulit patriæ titulos more sacris certaminibus vincentium.' Sed additur mox ratio: 'Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.' *Boecler.*

Quot partes terrarum orbis sunt] Hinc Cicero pro Cornelio: 'Pompeius tot habet triumphos, quot sunt oræ partesque terrarum.' Idem: 'Pompeii tres triumphi testes sunt, totum orbem terrarum nostro imperio teneri.' Et Dio lib. XXXVII. 'Duxit unum de omnibus bellis triumphum, in quo multa tropæa intulit de singulis rebus gestis; unum aliquod perexiguum, unum autem magnum, sumtu ingenti apparatum, quod DE ORBE TERRARUM inscriptionem habebat.'

Appianus, Plutarchus, et unice Plinius. *Schegkius. Quot partes terrarum orbis sunt*] Planè ad hunc sensum Plutarchus: *μέγιστον δὲ ὑπῆρχε πρὸς δόξαν καὶ μηδενὶ τῶν πάντων Ῥωμαίων γεγονὸς, ὅτι τὸν τρίτον θρίαμβον ἀπὸ τῆς τρίτης ἠπείρου κατήγαγεν· ἐπεὶ τρεῖς γε καὶ πρότερον ἦσαν ἕτεροι τοσοῦτοι θεμένοι· ἐκεῖνος δὲ τὸν μὲν πρῶτον ἐκ Λιβύης, τὸν δὲ δεύτερον ἐξ Εὐρώπης, τοῦτον δὲ τὸν τελευταῖον, ἀπὸ τῆς Ἀσίας εἰσαγαγὼν, τρόπον τινὰ τὴν οἰκουμένην δόκει τοῖς τρισὶν ἐπῆχθαι θριάμβοις. Maxime autem ad gloriam illustre Pompeio, neque cum quoquam Romanorum ad id tempus commune erat, quod tertium triumphum ex tertia orbis parte egit. Nam ter quidem etiam alii ante ipsum, triumphaverant. Ipse autem primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium sive hunc postremum ex Asia duxit, adeoque tribus triumphis totum quodammodo orbem triumphasse visus est.* Boecler.

Memor tamen] Lucullum etiam inter invidos Pompeio fuisse, ait Paterculus; non tamen sine causa, sed quod acceptam injuriam ultum ire vellet. Non percepit loci hujus mentem Acidalius, qui *τὸ tamen* pro *etiamnum*, sive *adhuc*, poni affirmat. *Voss.*

Et cum iis pars optimatum] Accurate, ut solet, exequitur Dio XXXVII. p. 53. *Boeclerus.*

CAP. 41. *Hic nobilissima*] Elogia Cæsaris passim habentur. *Idem.*

Antiquissimos] Vide ne fuerit: *et quod inter omnes constabat, antiquissima.* Nobilissima, inquit, gente natus; certe, omnium consensu antiquissima. Nam potest, ritu Romano, vetustas esse in familia, non tamen imagines multæ, et nobilitas. *Lips.*

Ab Anchise ac Venere] Strab. lib. XIII. 'Cæsar vero, quia et Alexandri amantissimus fuit, et certissima cum Iliensibus cognationis signa habebat, impendio ad beneficium incitabatur, certissima quidem, quia Romanus erat, Romani autem auctorem generis Æneam putant. Julius enim ab Iulo quodam ex progenitoribus, et ille ab Iulo cognomen hoc habuit, qui unus fuerit ex posteris Æneæ.' Virgilius lib. I. Appianus Bellor. Civil. II. Sueton. c. 6. Lucretius in exordio operis: 'Æneadum genitrix.' Quam Deam contra hostes tesseram dedisse, Dio lib. XLIII. reliquit. *Schegkius. Venere*] Notum est in nummis Cæsaris plerumque VENERIS GENETRICIS nomen exprimi. Occasione hac emendetur L. Julius Florus, qui et L. Annæus Seneca, in Pervigilio Veneris, ubi ait: 'Romulæas ipsa facit cum Sabinis nuptias; Unde Ramnes, et Quirites, proque prole posterum Romuli matrem crearet, et nepotem Cæsarem.' Quæ lectio nihili est. Puto scribendum, *perque, prole posterum, Romuli matrem creavit, et nepotem Cæsarem.* Dicit, Venerem, prole posterum, per Romuli matrem creasse nepotem Cæsarem. Lipsii aliorumque conjecturæ aut difficultatem non tollunt, aut multo longius a vulgata lectione recedunt. *Vossius.*

Animo super humanam naturam] Probum est, sed de animo tamen, quia jam nunc præivit, odiose repetitum. Fortasse, *Omnino super.* Lipsius.

Magno illi Alexandro] Cum quo etiam a Plutarcho *παραλλήλως* comparatur, adde Appian. de Bell. Civ. II. *Boeclerus.*

Sed sobrio] Unde Catonis verbum: 'Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Remp. sobrium accessisse.' *Schegkius.*

C. Mario] Istene patricius huic plebeio? hoc saltem in Plutarcho lego, 'Juliam Cæsaris amitam nuptam C. Mario fuisse, ex qua minor Marius natus.' Ergo seniori Mario affinis, juniori cognatus fuit. *Lipsius.*

Nullo modo] Vulgo, *nullo metu*: a nostra Suetonius cap. 1. 'Neque ut repudiaret illam compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit.' *Schegkius. Nullo modo*] Ita ex Suetonio emenda-

runt, cum in Ms. invenissent *metu*. Alii legunt *metu*. [Utrumque servari potest, compelli enim eo non potuit.] Nulla animi commotione, nec spe, nec metu: *οὔτε ἐλπίσι, οὔτε φόβῳ*, ait Plutarchus in Cæsare; ubi idem narrat. Similiter eadem voce usus Papinius Achilleidos I. 'Trux puer, et nullo temeratas pectora motu.' De quo non dubitandum. *Vossius.*

Cum a piratis captus esset] Plut. Cæs. Sueton. Cæs. IV. &c.

Ita se per omne] Vulgo, *semper*. *Ita se per omne*] E. V. promit, *ita se per omne, &c.* nec miror, cur hic *semper*, pro *se per*, inoleverit; cum facile *se per*, vel sola *m* literæ interpositione, depravari potuerit in *semper*. Burrerius.

CAP. 42. *Magistratus*] Intelliges autem Junium, qui pro consule Asiæ præerat. *Vossius.*

Metu suo destituerit] Legitur etiam *destituere*. *Metu suo destituerit*] Mihi rectius videtur, ut *destituere* infinite legatur. *Burrer.* *Metu suo destituerit*] Vulgo *metu*. Legendum, *metu*. Est etiam in prima editione *destituere*; quod retineo: et paulo ante, *qui obtinebant Asiam magistratus*, multitudinis numero, lego. *Lipsius.*

Is enim Asiam tum obtinebat] Vulgo, *cum idem*. Verba implexa. Schegkius vocibus ejectis edidit: *tum idem enim Asiam obtinebat*. Manutius putat fuisse: *Is enim Asiam tum obtinebat*. Scriptura vetus mihi præit: *Tum idem enim Asiam, eamque obtinebat*. Hoc sensu: Tum, et illa ætate, unus idemque proconsul Asiæ et Bithyniæ erat; aliter scilicet quam nostro ævo. Hæc plane pro Velleii sermone et mente videntur: an pro vero? Nam ecce Bithynia illo tempore non Provincia, sed Regnum. Et nonne Cæsar ipse tunc desedit apud Nicomedem ejus regem? Ita est, sed suspicari oporteat partem aliquam regionis avulsam, et adtributam Asiæ fuisse. Romani sæpe sic soliti incidere pennas regum. Sed hæc quia suspicio? Valeat, si visum, sententia alierum. *Lipsius.* *Is enim Asiam tum obtinebat*] In vetustioribus, *Asiam eam quam obtinebat*. Placetne recipere et legere, *Asiam eandem?* ut formam, de qua modo, iteraverit. Eam quidem Asiam interpreter illam oram Asiæ seu partem: quomodo Cicero ad Att. lib. v. epist. 21. 'Iter igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia, (messis enim nulla fuerat,) mihi optanda fuerit.' *Acidalius.*

Venditurumque captivos] Mallem *vindicaturumque*. Illud atrox responsum, hoc pro re: quia revera captivi Proconsulis erant, in ejus provincia et administratione capti. Minatur ergo se vindicaturumque eos et asserturum. *Lips.* *Venditurumque captivos*] Lipsius mallet *vindicaturumque*. Sed cave ei auscultes. Minatus erat Cæsar mortem prædonibus. Junius proconsuli, objecta spe pretii, se eos sub corona venditurum respondit. Quo nil equidem Cæsaris votis poterat adversari magis. Quid clarius verbis Plutarchi in Cæsare eandem hanc rem narrantis? *δεινὸν δὲ καὶ τοῖς χρήμασιν ἐπιφθονοῦντος (ἦν γὰρ οὐκ ὀλίγα) καὶ περὶ αἰχμαλώτων σκέψεσθαι φάσκοντος ἐπὶ σχολῆς, &c. Illo autem pretio occæcato, (neque enim exiguum erat,) et de captivis consideraturum se dicente per otium, &c.* Vossius.

Suffixit cruci] Quod probant omnes præter Fenesteliam, si Diomedi Grammatico fides: qui ex 2. Epitomarum Fenestellæ hæc laudat verba, 'quemadmodum Cæsar a piratis captus sit, utque eos postea ceperit et decollaverit, et interpretatur, securi percusserit.' *Schegkius.*

CAP. 43. *Quippe absens Pontifex factus erat, &c.*] Valde hic sudant, et ut culpæ manifestus vapulat Velleius. Bis, inquiunt, errat: quod et Cottam Flaminem Dialem facit, et Cæsarem

ei dat successorem. Nam Tacitus clare scribit, ‘ duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulæ cædem neminem suffectum.’ Dio pariter l. LIV. sub Augusto ‘ primum post Merulam Flaminem Dialem creatum.’ Quomodo igitur aut Cotta Flamen, aut Cæsar? De Cæsare facile est. Creatum dicit, non dicit inivisse aut gessisse. De Cotta, vocula una trajecta solvet nodum. Scribe: *absens Pontifex factus erat in Cottæ Consularis locum, cum pæne puer a Mario, &c.* Ipsa res est. Pontifex, inquit, factus (non sane Maximus, postea adeptus) in locum demortui Cottæ Pontificis: cum antea Flamen quidem designatus esset, sed Sullæ violentia honor ille ei ademptus. Hæc ita esse cum res clamat, tum juvat nonnihil (unicum et sollenne hic nobis auxilium) Editio prisca: in qua prius illud *cum* nusquam comparet. Ego autem suo loco reposui, aut potius repperi et eduxi, cum latitaret in verbo *locum*. Lipsius. *Quippe absens Pontifex factus erat, &c.*] Editio princeps illud *cum* non agnoscit. Hunc locum egregie emendavit Lipsius: idque in Animadversionibus suis solide ex Tacito ac Dione firmat. Taciti verba hæc sunt ex III. Annal. ‘ II. et LXX. annis post Cornelii Merulæ cædem neminem ’ (sc. flaminem) ‘ suffectum.’ Quæ attuli, ut exiguo mendo liberarem. Puto enim, Tacitum scripsisse, ‘ VI. et LXX. annis.’ Quippe satis constat, Merulam occisum anno U. C. DCLXVI. Flamines autem Diales restituti anno DCCXLIII., Iulo Antonio et Fabio Maximo consulibus: ut liquet ex Dione l. LIV. Ergo patet, VI. et LXX. annos intermedios Flaminibus caruisse. *Vossius.*

Jam] Omnes, quos vidi, *tam infestis*; neque male: *tam* pro *valde*. Schegkius.

Scalmorum] Scalmus est lignum teres, cui nautæ remos loro quodam alligant: sive lignum fenestratum, rapiens remum, ut facilius solidiusque impellatur.

Dolabellæ accusatio] XXI. ætatis anno. Tacitus de Oratoribus. *Schegk.* *Dolabellæ accusatio*] ‘ Post hanc accusationem Dolabellæ, haud dubie principibus Patronis annumeratus est.’ Sueton. LV. Auctor de causis corrupt. eloq. XXXIV. 8. ‘ Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem; uno et vicesimo Cæsar Dolabellam; altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.’ Adde Valer. Max. VIII. 9. 8. Plut. Cæs. *Boecler.*

Contentionesque civiles] De quibus Plutarchus et Dio.

Victus] Sueton. Cæs. XIII. Dio XXXVII. Plutarch. Cæs.

Et restituta] Suetonius Cæs. II. causam exponit *ἀντιπαραίτου*, sc. æmulationem adversus optimates. ‘ Ut auctoritatem,’ inquit, ‘ Optimatium, quibus posset modis invicem diminueret, tropæa C. Marii de Jugurtha deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta, restituit.’ *Boecler.*

Revocati] Quos Sulla exclusserat: vide supra II. 28. *Idem.*

CAP. 44. *Hoc igitur Cos.*] Imo non illo *Consule*, sed Consule designato. Suetonius ita narrat, c. 19. et Livii epitoma: ‘ C. Cæsar Lusitanos subegit, eoque consulatus candidato, et captante rempub. invadere, conspiratio inter tres Principes civitatis facta, Cn. Pompeium, M. Crassum, et C. Cæsarem.’ Idem Appianus, et addit Varronis librum in hanc conspirationem fuisse, cui titulus *Τριumviros*. *Lipsius.*

Inter eum, &c.] Quos Cicero ad Atticum II. Epist. 18. reges indigitat superbos. Vide Appianum, Dionem, Ciceronem Epistolis ad Atticum, alios. *Schegkius.*

Diverso quoque] Lege, cum Acida-

lio, quoique. Vossius.

Hoc consilium sequendi Pompeius, &c.] Fatalis rei Romanæ Oligarchia, cujus *ἐνώσεων* egregia observatione politica hic explanat Noster, qui et alias in talibus, quam sit studiosus *χαρακτῆρος πολιτικοῦ*, ostendit. Est autem, in diversis Triumvirorum consiliis, unum et quasi generale propositum; quo *suam quisque potentiam* spectabat quærebatque. Majore cum fiducia, Pompeius; majore cum calliditate, Cæsar; majore cum vanitate, Crassus. Cæsar, ut ad destinata perveniret, etiam Pompeium et Crassum in amicitiam reduxerat, quod Plutarchus vocat *πρᾶγμα κάλλον μὲν ἄλλοις καὶ πολιτικὸν, αἰτίᾳ δὲ φαύλῃ, καὶ μετὰ δεινότητος, ὑπ' ἐκείνου συντεθὲν ἐπιβούλως: praclarum alias factum et civili prudentia dignum, sed callide pravoque consilio ab ipso structum.* Nempe, ut auxilio utrinsque eo proficeret interim, unde alterum alterius auxilio postea oppugnare ac deprimere posset, relegata interim communis potentiæ invidia in socios, quod Velleius notat. Lege Dionem XXXVII., ubi et ceterorum propositum ostenditur. Florus rotunde IV. 2. 11. 'Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, de invadenda Rep. facile convenit.' Recte *de invadenda rep.* ait. Hæc enim ut spolium et merces ipsa sui petebatur hac conspiratione, a qua propterea Cato libertatis perniciem solebat repetere: atque, cum alii discordiam postea Pompeii et Cæsaris existimarent reip. exitium attulisse, ille consensionem eorum fatalis mali caussam suggerebat. *Beeclerus.*

Affinitas etiam, &c.] 'Affinitate et nuptiis ludere; prout potentiæ parandæ consiliis conducit, inter arcana habent, quicunque dominatum moliuntur.' Ita hic, jam alii (Cæpioni) pacta Cæsaris filia, in Pompeii transfertur matrimonium: rursus Pompeii filia, Fausto Syllæ filio desponsa, in manum Cæpionis jubetur convenire. Quo tenderent ea consilia, notat Cicero ad Atticum scribens II. 17. 'Turbat vi Sampaiceranus' (Pompeium intelligit) 'nihil est quod non timendum sit: *δμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται*: quid enim ista repentina affinitatis conjunctio?' Viderat in talibus affinitatibus jam antea *ἐνώσεων τυραννικὴν* Cato, cum Pompeio filioque ejus neptes ex fratre et sorore denegaret: eo quod animadverteret, suam quoque ad provehenda incivilia cœpta voluntatem quæri. Hanc ipsam quoque vafritiem impavide coarguit, apud Plutarch. in Cæs. p. 714. et Appian. Bell. Civ. II. vociferatus: *διαμαστρωτεύεσθαι γάμοις τὴν ἡγεμονίαν. Idem.*

Cæsar legem tulit] Legis *Juliæ*, sive, ut Cicero, ut Suetonius, *Campanæ*, duo mihi cum doctis viris capita. Unum; quo cautum, ut ager publicus ad subsidia Reip. vectigalis relictus divideretur. Cicero ad Atticum I. II. Epist. 16. Alterum; ut ager a privatis in Campania possessus, redemtus publica pecunia, distribueretur plebei. Publicus hac lege XXM. civium, quibus terni pluresve liberi extra sortem divisus est. Suet. cap. 20. Dio lib. XXXVIII. Appianus. Privatus numquam, Cicero pro Domo. De utroque capite idem, Epistola 17. ejusdem libri: 'Quid ista repentina adfinitatis conjunctio? quid ager Campanus? quid effusio pecuniæ significant?' Dio tamen turbat, immense ipsum, in principio l. XXXVIII. 'Omnem regionem, quæ publica pop. Rom. erat, excepto agro Campano, quem Reip. ob præstantiam exemtum censuit relinquendum, divisit:' et statim: 'Sic tandem ea lex perlata est; prætereaque decretum, ut ager Campanus, his qui ternos pluresve liberos haberent divideretur.' Quid pronunciandum? Dionem legem Agrariam non percepisse, an non

liquere? *Schegkius. Cæsar legem tulit*] Etiam hoc arcanis dominationis conjungit Cicero epistola modo laudata. Rem totam prolixe exposuit Dio princip. XXXVIII. ubi præsertim illa calliditas Cæsaris demonstratur, qui cum revera populi sibi animos adversum Optimates conciliatos hac lege caperet, auctoritatem tamen Optimatum consensumque in speciem requirebat præferebatque, tota molitione ita disposita, ut ne occasionem quidem contradicendi invenirent. *Boecler.*

Plebei] *Plebei*, dativus antiquus.

Et jus ab his restitutum] Placet doctorum virorum emendatio, qui legunt, *et jus civitatis restitutum, &c.* Nam supra l. I. c. 14. de Campanis item Velleius dixit: 'Abhinc annos autem CCCL. Sp. Postumio, Veturio Calvino Cos. Campanis data est civitas, partique Samnitium sine suffragio.' *Ursinus. Et jus ab his restitutum*] Cl. Puteanus inter lumina Galliæ leg. censebat, *Jus civ. his restitutum*, id est, *civitatis.* Certe rem tangit, et liquet hanc esse Velleii mentem. De verbo tamen ambigo: et quid si fuit, *jus his restitutum*, deleta voce quæ imperite irrepserat? Ratio et historia non abtruit. Nam jus apud eos nullum aut jurisdictio: sed petebant Roma. Livius: 'Ceterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec Senatum, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros.' Tamen a Puteano nondum abeo, et viri et rei causa. *Lips. Et jus ab his restitutum*] A Cæsare et Pompeio. Non video, cur vulgata lectio mutari debeat. *Vossius.*

Bibulus collega Cæsaris] Dio lib. XXXVIII. Sueton. Cæs. XX. Insignis error optimarum hoc loco notandus est. Cum enim suspectam merito haberent Cæsaris potentiam et δεύτερον τυραννικὸν, velut adversarium ei dederant hunc Bibulum. Auctor Appianus: ἡ βουλὴ Λεύκιον Βίβουλον ἐς ἀντίστασιν τοῦ Καίσαρος ἐχειροτόνησαν αὐτῷ συνάρχειν: *Senatus Lucium Bibulum collegam Cæsari pariter et adversarium dedit:* lib. II. Bell. Civ. Adde Suet. Cæs. 19. Non recte. Videndum enim est, *quis cui opponatur*, in refringendis novis consiliis. Non erat is Bibulus, qui cum Cæsare componi posset in rep. gerenda. Non erat, inquam, idoneus vel calliditate vel auctoritate. Itaque statim in ipso ἀντιπραγίας initio turpiter se dedit: cum ad speciosa Cæsaris verba potius, quam insidiosa facta animum attenderet, simulatæque concordiæ imagine tantisper sibi imponi pateretur, donec Cæsar discordiæ adversus Bibulum valituræ firmum quasi gradum occuparet. *Boecler.*

Domi se tenuit] Per edicta obnuntiando dies festos esse, hinque nefas quidquam agere. Sueton. Dio. Ludos hic facit vir doctus in Calpurnii et Bibuli nomine, sine plausu. *Schegk.*

Decreta Galliæ] Socero sc. (Pisone) generoque (Pompeio) suffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cujus emolumenta atque opportunitates idonea essent materia triumphorum. Sueton. Cæs. XXII. *Boecler.*

CAP. 45. *Qui neque*] Cur non audiamus potius Velleium, quam correctores? Sane V. C. habet, *quique dicendi, neque faciendi.* Nec debuit mutari. *Vossius.*

Actus incesti reus] Prolixe habes historiam apud Plut. in Cæs. Dion. XXXVII. Sueton. Cæs. VI. *Boecler.*

Inter religiosissima P. R. sacra] Bonæ Deæ, Græcis *Gynæcia;* cujus sollemni sacrificio, sive, ut Festus nominat, *Damio*, Consulis, prætoris, aut Pontificis ædes vacabant, meliori procul remoto sexu. 'Locus Sacra-

rium' Floro. Cicero Paradox. 'Opertum Bonæ Deæ' vocat, et 'sacra Opertanea' Plinio, quæ in operto, id est, occulto sive secreto fiunt. *Schegkius.*

A patribus ad plebem] Traduxit Cæsar eo diem die horaque nona, lege lata de adoptione ejus. *Schegkius. A patribus ad plebem*] Cæsare in invidiam Ciceronis eum transducente. Suet. Cæs. XX. nimirum ut tribunatum, qui patriciis non patebat, impetrare posset. Tales autem tribuni, qualis Clodius describitur, rebus novandis idonei, ideoque molitoribus dominationis grati sunt. *Boecler.*

Transiret] Imo, *transisset.* Ita bene a Gryphio aliisque editum. *Vossius.*

Qui civem R. indemnatum] Vulgo male, *damnatum. Qui civem R. indemnatum*] M. Ciceronem præcipue lex Clodia notabat, qui conjuratos indicta caussa necaverat, quod cum omnes historiæ, tum ipse Cicero in epistolis et orationibus commemorat. *Manut. Qui civem R. indemnatum*] Plut. in Cicer. et præsertim Dio XXXVIII. ubi et 'iniquitas hujus legis' declaratur, et quo consilio, quibus Potentum fraudibus oppressus sit Cicero, egregie ostenditur. Appian. Bell. Civ. II. *Boecler.*

Calamitate] Gryphio, Marneffio, aliisque editum *calamitatem.* Et ita reponendum. *Vossius.*

Suspicione] Nec suspicio erat, sed manifesta fides. Vide Dionem. *Boecler.*

Quod inter XX. *viros*] A Cicerone epist. 2. l. IX. ad Att. 'XX. viri,' ut hic, nominantur. Item epist. 6. l. II. ad eundem: cum quo consentit Dio l. XXXIIX. Contra, de V. viris, de provinciis cons. et epist. 7. l. II. ad Att. Et in oratione in Pisonem, cum dixit, 'Eorum honorum, quos cum proximis communicavit, me socium esse voluit:' videtur significare *quinque* potius, quam *viginti viros.* Quid enim honoris Pompeius et Piso consulares, ac Cicero ipse consecutus esset, accepto inter viginti viros loco? Hæc igitur, manifeste inter se pugnantia, difficultatis asserunt plurimum in dijudicanda veritate. Quamobrem relinquo, quod ii, qui judicio, ingenioque præstant, accuratius considerent: quibus aliquid afferentibus, quo videamur in alterutram partem impelli, libenter assentiemur. *Manut. Quod inter* XX. *viros*] Cæsar enim, ut occultaret nova consilia, optimum et clarissimum quemque dividendis agris adhibere cupiebat, quasi nimirum non sua, sed ipsorum auctoritate illa res gereretur: quod animadvertens Cicero, decus atque dignitatem suam noluerat alienæ dominationi gratificari. *Boecler.*

Intra biennium] Satis laxe scriptum. Omnino intra biennium: atque adeo abfuit tantum Cicero menses ipsos quatuordecim. Pulsus enim anno DCXCV. circiter Kal. Aprilis, rediit anno insequenti, Mense Sextili. Plutarchus tamen menses XVI. computavit, parum exacte. *Lipsius.*

Sera Cn. Pompeii cura] Tu observa infidam hic quoque Potentum amicitiam: modo abjiciunt, si utile suis rebus existimant: modo attollunt, si ex erecti restitutione aliquem suæ potentiæ usum commenti sunt. Ut beneficio obligare possint adversarium, injuria eo redigunt, ut beneficii capax sit. *Boecler.*

Verum ut cæpit interrita] Vulgo, *verum et cupit interita.* Forte juxta Rhenanum, *cupito interitu.* Ursinus ita legit, sicuti in textu posuimus. Idem censent Lipsius et Schegkius.

Asvii Milonis] Extat pro eo in cæde Clodii Ciceronis disertissima oratio.

Numidici exilium] Fuit enim vere gloriosum Ciceroni hoc exilium, sicut et Philiscus in egregio illo cum Ci-

cerone colloquio judicaverat apud Dion. XXXVIII. *Boecler.*

In senatu] Cujacius censet voces *in senatu* delendas, quippe repetitas e superioribus lineis. Lips. etiam *honorificentissimi.*

Sub honorificentissimo ministerii titulo] Vide Plutarch. Cat. Min. Ita scilicet lupi apud oves, in fabula, de removendis canibus agunt. Ceterum quam alias late pateat istud arcanum, quo 'specie honoris homines seponuntur,' eximia dissertatione pertractat Gruterus discurs. ad illud Taciti Ann. II. 42. 2. 'Tiberius amoliri juvenem' (Germanicum) 'specie honoris statuit.' Lips. polit. IV. 14. 70. In Nostro exemplo non fefellit sane Catonis prudentiam Clodius, qui ultro clamavit, ὡς ἐνέδρα τὸ πρᾶγμα καὶ προπηλακισμός, οὐ χάρις ἐστίν: *insidiarum et contumeliæ causa sibi id ministerium a Clodio imponi.* Sed quomodo poterat voluntati populi, quem perforata nare trahebat Clodius, resistere? *Boecler.*

A Rep. relegavit] Recte *relegavit.* 'Non enim,' inquit Cicero pro Sextio, 'illi ornandum M. Catonem, sed relegandum, non illi committendum illud negocium, sed imponendum putaverunt.' Causam expressit pro Domo. Provinc. Consul. Plutarchus, Dio. *Schegkius.*

Ut is quæstor] Atqui diu ante Cato Quæstor, quod notum est. Medetur Aldus, et legit *Quæsitor.* Ego felicius, *Quæstorius.* Lips. *Ut is quæstor*] Bene *Quæstor.* Ita 'Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est.' Sallustius. At extra ordinem. Suetonius. Cæsar: 'Cn. Pisoni ob suspicionem conjurationis urbanæ Hispania provincia a senatu extra ordinem data est.' Retineamus igitur vulgatum. *Schegkius.*

Omnibus morum vitiis] Mirum Schema Velleii: quasi morum vitia Ptolemæum regno exuere, et Romanis spoliandum tradere debuerint. Aliter et verius Ammianus Marcellinus XIV. 27. de Cypro loquens: 'nec piget dicere, avide magis hanc insulam populum R. invasisse, quam juste. Ptolemæo enim, rege federato nobis et socio, ob ærarii nostri angustias jusso sine ulla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, et tributaria facta est, et velut hostiles ejus exuviæ classi impositæ in urbem advectæ sunt per Catonem.' Florus quoque non obscure indignitatem rei innuit, cum III. 9. 8. inquit: 'Divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus, et donare regna consuetus, P. Clodio Tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit.' Videnda, quæ ad Marcellinum Henr. Valesius; ad Florum, Freinshemius, duo clarissimi Viri, notavere. Alii alios colores quæsivere, ac in Clodium omnem ejus rei culpam rejecere. Verum hi colores sunt, quibus appingendis valde sollertes sunt magistri et ministri dominationis: 'ut iniquitas, avaritia, ambitio sub virtutum et juris nominibus lateant.' *Boecler.*

Cujus integritatem] Hoc in Catonem conferri, credibile non est, cujus per omnem vitam laudata a bonis omnibus integritas. Addendum igitur puto, *non*: ut sit *non laudari, nefas est.* Manut. *Cujus integritatem*] Aldum hic culpat Rob. Titius, qui immissa negatione legit (profecto male) *non laudari.* Sed Titius ipse an extra culpam? Lectionem retinet, in sensu parum videt. Nam sic explicat: adeo præstabilem esse Catonis integritatem, ut quasi polluatur, si laudibus eum quis prosequi velit. Et dat auctorem ejus interpretamenti Aristotelem, qui primo ad Nicomachum ait: ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος: *quod optimarum rerum non sit laudatio. Itaque et Deos felices beatosque prædicamus, et virorum eos qui Diis proximi: non autem laudamus.* Sed nos, Titi, jam libere a te discedimus, quam tu

in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam urbem adversus eruptiones hostium pugnatum;' forte et ibi abjicienda utraque præpositio. *Gruter.* *Sæpe in agminibus*] Ex definitione agminis intelliges quam adposite hic Noster locutus sit. Adi Isidor. lib. XIX. cap. 3. *Schegk.*

Circa Alesiam] Sic malui cum veteribus libris et doctis viris, quam *Alesiam*. Condita autem ab Hercule, totius Galliæ Metropolis, libera ac sui juris usque ad C. Cæsaris ævum. Diodorus lib. v. Situm ejus Cæsar Bell. Gall. lib. VII. et Strabo habent descriptum. *Idem.* *Circa Alesiam*] Repone *Alesiam*, ex Ms. Ita semper Græci, plerumque etiam Latini. Non ignoro tamen, *X* et *S* crebro commutari. Florus lib. III. cap. 10., scribit, totam belli molem circa Gergoviam fuisse; non Alesiam, ut Velleius aliique. Cujus errorem jam olim etiam deprehendit Anonymus seu Cæsaris, seu Julii Celsi exscriptor. Et sane nil manifestius. Nec facile invenias, juxta Romam olim a Senonibus captam, quæ Gallis Romanos infestiores reddiderint, quam pericula apud Alesiam adita. Insignis de hoc est Taciti locus, lib. XI. Annalium; sed etiam, summi viri Justi Lipsii sententia, tam prodigiose corruptus, ut ne Attius Navius quidem, pater augurum, ei sine libris mederi queat. Verba Taciti hæc sunt, ex oratione contra proceres Galliæ Comatæ; qui nuper jus civitatis consecuti, etiam jus adipiscendorum in urbe honorum petebant: 'Oppleturos omnia divites illos; quorum avi proavique hostilium nationum duces, exercitus nostros ferro vique eciderint; divum Julium apud Alesiam obsederint. Recentia hæc: quid si memoria eorum inoreretur, qui Capitolio, et ara Romana, manibus eorundem prostratis. Fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.' Ego tamen mihi bene persuasisse visus sum. Scribo: *Quid si memoria eorum inoreretur, qui Capitolio, et ara Romana, manibus eorundem prostratis, fruerentur? Sane vocabulum civitatis; insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.* Per aram Romanam, Maximam intelligit Tacitus; quam, ut et Capitolium, non fuisse prostratam, ex Plinio, Solino, aliisque, satis constat. Sed nolo pluribus conjecturam nostram firmare. Jam enim satis orbitam excessisse videor. Merebatur interim hoc Taciti locus. *Vossius.* *Circa Alesiam*] Florus Alexiam vocat, III. 10. 23. Vide ipsum Cæs. Bell. Gall. VII. Plutarch. in Cæs. Διὰ πολλὰ μὲν οὖν εἱστήκει ὁ πρὸς Ἀλησίᾳ κίνδυνος ἔοικε δέξαι, δι' ἔργα τόλμης καὶ δεινότητος, οἷα τῶν ἄλλων ἀγώνων οὐδεὶς παρασχόμενος: *Multas ob causas gloriam Cæsaris auxit hoc ad Alesiam certamen: quippe ubi ea virtutis consiliique documenta, quatia non in alio facile certamine, edidit.* Boeclerus.

Septimo ferme anno] *Septimum fere annum*, ego. *Lipsius.*

Cum medium jam] Apposite tunc demum Juliam pignus concordiæ cohærentis dixit; nam antea sane non erat opus tali obside. *Gruter.*

Ex invidia potentiæ] Vulgo *Pompeii.* Displicet suspectumque est in primore loco nomen *Pompeii.* Si rectum, quid ita statim *Pompeium* repetit? cur non potius scribit, *inter eum et C. Cæsarem?* Series et mos stili sic postulabat. Cur etiam solum Pompeium caussam facit infidæ hujus concordiæ? peccavit enim non minus Cæsar. Denique primogenia lectio nulla habet Pompeii nomen. Illa sic: *ex invidia Ponti ac Camilie.* Profecto legendum: *ex invidia potentiæ male.* Nam fuit compendio scriptum, *põtiæ.* Bona præ vulgata veraxque hæc sententia. Obiit, ait, Julia, unicum pignus sive vinclum concordiæ male jam hærentis, quia alter alterius potentiæ invidebant: hic illius crescen-

ab ille hujus adulta. Lucanus ad Julium: 'Morte tua discussa fides, bellumque movere Parnissam docebas: Stimulos dedit æmula virtus.' Æmulationem mutuam expressit, uti et hic Velleius. *Lipsius. Ex invidia potentiæ*] Rhen. et Barr. cum monstro suo iectionis Morbonium ablegavimus. Lucanus, lib. de Julia; 'nam pignore juncti Sanguinis, et diro ferales omine tedas Abstulit ad manes Parcarum Julia sæva Intercepta manu: quod si tibi fata dedissent Majores in luce moras, tu sola furentem Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem; Armatasque manus excusso jungere ferro, Ut generos soceris medias junxere Sabinæ. Morte tua discussa fides,' &c. *Schegk. Ex invidia potentiæ*] Florus lib. IV. cap. 2. 'Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, et morte Juliæ, Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit.' Simillima Lucanus libro I. *Acidal. Ex invidia potentiæ*] Graterus legebat, *ex invidia potentiæ æmulæ, coherentis.* Quod non placet. Neque enim dicit Velleius, Juliam ex invidia potentiæ æmulæ discessisse; sed ob invidiam male cohæsisse concordiam inter Pompeium et Cæsarem. Verior ergo conjectura Lipsii: *ex invidia potentiæ, male coherentis, &c.* Vossius.

Filius quoque parvus Pompeii] Laudat hunc locum Belgii nostri Lumen Electorum lib. II. cap. 17. ubi defendit Suetonium, damnatque Dionem Cassium, quorum hic adseruerat, neptem natam e Julia C. Cæsaris; ille vero nepotem. Et verum est, stat a Tranquillo præter Velleium nostrum etiam Lucani versus, volentibus Mss. pluribus Bibliothecæ Palatinæ: deque tribus Tranquilli codicibus, unus tantum præfert *neptem.* Sed tamen tantum abest, ut ego Dionem deferendum putem tanquam rerum; ut contra adseram, hallucinari non solum auctorem quem sequeretur Plutarchum, sed etiam Senecam. Is enim diserte consolatione ad Helviam cap. 24. 'Vixit Sextus Pompeius, primum sorori superstes, cujus morte optime cohærentis Romanæ pacis vincula resoluta sunt,' &c. Ad eum locum summus ille vir fatetur, nihil se videre, nihil extricare: quæ enim hæc 'soror Sexti Pompeii,' quam neptis Julii? quam filia Cn. Pompeii? Hæc produxi, ut constet summos quoque viros homines esse, id est, errare et labi; neque statim acerbiter in insultandum, si quid forte committant, quo se probent humanos. *Gruter.*

Tum in gladios cædesque civium] Tribunorum præsertim plebis ferocia tumultus excitabat, comitia turbabat, pro consulibus tribunos militum postulabat (quæ nimirum plures reapte capessererent), populo suis malis applaudente et in perniciem suam sæviente. Οὔτε γὰρ ἐμετρίαζον, οὔθ' ἡσυχίαν εἶχόν ποτε ἀνίεσαν ἀλλήλους παράφορον, πολλὰ μὲν ἀναπείθοντες, πολλῷ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι: *Neque enim moderati unquam quidquam agebant, sed tumultuabantur invicem turbabantque tum largitionibus multis, tum pleraque cerbanimibus gerentes ac civilibus,* inquit Dio XL. p. 159. apud quem plura antecedentium et consequentium vide, ut æstimes, quantum brevitate mirifica, significanter tamen, expresserit Velleius. Similia habet Plut. in Cæs. p. 723. *Buecler.*

Tertius consul. &c. adsers.] De Catone præsertim et Bibulo Plutarchus in Pomp. De totius senatus consilio Dio XL. fuisse inter artes Aristocraticas, ut Pompeio soli debitus Consulatus et dictaturam impediret, quam tribuni pl. Pompeio magnis jam clamoribus destinabant, et Pompeium a plebe avocaret, atque ad optimatium partes traduceret; denique ne dubiose in servitio essent Romani, ut

cum Pompeio Cæsar, quod timebant, consul factus esset. Sed quid est τὰ *ναυάγια πολιτεύεσθαι*, si hoc non est? Nulli jam prudentiæ, nulli arti sua vis. Mutabantur miseriæ, non tollebantur. Et jam *ὠδῖνες* reip. regnum parturientis occœperant. *Idem.*

In coërcitionem ambitus] Vide Dion. XL. Appian. Bell. Civ. II. Plut. Pomp. Sigon. de Judic. II. 29. *Idem.*

Exercuit] Potius, *exeruit*. Lips.

P. Clodius, &c.] Quod tantum tumultum in urbe excivit, ut SC. factum sit, ' Dent operam interrex, Tribuni plebis, Cn. Pompeius procos. ne quid detrimenti Resp. capiat.' Pædian. in Milon. Epitome Livii CVII. *Schegk.*

Exemplo inutili] In V. C. fuerat, *exemplo inutiliter facto, &c.* Forte in codice Ms. quædam literæ ob vetustatem fuerant extritæ; legendumque, *exemplo inutili, interim facto salutari Reip. &c.* Vossius.

Bovillas] Urbs hæc in via Appia ad undecimum ab urbe lapidem, teste Cicerone et Cornuto in Persium.

M. Cato absolvit sententia] Dubitat doctiss. Ciceronis interpres, Asconius Pedianus, commentationibus in Milonianam. Cujus corrupta verba partim Velleii, partim ipsius Asconii causa, adscribemus: ' Fuerunt' (inquit) ' qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum. Nam et bene cum Rep. actum esse morte P. Clodii non dissimularat, et studebat in petitione consulatus Miloni, et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero præsentem, et testatus erat, eum audisse a M. Favonio, ante diem tertium, quam cædes facta erat, Clodium dixisse, periturum eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vetiar e p utile visum est.' Barthius quidem Advers. lib. XVI. cap. 4. rescribit: *Sed Milonis quoque notæ audaciæ obviam iri reipublicæ utile visum est.* Verum enimvero quam expedita foret ratio veteres emendandi, si ita in eorum scriptis grassari liceret? Equidem unica tantum litera addita, scribendum puto: *Sed Milonis quoque notam audaciam verti a rep. utile visum est. Verti*, pro *averti*: quomodo Valerius Flaccus lib. II. ait: ' Priami sed quis jam vertere regnis Fata queat.' *Vossius.*

CAP. 48. *Assentabatur*] Lips. *assentiebatur*. Assentari tamen aliquando sumitur pro assentiri, ut Gruterus docet, in suspic. libr.

Iis qui ab ipso] Rhenani editio, *iis qui ab ipso quoque*. Non debuit mutari. *Boecler.*

Ante biennium] Ex fide historiæ Lipsius mallet *annum*.

Perfectis muneribus theatri] Velleius infra: ' quam magnifico animi temperamento Cn. Pompeii munera absumpta igni restituit.' Nil itaque mutandum. Notandam tamen significationem rariorem *muneris*, censet Gruterus. Et sane non esse vocabulum e vulgo, satis indicat Frontinus, libello de Aquæductibus Urbis Romæ, his verbis: ' quantum publicis operibus, quantum muneribus (ita enim cultiores appellant), quantum lacubus, &c. beneficio principis detur.' Sic recte edidit Onuphrius. Et ita etiam, ante visum Onuphrii codicem, legendum conjeceram, usus sola editione Florentina Juntæ; in qua perperam, *appellantur*. Vossius.

Vota pro salute ejus] Juven. Satyr. X. ' Provida Pompeio dederat Campania febres Optandas; sed multæ urbes, et publica vota Vicerunt. Igitur fortuna ipsius et urbis Servatum victo caput abstulit.' Primi Neapolitani auctore Praxagora. Plutarchus. Quod sane, inquit Dio libr. XLI. ' magnum fuisse et splendidum munus, nemo omnium negaverit, nimirum nulli umquam alii, præter eos, qui post ea tempora summam in omnia potestatem obtinuere, decretum.' Lubido paucula quædam observate

mihi collecta post alios adferre de Votis: quæ aut pro Imperatore, aut pro populo. Panegyricus: 'Nuncupare vota pro æternitate imperii, et pro salute civium, immo et pro salute principum, et propter illos pro æternitate imperii solebamus.' Illa concepta III. Nonas Januar. non ipsis Kalendis, placitum et erudite probatum ad Tacitum Lipsio, Annal. lib. XVI. Cui commodo manum, et assero porro verbis Caii JC. in l. si calvitur, CCXXXIII. de verbor. sign. 'Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.' Immo dies hicce sollemnis, qua concipiebantur, absolute κατ' ἐξοχὴν dictus, *Vota*. Vopiscus, Tacito: 'Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ principum bonorum, ita ut iisdem natalibus suis, et Parilibus, et Kalendis Januar. et Votis, libamina ponerentur.' Hæc quæ pro populo, ipsis Kalendis. Tacit. Annal. lib. IV. 'Sed Cæsar sollemnia incipientis anni Kalend. Januarias epistola precatus.' Et statim: 'Quem enim diem vacuum pœna, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincula et laqueus inducantur?' Spartianus in Ælio Vero: 'Orationem pulcerrimam parasset, qua Kalendis Januariis Hadriano patri gratias ageret, accepta petitione, qua se existimaret juvari, Kalendis ipsis periit, jussusque ab Hadriano, quia vota interveniebant, non lugeri.' Duravit inde a tempore Reipub. liberæ, et consulum, qui vota pro salute populi ipsis Kalendis in Jovis Opt. Max. templo nuncuparunt. Ostensum a doctis ex Ovidio, frequentatum in Livio. Immo illis ipsis sibi mutuo populus hinc inde vota signabant, strenas mittebant. Ovidius I. Fastorum: 'At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis? Et damus alternas accipimusque preces?' Et Tibullus de Messalla, lib. quarto: 'Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem Indueras, oriente die duce fertilis anni:' subdit, 'Quin largita tuis sunt multa silentia votis.' Ad strenas referri non inscite potest locus Paulli JC. in l. XII. D. de administr. tut. ait: 'Sollemnia munera parentibus cognatisque mittet.' Mittebant et Imperatori. Testis præter Suetonium, Dio lib. LVII. 'Fuit et alia caussa, cur iis Kalendis extra urbem esset, nempe ne hominibus anni auspicio et festo die occupatis negotium præberet, neve strenas ab iis acciperet, quod Augustum fecisse improbabat.' Quod tamen deinde tamquam debitum sibi poscebant principes, apud Justinian. C. de oblatione votor. 'Impp. Arcadius et Honorius A. A. Basilio P. V. Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri, et solidis obryziacis' (de his Cujac. ad tit. de vet. num. pot.) 'principibus offerendi devotionem animo libenti suscipimus: statuentes, ut deinceps sequentibus annis uniuscujusque sedulitas principibus suis talia ingerant semper, et deferant.' Hæc de sollemnibus votis. Moris præterea in adversa valetudine principis suscipere, clarum ex Xiphilino, Suetonio, Tacito, aliis, et adscribere Epistolis ad principem, 'se vota ipsi facere.' Dio libro LVII. 'Denique tanta utebatur clementia, ut cum aliquando Rhodiorum magistratus data ad eum epistola non subscripsisset illud consuetum, Quod vota ipsi facerent, celeriter eos excitos, quasi male multaturus, cum id quod deerat, adjecissent, indemnes dimiserit.' *Schegk.* *Vota pro salute ejus*] Dio XLI. pr. Plut. Pomp. Juvenal. 10.

Defuisset fortunæ] Tali sententia Plutarchus in Pompeio optat: 'Utinam tum obiisset' (post tertium triumphum) 'cum adhuc Alexandri fortunam haberet: nam quæ secuta sunt non minimam felicitati ejus imposuere labem.' *Boecler.*

Non alius majorem] Nam perturba-

tis reip. temporibus tales homines, qualis hic describitur Curio, idonea sunt instrumenta dominationis consilia agitantibus. *Idem.*

C. Curio] Hic est ille C. Curio, Tribunorum, ut Appianus tradit, eloquentissimus, et apud populum gratiosissimus, de quo Cælius Epist. ad Cicer. ' Quod tibi supra scripsi Curionem frigere, jam calet, nam ferventissime concerpitur: bellissime enim quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Cæsare loqui cœpit.' Huc referendum non absurde putant locum istum de Curione ex Varr. lib. IV. de vita Pop. Rom. apud Non. *Obstringillare.* Schegk.

Cujus animo] Haud dubie corruptissimus est hic locus, cui medelam hactenus nemo excogitavit. Lipsius tentavit *cujus animi voluntatibus*; et postea, pro *cupiditates, civitates* substituit. Gruterus illa verba, *voluptatibus vel libidinibus*, a mala manu esse, itaque deleri oportere existimavit. Acidalius, pro *animo*, legit *omnino*. Quidquid horum consideras, vel stilus vacillabit vel sensus. *Boecler.*

Voluptatibus] Varie varii huic loco medentur. Mihi semper illa, *voluptatibus vel libidinibus*, visa sunt interpretis additamentum, super vocem *animo*. Gruter. Forsan tale quid subintelligendum, *inquinato*, vel, ut Sallustius loquitur, *cooperto*.

Mox simulatione] Cujus simulationis consilia exposuit diligenter Dio XL. non procul a fine. *Boecler.*

Accepto centies H. S.] Exiguum corrupti Curionis pretium, immani ære alieno oppressi: nam centies H. S. scutatorum modo sunt trecenta millia. *Trecenties* igitur pro *centies* omnino legendum existimo, adductus in hanc opinionem Appiani testimonio, qui lib. I. de Bell. civ. Paullum Æmilium consulem emptum a Cæsare ait talentis D. Curionem aliquanto etiam majore mercede, utpote qui Cæsaris causam utilior, quam Paullus, esse posset; quod res ipsa declaravit: Nam Paullus, Marcello collega Cæsarem oppugnante, non restitit, sed tantum tacuit; at Curio tribunus pleb. ne fieret S. C. de Galliarum successione intercessit. *Manut. Accepto centies H. S.*] Jure in summa ambigit Aldus, et sperait ut minutum. Mallet *trecenties*. Ego alterum addo, scribo et *sexcenties*. Caussam habeo: quod Dio Cassius auctor lib. XL. ' omni ære alieno, quo ingenti erat obstrictus, Curionem a Cæsare liberatum.' Atqui ' forum nostrum,' ait Valerius IX. 1. ' Curionis filii sexcenties sestertium æris alieni asparit.' Caussam etiam alteram, quod Plutarchus et Appianus consentiunt, ' Paullum consulem emptum a Cæsare mille quingentis talentis: Curionem autem majore etiam summa.' Si ita est, cum tot ista talenta paullo minus quadringenties *H. S.* efficiant, quidni Valerium audiamus in majore summa? *Lipsius. Accepto centies H. S.*] Vim mutaverim. Ponamus viri docti correctionem, tamen nihilominus nimium quantum ab Appiani (agit de M. D. talentis) exorbitat summa. *Schegk.*

Discussit ac rupit] Quo sensu etiam Lucanus lib. I. tribunos ' faces belli' vocat, *Curionique* præsertim *audaciorem*, qua Cæsar ad audendum bellandumque instigatur, tribuit. Ita quidem ex parte Cæsaris: sed ex Pompeii parte Lentulus aliique similem censuram merentur, qui non pauci sunt ipsum pacis consiliis animum adjicere. *Boecler.*

Unice cavente Cicerone] Commendat etiam virum optimum hoc nomine Plutarch. in Cæs. Κικέρων δ' ἤρτητο περὶ τοῦ Κιλικίας καὶ διαλογὰς πράττων, ἐφιλαττε τὸν Πομπήϊον· ὁ δὲ τἄλλα συγχωρῶν τοῖς στρατιώταις ἔφησε. Καὶ Κικέρων μὲν ἔπειθε τοὺς Καίσαρος φίλους συνεδόντας ἐπὶ ταῖς ἐμπείροις ἀναρχίαις, καὶ στρατιώταις μάσεις ἑξακισχιλίας ποιεῖσθαι τὸν διαλόγους; Ποσω-

eum modo e Cilicia Cicero Orator de reconciliatione agebat, Pompeiumque mitigabat, ut in aliis concederet, legiones tantum Cæsari adimeret. Itaque rursum Cicero persuasit amicis Cæsaris, ut contenti, quas prædiximus, provinciis militumque sex millibus, concordiam pacemque admitterent. Meminit et in vita Ciceronis. *Idem.*

Cum justis aliorum voluminibus] Malum profecto aliorum stomachum fuisse oportet, qui veterem veramque lectionem non potuerunt concoquere. Ea est, *cum justius aliorum voluminibus prematur*, &c. Vossius.

Cap. 49. *Quieta*] Clarius inserta dictione quæ delituit: *quietu ea, aut.* uti ad rempub. referas. *Lipsius.* *Quieta*] Lipsius interponit, *quieta ea aut c. n. p.* ut ad remp. referatur. Ita enim omnino necesse est, nam quæ alias illa multitudo epithetorum, si de morte capias? *Fatali morte*, bene se habet, nec erat mutandum. Cæterum pertinet huc locus Ciceronis de Hortensio, in Bruto c. 96. 'Sic Q. Hortensii vox extincta fato suo est, nostra, publico.' Et mox: 'Sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit cum fierent, quæ providit futura: sæpe enim inter nos impendentes casus deflevimus, cum belli civilis caussas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus; sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quæ consecutæ sunt, morte vindicasse.' Tali ferme figura Tacitus Agricolæ suo 'opportunitatem mortis,' quam vocat, gratulatur, et 'festinatæ mortis grande solatium tulisse,' ait, 'evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu, rempubl. exhausit.' Agr. XLIV. 6. et XLV. 5. *Boecler.*

Fatali] Male, *fatali morte functos* dicit Q. Catulum, duos Lucullos, Metellum et Hortensium. Imo rescribendum, *fatale ante initium bellorum civilium morte.* Vult enim ablatos suo bono ante illud initium bellorum civilium; quod vult fuisse fatale, neque ulla ratione declinandum. Sic paullo post: 'Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit.' Et c. 60. 'Sed adserebant salutaria Reipub. terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis;' et aliis locis mille. *Gruter.* *Fatali*] Non video, cur Gruterus hanc lectionem falsam dicat, rescribatque, *fatale ante initium*, &c. Movit forsan, quod Cornelius Nepos Lucullo venenum a Callisthene liberto præbitum scripserat. Nam ita Lucullus fatali morte functus dici non possit, et Velleius sibi ipsi adversetur: qui infra, ubi de Africano minore loquitur, per *fatalem mortem* intelligit τὸν θάνατον, ut id Glossæ Latino-Græcæ interpretantur. Quam mortem 'naturalem' vulgo nuncupant. Sed nihil eo mutaverim. Sequitur Velleius communem opinionem, quæ erat, Lucullum spontanea et fatali morte periisse; ut in vita ejus indicat Plutarchus. *Vossius.*

Et anno] Illud *anno* insertum est, et poterat abesse. *Boeclerus.* *Anno* LXXIIX.] Scribo, *et ante septuagesimo octo.* Lips.

Quam tu] *Quam* Velleio, et hic et alibi, valet *antequam.* Quod certissimum. *Vossius.*

Alterius ducis caussa melior videbatur] Egregia dissertatio de partibus belli civilis. De qua sigillatim aliquid dicemus. Videbatur sane Pompeji caussa melior, quia a Coss. mandata ipsi erat defensio reip. contra Cæsarem hostem judicatum: sed videbatur tantum, non erat. Satis notum est, et scriptoribus diligenter memoratum, quod uterque pro sua dominatione, neuter pro rep. bellaverit. 'Solus Cato fecerat aliquas et reip. partes,' sicut Seneca loquitur Ep. 104. Quanquam hæc ipsa species et splen-

dida nomina Pompeianorum non parum deformata sunt illa intemperantia, qua tractationem Cæsaris de pace repulerunt, *τὴν εὐπρεπεστάτην Καίσαρι τῶν προφάσεων αὐτοὶ μηχανισάμενοι*: *speciosissimum colorem ac prætextum Cæsari hoc pacto ipsi concinnantes.* Plutarch. Cæs. Scriptores hujus belli vide Camerti notatos ad Flor. IV. 2. quibus omnino Dionem adde. *Boecler.*

Hic omnia speciosa, illic valentia] Ita est: Pompeius ipse multa gestorum gloria, multis regum amicitiis, populorum auxiliis subnixus, et jam reip. ac libertatis propugnator habebatur: sed revera majus in Cæsareanis partibus robur, sive ducem spectares, sive milites, sive instrumenta belli solida. Cæsar ipse in Orat. ad milit. ridet inania Pompeii nomina et speciem, apud Lucan. I. 'Veniat longa dux pace solutus Milite cum subito, partesque in bella togatæ, Marcellusque loquax, et nomina vana Catones,' &c. *Idem.*

Pompeium senatus auctoritas] Scriptores passim testantur. Vide orationem Lentuli ap. Lucan. principio lib. V. ubi inter alia: 'non unquam perdidit ordo Mutato sua jura solo: mærentia tecta Cæsar habet, vacuasque domos, legesque silentes, Clausaque justitio tristi fora: curia solos Illa videt Patres plena quos urbe fugavit. Ordine de tanto quisquis non exulat, hic est.' *Idem.*

Causæ non Pompeio] Ego vero hæc non capio. Quid est 'caussæ deferre summam imperii?' Illa igitur imperavit? Exercitus duxit, instruxit? Nugæ. Nos arbitramur fuisse: *caussæ nominis, Pompeio.* Illud sane constat, regimen et imperium in hoc bello delatum ad Pompeium, idque (ut Velleius per me nunc dicit) caussa famæ et nominis Pompeiani. Ille enim triumphis victoriisque celeber, et in ore omnium Magnus. Lentulus ipse Consul, qui more majorum alioqui dux, apud Lucanum auctor hujus sententiæ: 'Consulite in medium, Patres, Magnumque jubete Esse ducem. Læto nomen clamore Senatus Excipit, et Magno fatum patriæque suumque Imposuit.' Cæsar III. Civil. in oratione Bibuli: 'Potestatem se ejus rei nullam habere: propterea quod de Concilii sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint.' *Lipsius. Causæ non Pompeio*] Viri summi isthæc mutant; tanquam caussæ deferri nequeat summa imperii, ignaræ scilicet imperare, exercitum ducere, instruere, &c. Sed nihil tamen vetat auspicia esse penes caussam, ducatum vero penes Pompeium: ut præ se ferat auctor, non tam militasse Consules Senatumque Pompeio ejusque ambitioni, quam caussæ suæ publicæ. De auspiciis multa diximus in Discursibus ad Tacitum prioribus. Et tale quid etiam respexit in restituendo Capitolio Helvidius Priscus, de quo nonnulla signavimus ad librum quartum Historiarum Taciti cap. 9. Loco autem isti interpretando unice facit Lucanus limine libri V. 'docuit populos venerabilis ordo Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.' *Gruter. Causæ non Pompeio*] Nihil hic mutandum. Sensus est: Pompeio delatum imperium, non quod ei faveret senatus, sed quod causa ejus videretur justior. Vidit hoc Gruterus; vidit et Gillotius apud Savaronem in erudito ad Sidonium commentario, lib. III. Epist. 8. ubi multis hanc lectionem confirmat. *Vossius. Causæ non Pompeio*] Gronovius Diatrib. ad Stat. lib. III. silv. III. c. 32. legit: *Caussæ nomine Pompeio*, &c. id est, ut ipse caussam Senatus tueretur, subintellige, non ut imperaret, vel potius dominaretur, cum contra Cæsarem sui Dominum assererent. *Boecler.*

Nihil relictum a Cæsare] Vide quam dissentiat Plutarchus in Antonio. *Manutius. Nihil relictum a Cæsare*] Ita quidem præ se ferebat: sed for-

tasse verissimum est judicium Plutarchi in Antonio, Cæsari bellum pridem et vehementer cupienti fuisse; quippe quem stimularet *ἔρως ἀπαρηγόρητος ἀρχῆς, καὶ περιμανὴς ἐπιθυμία τοῦ πρῶτον εἶναι καὶ μέγιστον*: *inexplebilis imperandi amor, et insana principatus cupiditas.* Cujus tegendæ, jurisque titulo exornandæ, maximas interim occasiones Pompeiani præbuere homini, quod negari non potest. *Boecler.*

Justo esset ferocior] Marcellum intelligit, cujus ferociam præsertim etiam ex Appian. II. licet intelligere. Porro uterque Cos. ideo creati erant, quia Cæsarem summo odio prosequerentur: notante eodem. *Idem.*

Lentulus, &c.] Propter magnitudinem scilicet æris alieni: nam his nimirum 'civili bello opus,' sive, ut apud Sallustium notantur, 'his perdita republ. opus est.' Cæsar Bell. Civ. I. 'Lentulus,' inquit, 'æris alieni magnitudine, et spe exercitus ac provinciarum et regum appellandorum largitionibus movetur: seque alterum fore Syllam, inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat.' *Idem.*

Tantummodo contentus] Hoc usque ad verbum *decreverat* parenthesi sejungendum opinor a reliqua periodo, adhibita etiam correctione quadam, alioqui tota comprehensione satis apte non cohæret. Quod ut judicari commodius possit, verba ipsa, qua mihi probantur et distinctione, et correctione, recitabo: *Ut deinde, spretis omnibus, quæ Cæsar postulaverat, (tantummodo enim contentus cum una legione titulum retinere provinciæ, privatus in urbem venire, et se in petitione consulatus suffragiis P. R. committere decreverat,) latus bellandum Cæsar cum exercitu Rubiconem transiit: Cn. Pompeius, Consulesque, et major pars Senatus, relicta urbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium.* Manut.

In urbem] Et consulem se creavit, Floro: Dictatorem Eutropio: neuter recte et ordine. Consule Dionem, Plutarchum, Appianum. *Schegk.*

Et se in petitione, &c.] Verba quæ præcedunt, et ipsa sententia postulat, ut legatur, *committere, decrevere: ratus bellandum, &c.* Ursin.

Committeret, decrevere] Hæc est scriptura exemplaris scripti; agiturque de decreto Senatus: alii nobis oggesserunt, *decreverat retinere:* at id natum omnino circa pulpitum Burrerii. *Grut.*

Rubiconem] Flaminiæ flumen. Quondam Italiæ Galliæque terminus.

Relicta urbe] Describit eam ex urbe fugam graphice Dio XLI. Cæterum an prudenter a Pompeio factum sit, quod Urbem Italiamque reliquit, non una erat sententia. Quidam, inquit Plutarchus in Pompeio, *ἐν τοῖς ἀρίστοις τίθενται στρατηγήμασιν, in optimis belli consiliis ponunt*, Pompeii ex Italia discessum: 'Ipse Cæsar mirabatur, quod relicta munita urbe, cum præsertim ex Hispania copias exspectaret, marique polleret, Italia tamen excederet. Cicero etiam reprehendisse fertur, quod Themistoclis potius consilium quam Periclis imitatus sit Pompeius, cum tamen tempora hujus casus non illius exemplum suppeditarent.' Quod peritissimorum virorum judicium non videtur de nihilo: cum præsertim non tam consilio Pompeii quam impetu Pompeianorum suscepta profectio videatur. Potest tamen opponi: Pompeium illis populis, regibus, tetrarchis, dynastis, quorum amicitia nitebatur propiorem factum, Cæsarem in adversa et inimica loca perlicere debuisse. Sed imbellem illam gentium multitudinem Pompeius cum Cæsariani militis bello indurati peritia et virtute debebat contendere; simul illud reputare, minorem ubique esse cedentis auctoritatem, et qui recedat, fugere credi. Certe non omisit Dio notare talem eventum XLI. p. 178. *Πομπήϊος μὲν οὖν τήν τε πατρίδα καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν οὕτως ἐξέλιπε, πάντα τὰ ἐναντιώτατα τοῖς*

πρόσθεν, ἔνθ' ἐς αὖτὴν δὴ τὴν Ἀσίαν κατέπλευσε, καὶ δλόμενος καὶ πράξας, ὑφ' ὧνπερ καὶ τὴν τύχην καὶ τὴν δόξαν ἀντίπαλον ἀντέφερε: *Atque ita Pompeius patriam omnemque Italiam reliquit, longe ille quidem diversa ac plane contraria iis molitus, quam antea probaverat, cum ex Asia rediret. Itaque et fortunam et existimationem priori contrariam nactus est.* Boecler.

Dyrrhachium] Urbs in ea Macedoniæ parte, quæ incumbit mari Hadriatico.

Cap. 50. *At Cæsar, &c.*] Quæ de Domitio, item de oratione Cæsaris in urbe hic memorantur, præter Dionem, Appianum, Plutarchum, præsertim ipse diligenter expesuit Bell. Civ. I. Noti sunt et jam supra indicati scriptores totius civilis belli: e quibus deinceps ea tantum mutuabimur quæ nostro instituto opportuniora videntur. *Boecler.*

Legionibusque] Cæsar in hac re legiones non nominat, sed cohortes XXXIII. quæ nondum fuisse videntur sub legionum suarum signis. Sunt autem illæ ipsæ cohortes, quæ, in judicio Milonis, præsidium judicibus et Pompeio. Lucanus ad Domitium: 'tua classica servat Oppositus quondam pollato tiro Miloni.' Ubi mirum nisi scribendum, *pullato*, id est, sordidato et reo. Talis enim, Romano ritu, eorum vestis. Pollutum autem cur appellet? quianc pollutum illum et fœdum interemit? *Lipsius.*

Corfinii] Oppidum in Pelignis.

'*Massilia*] Celebre Massiliæ nomen, cujus disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam jure dicam. Cicero pro Flacco. Et Tacitus ait, 'Locum Græca comitate et provinciali parcimonia mistum et bene compositum.' Mollitiei tamen nomen differt Athenæus, quia credebantur γυναικωνῖτιν. Hinc Plauto 'Massilienses mores,' molles, et (cum Appuleio loquor) 'partiarii.' *Schegk.*

Quam consilio prudentior] Melius se medius et neutrius partis præstitissent hoc tempore Massilienses: Quæ si ullum tempus cuiquam civitati διαφορίαν suasit, hoc videtur illud fuisse. Utrique obstricti erant, Pompeio Cæsarique: nec de justitia causæ aliquid certi in re perplexa videre licebat. Atque etiamsi Pompeii vetustiora, Cæsaris recentiora essent merita, par tamen obligatio gratiam et fidem ex æquo postulabat. Itaque honesta sane fuisset oratio, prudensque consilium, quod præferebant initio apud Cæsarem Bell. Civ. lib. I. 'Intelligere se divisum esse P. R. in partes duas: neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem causam habeat: principes vero esse earum partium Cn. Pompeium et Cæsarem patronos civitatis; quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum, et Helviorum publice iis concesserit; alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit. Quare paribus eorum beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, et neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut partibus recipere.' Hoc responsum etiam Dio vocat; ἀνάμεσον ἀξιοπρεπέστατον. Sed mox Pompeianis se partibus adjunxerunt, eaque re iram Cæsaris asperarunt. Quem errorem nec Strabo omisit notare lib. IV. τῷ κρατοῦντι μᾶλλον προστάμενοι τὴν πολλὴν τῆς εὐβουλίας ἀπέβαλον: *cum parti victæ se adjunxissent, plerumque felicitatis suæ perdidere.* Scilicet 'arbitria' volebat agere Massilia 'principalium armorum,' ut Velleius judicat, quia dum Pompeium sequitur, Cæsaris causam damnavit: æque prudenter fidem alteri approbare conata est, quam utrique debebat: sicut nec illa pars responsi satis prudens erat, cum Cæsaris consilia se morari velle profiterentur, antequam satis expendissent suas ad morandum vires opesque. Unde Velleiana *deliquere* illa subnascitur; 'Principalibus armis ii

se debent interponere, qui non possunt coërcere possunt:' quasi dicant, Si Massilienses iis instructi fuissent copiis, quibus Cæsar potuisset terreri compesciique, tum sane quiverint dicere. Abstine portibus nostris, Cæsar; omitte arma adversus Pompeium, excede finibus nostris, aut pacato habitu ingredere. Nunc stultitia erat leges dicere ei, qui armorum minas armis eludere posset. Miseratione interim dignissima est optima et de Romano nomine præclarissime merita civitas. Quare Cicero Offic. II. 8. serio deplorat 'in triumpho portatam eam urbem, sine qua nunquam Romani imperatores ex transalpinis bellis triumpharant.' Id quod indignissimum merito viris bonis videbatur: non debebat enim triumpho ostentari, quod miseratione mœstitiaque publica potius abscondi merebatur. *Boecler.*

Principalium] Id est, quæ a principibus viris sumebantur.

Arbitria captans] Trogi Epitome exordio historiæ, 'Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant.' *Schegk.*

Coërcere possunt] Ergo jure quiescant inferiores. Livius lib. IX. 14. de Papyrio: 'Signa inde ferre jussit, et copias eduxit; vanissimam increpans gentem, quæ suarum impotens rerum, præ domesticis seditionibus discordiisque aliis, modum pacis ac belli facere æquum censeret.' Ubi nos plura hujus communatis. *Gruterus.*

Remissi ad Pompeium] Ita ab initio capitis 'Domitium captum aliosque qui voluerant abire ad Pompeium sine dilatione dimisit.' Qua re et gloriæ non parum et insigne ad res gerendas momentum sibi peperit Cæsar, sicut Dio animadvertit. Moderationis hujus exemplum etiam apud Suetonium habemus Cæs. LXXV. 'Denuntiante' enim 'Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui Reip. defuissent: ipse medios et neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commandatione Pompeii ordines dederat, potestatem transeundi ad eam omnibus fecit.' Prudenter sane, num quid invitis, id est, infidis auxiliis fidas ac adjutoribus? Nam et cogunt tua imperia exequentur, et quamprimum poterunt, discessione ac desertione te nudabunt. Ita sunt homines: cogentem fugient, non invitantem sponte sequentur. Censetur enim ibi plus juris esse ac fortunæ, ubi minus est coactionis. *Boecler.*

CAP. 51. *Castris Pompeii*] In Ms. fuit, *castris Pompeio retineretur*. Nec fuit mutandum. *Retinere* autem, pro simplici *tenere*, etiam apud Florum lib. II. cap. ultimo: sive potius lib. III. c. 1. Sic enim optime in editione, quam habemus, principe distinguitur. Verba Flori hæc sunt: 'Provinciam P. R. non bello, sed, quod est æquius, hæreditario jure retinebat.' *Vossius.*

Tetrarcharum] Tetrarcha Græca voce denotat eum, qui quartam regni partem obtinet. Horat. 'modo Reges atque tetrarchas, Omnia magna loquens,' &c.

Quo minus et cum vellet] Meo animo rectius, *et quo vellet*: alterum quam vim habeat, (non pudet fateri,) nescio. *Acidal.* *Quo minus et cum vellet*] Lege, *Quo minus eo cum vellet*, &c. Nimirum Brundisium. *Vossius.*

Sed inopiæ obsidentibus] Mira tamen tolerantia Cæsariani sustinuere illam inopiam, dictitantes: 'prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium e manibus dimissuros.' Cæs. Bell. Civ. III. Sueton. Cæs. LXVIII. Plutarch. Dio XLI. Appian. Bell. Civ. II. *Boecler.*

Tum Balbus Cornelius] Observate Politici. Mira et audax hæc corruptio, sed sine qua perierat Cæsar. Talia firmiter et pertinaciter tentanti vix deest successus. Idoneum autem instrumentum hic Balbus, quia amicus, et ab interiore nota, Lentulo.

Ipse ad Ciceronem (inter Epistolas ad Atticum lib. VIII. ep. 15.) 'Quod Lentulum Consulem meum voluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi vero gratissimum medius fidius fecisti. Nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligam.' Et plura, quæ addit. *Lipsius.* *Balbus Cornelius*] Omnium sua ætate ditissimus, et qui moriens pop. R. viritim vicenos quinos denarios legavit. Dio lib. XLVIII. Plin. VII. Ejus patruus Plinio lib. v. c. 5. et Asinio Epistola ad Plancum apud Ciceronem nominatus. *Schegk.*

Hispaniensis] Vulgo, *Non Hispaniæ, Asiæ natus.* *Hispaniensis*] Mihi videtur legendum, *non Hispaniæ suæ natus.* Burrer. *Hispaniensis*] Subobscurum hoc videtur: quod si legas, *natus esset*, id est, Consuleret, et splendorem afferret, ipseque Cæsaris gratia potens et clarus, non dico in Hispania sua fieret, sed homo Hispanus et pontificatum et consulatum postea adipisceretur; planius erit. *Manut.* *Hispaniensis*] Obscurum ait Aldus: vere. Sed quantula lux, quam ipse affert? Legit, *natus esset:* id est, inquit, 'Consuleret et splendorem afferret.' Sed sic quoque locus parum splendet: quem in clariorem fortasse magis dabit noster Phœbus. Ille suadet, *quibus non Hispaniensis, sed Hispanus.* Affirmo ita se rem habere. Hac audacia, ait Velleius, effectum, ut Balbus ille, non dicam civis e Latio aut incola Hispaniæ saltem, sed vere Hispanus et externus, Romæ perveniret ad sacerdotium et triumphum. Certe hoc novum. Nam plene civibus, hoc jus magistratuum et imperiorum tantum. Plinius clare ab hac sententia, de Africa et Garamantibus lib. v. c. 5. 'Omnia armis Romanis superata, et a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru et Quiritium jure donato. Quippe Gadibus nato civitas Romana, cum Balbo majore patruo, data est.' Atque idem de Balbo majore, lib. VII. c. 43. 'Fuit et Balbus major,' inquit, 'Consul, primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, usus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt.' Videsne exteros non admissos ad magistratus, etsi in civitatem admissos? In utroque igitur Balbo hoc novum. In altero, quod Consul primus externorum; in altero, quod Pontifex et Triumphalis. Sed de vocum quoque discrimine (proprie enim et signate Velleius scripsit) addam. Sosipater: 'Cum dicimus Hispanus, nomen nationis ostendimus; cum autem Hispaniensis, cognomen eorum qui provinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani.' Martialis: 'Ne Romam, si ire decreveris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.' Idem discrimen passim apud scriptores in Siculo, et Siciliensi; Græco, Græciensi; Germano, Germanicisno; et talibus. Vide Festum in *Corinthienses.* Lipsius. Legitur etiam, *non Hispaniæ Gadibus natus.* *Hispaniensis*] Fœde corruptus locus. Si ejicere ista liceret, *sed Hispanus*; item factam habebam: *quibus homo Hispaniæ Gadibus natus, in triumphum.* Alias, mutabam: *natus, ab Hispanis in triumphum.* Quod sic probo, ut quod paullo plus, quam nihil. Etiam trajectio mihi tentata: *quibus homo Hispanus, et Hispaniæ Gadibus natus, in triumphum.* Eamque non aspernandam putem. Objectum enim illi, Gadibus natum esse, in accusatione, ut minus honorificum, ex Ciceronis oratione pro eodem paret. Occurrunt et nunc alii modi, quos premo, ne sine modo vanum hoc divinandi genus habeam. De ipso Cornelio Balbo, quem suo modo Noster Balbum Cornelium, verso nominum ordine, ut in aliis pleraque (et hoc pridem homines docti accurate notarunt), multa præclara Tullius memorat loco, quem dixi: sed ante hæc tempora, et hoc faciamus. *Acidal.*

Consularis] Hoc est, consul. Etsi enim consularis vix aliter sumitur, quam pro exconsule: si originem tamen vocis consideres, quemcunque extulit consulatus, seu eum gerat, seu gesserit, recte eum consulari dignitate insignem, ac proinde virum dixeris consularem, sive consularis dignitatis. *Vossius.*

Pompeianis prospero] Adeo quidem ut Cæsar diceret: 'Actum de nobis erat, si hostis scivisset victoria uti.' Vide scriptores paulo ante laudatos. *Boeclerus.*

CAP. 52. *Neque Hercules*] Absolute Livius lib. XXII. 'Neque Hercules montibus his ab transitu Pœnorum ullo Veragri incolæ jugi ejus norunt nomen inditum.' Apuleius Miles. II. 'Et vellem Hercules materiam reperire aliquam.' *Schegk.*

Salubrius fuit] Ita etiam Appianus judicat. Certe etiam alterum istud consilium 'trahendi belli' prorsus e re Pompeii futurum erat: sicut clare Plutarchus explicat. Sed Pompeium non tam 'impetus suus,' quod hic Velleius dicit, quam fatalis suorum temeritas in noxia consilia et exitium præcipitavit. *Boeclerus.*

Dignatione] Male Robertus Titius, *dilatione*. Schegkius recte *dignatione partium in dies*. *Dignatione*] Hoc pacto plana et promta sententia Gryphium secutus edidi. Voce *dignationis* usus Cicero lib. x. ad Atticum, et Tacitus sæpe. *Schegk.*

Ipsis] *Ipsi* legendum puto; ut ad Pompeium referatur. *Burrer.*

Aciem Pharsalicam] Vide Cæs. Bell. Civ. III. Plut. Cæs. et Pomp. Dion. XLI. Appian. Bell. Civ. II. Flor. IV. 2. 44. &c. Liv. Epit. III. Lucan. VII. aliosque. *Boecler. Pharsalicam*] Pharsalia regio Thessaliæ. Hinc celebres campi Pharsalici.

Romano nomini] Est in Ms. *Romani nomini*. Opinor etiam, *Romani nominis diem* legi posse, fortassis etiam debere. *Et collisa*] Vulgo, *et consilio*. Rhenanus putat fortasse legendum, *commissa*.

Effossumque] Vulgo, *effusum*. *Effossumque*] Hoc modo cum Rhen. et V. N. Jano Duza ad illud in Præcidaneis; 'Effossos oculos voret atro gutture corvus,' legendum. Error ex promiscua *V* et *O* litterarum usurpatione. Deinde persistit Velleius in schemate. Dixerat, 'collisa inter se duo Reip. capita:' subdit, 'et alterum Rom. imperii lumen,' sive oculum, 'effossum esse.' Maro Æneid. III. de Polyphemo: 'et ad æquora venit, Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.' Laberius apud Agellium: 'Democritus Abderites Physicus Philosophus, clypeum Constituit contra exortum Hyperionis, Oculos effodere ut posset splendore æreo.' Et Orosius lib. I. c. 13. 'Devorandas crudeliter addicebant, atque informe prodigium' (Minotaurum) 'effossis Græciæ luminibus saginabant.' Quid multa circuitione? tam in proclivi veritas, quam olim cum pluit imber. *Schegk. Effusumque*] Orta hæc lectio ex errore editionis Gryphianæ, et aliarum, quæ *effosum* expressere. Scoppius igitur, Popma, aliique, *effusum* omni vi propugnant. Mihi nihil certius, quam Velleium reliquisse *effossumque*. Hoc qui negare audeat, neget simul esse Latinum, et conjectaneo plus fidei adhibendum asserat, quam Ms. lectioni. *Vossius.*

Quam omnes partes] Vulgo, *in omnes partes*. *Quam omnes partes*] De Clementia Juliana sermo est: sed quid ad eam dimissio hæc in partes? Scribe *ut omnes partes*. Mens. Nihil prius Cæsar habuit, quam ut omnes adversarios suos incolumes dimitteret, gladiis et militari sævitiæ subduceret. Hos autem tales vocat *partes*, idque 'militari verbo,' inquit: quia durum videbatur in civili dissensu dicere *hostes*. Usum hujus vocis crebrum alibi notavimus: tu

hic originem videt, et nondum tritum id satis fuisse hoc significatu. Cur enim alias excuset? Quod quidam *patres* legunt, spernо. Nec enim militiæ aut castrorum, sed Curiæ hoc verbum. Vide etiam an non aptius, *militari verbo ex consuetudine uter. Ex*, inquam, pro *et*, copula. Quæ enim hic consuetudo proprie? quinimo hoc dictum voluit, uti se verbo militari; idque ex consuetudine, et quia diu miles. *Lipsius.*

Dimitteret] Lipsius arbitrabatur, militare illud verbum esse, *partes*. Itaque emendabat, *quam ut omnes partes, &c.* Potius militare id verbum esse censeo, *dimitteret*. Virgilius XII. ardui operis: 'Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.' Ubi Servius: 'Per transitum' (inquit) 'historiæ usus est verbis. Nam qui ab exercitu relaxantur, ab armis dicuntur dimitti. Sallustius de Appio, ubi eum Cotta in concione ab exercitu cogit abscedere, dicit se ejus opera non usurum, eumque ab armis dimittit.' In Velleii vero verbis, ut, intelliges, non repones. *Voss.* *Dimitteret*] Sensus fuerit: Nihil prius habuit Cæsar, postquam in sua manu victoriam intellexit, quam ut omnem inimicitiam, partiumque odium ex animo abjiceret; neque jam Pompeianos, ut hostes suis, neque suos, ut Pompeianis hostes, sed utrosque ut cives considerabat, adeoque veluti simul et semel, tanquam dimissis a bello, finem odii noxæque indiceret. Alluditur ad Cæsaris vocem: 'Miles parce civibus.' Ecce, non ut partes adversas nominat Pompeianos, neque se ut diversæ partis considerat, sed *civis civibus* vult parci. *Boecler.*

Ergo Brutum] Etiam Plutarchus in Cæs. et Dio fine XLI. Statim in comparationem ingratitudinis, qua postea Brutus violavit conservatorem suum, sententiam acuit. Timuerat Cæsar Bruto, cum non compareret: salvumque postea gavisus benigne exceperat. *Idem.*

CAP. 53 *Quos comites*] Vulgo, *quos victores darent comites. Quos comites*] Hoc equidem ut nunc legitur, tam intelligo, quam si natus numquam essem. Quod si sic: *Quos, victore Cæsare, comites ei fortuna aggregaverat*: nihil erit apertius. Audax conjectura: fateor: aliquanto tamen eorum audacior, qui illud, *victores darent*, delent. *Manut.* *Quos victores*] In aliis libris duæ istæ voces, *victores darent*, non reperiuntur: et recte, ut censet Lipsius: repetitæ enim sunt e superioribus lineis. Aldus, *quos victore Cæsare, comites, &c.* *Quos comites*] Audaces viro docto, qui verba *victores darent* delent, ille mihi, qui recepit: repetita namque ex præcedente versu, *victor jam daret*. Schegk.

Aliis ut Parthos] De Parthis etiam Appianus. Sed refutat eam sententiam Dio principio lib. XLII. idem qui gravi observatione perplexitatem Pompeii, et ex perplexitate desperationem arguit. Didicerat alias Pompeius in adversis bene sperare, idque tanto viro, tantaque indole ac experientia dignum erat. Nunc omnem spem abjicit, cum tamen multa ad sperandum et resurgendum superessent. Scilicet antea adversos casus, antequam acciderent, præviderat, et quid facto opus foret, si occidissent, meditatus erat; nunc certa spe victoriæ præreptа, inopinato casu perculsus, consilium timore et consternatione perdidit. Vide ipsam Dionis super ista re φιλοσοφίαν. *Boecler.*

Sed quis in adversis, &c.] Pleni sunt auctorum libri talibus sententiis: quippe id argumentum locis Rhetoricis opportunum est cumprimis. Hic Rhetorum campus. Cæsar in hoc ipso scelere Ægyptio commemorando Bell. Civ. lib. III. 'pleramque in calamitate ex amicis inimicos existere' notat. *Idem.*

Mytilenis] Urbs Lesbi, a quo tota hodie insula nomen accepit.

Ægyptii mancipii] Senec. ep. IV. 'De Pompeii capite Pupillus et spado talère sententiam.' Item de brev. vit. XIV. 'Pompeius Alexandrina perfidia deceptus, ultimo mancipio transfodiendum se præbuit.' *Boecl.*

Viri in id evecti] In laudibus Pompeii, Jupiter, ut luxuriat ubique Cicero; cui innatum Pompeianarum partium amorem Noster scripsit. Post reditum in senatu: 'Cn. Pompeius omnium gentium, omnium seculorum, omnis memoriæ facile princeps.' Ad Quirites: 'Cn. Pompeius vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt; virtute, sapientia, ac gloria princeps.' *Acidal.*

Discordante Fortuna] Valde signanter et ἐμφατικῶς istam fortunæ discordantis ἀντιθέσιν tractat Dio XLII. p. 210. et 211. Adde Lucanum, fine VIII. *Boeclerus.*

Fefellit quinquennium] Errorem hunc errarunt Plutarchus et Appianus, ut docuit Sigonius in Fastis. *Schegk.*

Tam facilis] Probum est: tamen editio vetus, *tam felix*. An fuit, *tam non fallax?* Lipsius.

CAP. 54. *Non fuit tamen major*] Cæs. fine III. B. C. et Hirtius bell. Alex. Plutarch. Cæs. Appian. Bell. Civ. 2. Suet. Cæs. XXXV. Flor. IV. 2. 54. &c. Liv. Epit. 112. *Boecler.*

Utrique summo] Suspicetur aliquis membrum deesse, *alteri mortuo:* cui recte subjunctum, *alteri superstiti.* Etiam *meritis*, melius quam *meritas.* Lipsius.

Ubique nomine] Vulgo, *ubique Jubæ nomine. Ubique nomine*] Ego hic quam recte, aliorum esto judicium, pro *Jubæ*, restituo *vivens*, vel *vigens*. Ut aliquid tamen aptius excogitari posset, non diffitear. *Manut. Ubique nomine*] Titius legit, *ubique ibat nomine.* Merito rejicit is, qui eum confecit Yvo: atque ipse vult deleri, ut supervacuum, *Jubæ* nomen. Assentior, etsi haud male rescripseris, *ubique vivebat nomine.* Lips. *Ubique nomine*] Yvo Villemarus, sive Scaliger, recte *vivente Jubæ* delendum censuit. Non est tamen, quod nimium emendatione sua glorietur. Nam et ita jam ante eum a Gryphio, Marneffio, Stephano, aliisque fuit editum. *Voss.*

Bellum] Hirtius de Bell. Afric. ceterique, quos jam sæpe laudavimus. *Boeclerus.*

Ante biennium] *Triennium.* Præfecto *triennium* est, si quidem duxit eum in tertio suo Consulatu, Plutarcho notatum. Nec tamen mute. Solemnes ejusmodi dissensus. *Lipsius.*

Locorumque] Locorum inopiam in victu et potu intelligit. *Locorumque*] Quod si *aquarumque. Locorumque*] Emendo, *liquorumque inopia.* Ansa erroris fortasse, quod olim *licorumque* fuerit scriptum. Ita enim scribebant; ut, *iniens*, pro *iniquus; cum*, pro *quum; locutus*, pro *loquutus;* aliaque id genus. Siccam illud Catonis iter, præter alios, eleganter describit Lucanus lib. IX. Pharsaliæ. *Vossius.*

A militibus] Depravatum est *a militibus*, in *ambitus*, vitio scribæ posterioris. *Burrer. A militibus*] Cum in antiqua editione sit, *cum summum ei ambitus deferretur imperium*, &c. posset legi, *cum summum ei ab illis deferretur imperium*, &c. Ursin.

Honoratiori parere maluit] Clarius Appianus: 'recusasse' Catonem imperium, 'quod adessent legati consulares, cum ipse prætorius tantum esset, itaque hic quoque legum habendam rationem,' quod apud Plutarch. in Cat. Min. additur. Paulo antea legitur in Nostro, *itinerum locorumque inopia*: rectissime. Ne quis correctionibus indulgendum hic putet. *Boecler.*

CAP. 55. *Varia Fortunam*, &c.] Ferunt hoc puræ et Latiares aures? Spernunt meæ. Lego firmiter, *primo varia fortuna, mox pugnavit sua.* Acute. Initia, inquit, belli ambigua, lætus exitus et a fortuna plane Cæsariana. Risit enim semper illi viro, et in bellis utique

visus eam habere in mancipio et potestate. Ipse gloriatur apud poëtam, quem sensuum et honesti acuminis caussa amo: 'quem numina numquam Destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur Cum post vota venit.' *Lipsius. Varia Fortunam, &c.*] Ingeniosissima est emendatio Lipsiine, an Acidalii: *Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua;* et si non ita scripsit auctor, scribere debuit. *Grut. Varia Fortunam*] Emenda, ut superius. Ἰδίαν τύχην alias etiam Cæsari attribuit Velleius. Imo et Lucanus: ut lib. v. 'Pariter tot regna, tot urbes, Fortunamque suam tacta tellure recepit.' *Vossius.* [Lectio tamen vulgaris tolerari potest.]

Hispaniense] Vide Hirtium de bell. Hispan. ceterosque, neque enim toties repetemus satis nota cuivis nomina. *Boeclerus.*

Victus ab eo Pharnaces] Quia hunc 'Cæsar adgressus' (Florus) 'uno et non toto prælio obtrivit more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit; nec vana prædicatio de se Cæsaris, ante victum hostem, quam visum:' ideoque his tribus solummodo verbis, 'Veni, vidi, vici,' victoriam suis significasse; eorumque in triumpho inter pompæ fercula postea prætulisse titulum (non acta belli ostendens sicut cæteris, sed celeriter confecti nota) tradunt Dio, Plutarchus, Appianus, alii. Seneca tamen pater Suasor. l. I. imitatione Tusci hæc tria protulisse Cæsarem significat. *Schegk.*

Adstruxit] Scribendum cum Lipsio, *adstruxerit.*

Vestigio se non recessurum] Scilicet rebus tam dubiis periculorum remedium sunt ipsa pericula, neque temeritas videri debet necessaria audacia; sive, ut accuratissime omnium Tacitus loquitur, ubi 'præsidium ab audacia mutuatur,' quem virtus jam non potest eripere. Qua de re multa multi, quæ non exscribimus. Adi Scipion. Amirat. dissert. polit. ad Tac. IX. *Boecler.*

A duce] Aliter, *C. a duce. A duce*] Si divinatio locum habet, emendo, *ceterum a duce.* Manut. *A duce*] Ita fuit in Ms. Aldus emendabat, *cæterum a duce.* Quod non displiceret, si in Mss. *C.* soleret pro *cæterum* poni. Malim ergo *Sed a duce, &c.* Vossius.

Labienum] Cujus forti ac fideli opera usus Cæsar in Galliis. Cicero ad Tironem: 'maximam autem plagam accepit' (Cæsar) 'quod is qui summam auctoritatem in illius exercitus habebat, T. Labienus, socius sceleris esse nolnit, reliquit illum et nobiscum est.' Et ad Attic. lib. VII. 'Labienum ἥρωα judico: facinus jamdiu nullum civile præclarius, qui, ut aliud nihil, hoc tantum perfecit: dedit illi dolorem.' Caussam transitionis exprimit ipse Cæsar. *Schegk.*

CAP. 56. *Omnibus, &c. ignovit*] De elementia sua Cæsar ipse gloriatur Epist. ad Ciceron. 'Recte augurariis de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil a me abesse longius crudelitate. Atque ego cum ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho et gaudeo.' De magnificentia Cæsaris in muneribus etiam mentio apud Sallustium Orat. II. *Idem.*

Naumachiæ] Spectaculum hoc ludicri certaminis, euripis effossis sæpe, et admissa in theatrum aqua. Prodigalitatis hujus etiam alii meminere auctores.

Quinque egit triumphos] Loquitur de triumphi ferculis, simulacris, imaginibus aliis diversa confectis materia. Sueton. c. 37. 'Egit diverso quemque genere et adparatu.' Ita doctis placitum. Non dissentit Dio, qui ebur ad Hispaniensem refert: 'Sed Fabio etiam Pedioque (ait lib. XLIII.) 'legatis suis, quique nihil propriis auspiciis gesserant, triumphandi copiam fecit: qua in re id risum multum excitavit, quod iis imaginibus ferculis-

que nonnullis non eburneis, sed ligneis utebantur.' Hincque jocus apud Quinctilianum eadem de re lib. VI. 'Ut Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.' Agit enim de triumphis non Cæsaris, sed ejus legatorum: et notum ebur omnibus triumphis tralaticium fuisse. Vir clarissimus hic, pro *citro*, legendum monet *cedro*, ut pro *lance* accipiatur; quod aperte pugnat cum verbis Velleii: deinde telum quod torquet, eadem ratione retorqueo. Confer inter se ex variis editionibus hæc capita Plinii libri XVI. cap. 43. lib. XII. c. 3. lib. XV. cap. 7. et, aut vehementer fallor, mecum vulgatam defendes. Citreæ mensæ mentio apud Ciceronem in Verrinis, et citri usus jam inde cum cedro in sacro fumo. Plinius lib. XIII. 'Rasile argentum' capio, simulacra, ferculaque ex argenteis laminis politis, levigatis, non cælatis. Catullus: 'Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes, Rasilemque subi forem.'. *Schegkius.*

. *Ex citro*] Torrentius, ad Suetonii Julium, legendum arbitrabatur, *cedro*: 'Nam citrum' (inquit) 'vix suo tempore novit Plinius: tantum abest, ut universum triumphi Gallici instrumentum citro constiterit.' Ubi primum mihi monendum arbitror, quod Plinium attinet, apud eum passim lib. XIII. cap. 15. et sequentibus, pro *citrum*, librarios imperite scripsisse *cedrum*. Quo vitio ubique fere carent Mss. et vetus editio Parmensis anni CIↃCCCCLXXVI. solideque adeo id firmat, quod eandem arborem dicat, quæ Græcis θύον vocatur. Ut ad antiquiora transcendam, habemus illud Catonis apud Festum, ex oratione, Ne quis iterum Cos. fiat: 'Dicere possum, quibus villæ atque ædes ædificatæ, atque expolitæ maximo opere, citro, atque ebore, atque pavimentis Pœnicis stent.' Nimirum Africa Romanorum jugum jam induere cœperat. Quid multis? Omnem dubitationem eximit Lucanus lib. X. ubi loquitur de convivio Cæsaris ac Cleopatræ: 'Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora Nec capto venere Juba. Pro cæcus et amens Ambitione furor, civilia bella gerenti Divitias aperire suas, incendere mentem Hospitis armati. Non sit licet ille nefando Marte paratus opes mundi quæsisse ruina: Pone duces priscos, et nomina pauperis ævi, Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat Sordidus Etruscis abductus consul aratris: Optabit patriæ talem duxisse triumphum.' Ait priscos etiam duces, quos fama ob continentiam adeo laudat, optaturos fuisse triumphum agere qualem Cæsar, hoc est, cujus apparatus ex citro constaret: Nam de citreis operibus heic Lucanum loqui, certum vel ex illo Martialis, lib. XIV. lemmate, 'Mensa citrea: Accipe felicis Atlantica munera sylvæ: Aurea qui dederit dona, minora dabit.' Quæ quidem ad Torrentii opinionem refellendam sufficerint. Ridiculum vero, quod dicat Popma, alios *cedri* substituere, quod opera citrea viliora arbitrentur, quæ triumphum Cæsaris adornarent. Itaque in eo totus est, ut citri præstantiam extollat. Nec saniora sane, quæ de hoc Velleii loco promit Dalecampius ad Plinii Nat. Hist. lib. XIII. cap. 15. *Vossius.*

Pontici ex acantho] Censebat Æneas Vicus Parmensis, in Julio Cæsare suo, militum chlamydes ex acantho herba contextas fuisse. Nam ex ea vestes confici solitas, docent Dioscorides lib. III. cap. 17. Virgilius Æneid. I. et ad eum Servius, qui et hæc Varronis verba adducit: 'Neanthes in India esse ait arbores, quæ ferant lanam. Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti

siet cubili, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem.' Ita ex codice Fuldensi locus ille legi debet. *Neuntibus* tamen, pro *Nescientes*, de conjectura reposui. Ut fuerit illud ex libris ejus τῶν κατὰ πόλιν: quorum meminit Ammonius de Vocum Diff. Atque idem sane de acanthinis vestibus liquet ex Plinio Nat. Hist. lib. XXIV. cap. 12. et aliis. Nequeo tamen Vico assentiri. Nam Velleio quidem de curru triumphali solum, et oppidis in triumpho prælatis, sermonem esse arbitror. Sic sane in triumpho Alexandrino oppida eburnea intelligenda esse, liquet ex Quinctiliano, lib. VI. cap. 4. Acanthum igitur arborem Ægyptiam, non herbam, in Velleio intelliges. *Idem.*

Manubiis] Gellius lib. XIII. c. 23. quid præda a manubiis distet declarat, cum prædam esse dicit ipsa corpora rerum, quæ capta sunt: manubias autem esse ipsam pecuniam, quæ a questore ex venditione prædæ redacta est. Cicero in Orat. de L. Agraria: 'quod ad quemque pervenerit ex præda, manubiis,' &c. ubi manifeste distinguit.

Sexies millies H-S.] Haud muto: et videtur hæc ipsa pecunia esse, quæ deposita postea ad Opis, quam septies millies fuisse Cicero non semel indicat, et postea Velleius. Jurisconsulto celebri an adsentiar *sexagies millies* reponenti? 'oppido' enim 'tenuis,' inquit, 'est hæc summa.' Miror. Nam sexies millies, faciunt æstimatione Budæana (quam haud temere quis mihi carpat) centies quinquagies centena millia aureorum. Et an Paullus Æmilius tantum intulit? an ipse Pompeius? longe infra. Illud tamen fateor, paullo majorem summam in Appiano me reperisse: qui tulisse in triumpho Cæsarem dicit: Μυριάδας ἑξ καὶ ἥμισυ ταλάντων: *sexagiesquinquies millia talentum.* Ea essent quasi decies sexies millies HS., computatione Romana: haud dubie supra Velleianum numerum, sed longe infra immanem illum correctoris. Nam sexagies millies, fecerit centum quinquaginta aureorum (cum vulgo loquar) milliones. *Lipsius. Sexies millies*] Visa hæc quoque summa oppido tenuis Clar. Jurisconsulto Fr. Hotomano. Reponit, *sexagies millies.* At deposuit duntaxat ad Opis septies millies; et ad Persei bellum, non bellum. *Schegk.*

Plus quinque mensium] Cicero ad Att. lib. X. cap. 7. dixit, ejus Regnum vix semestre esse posse. *Manut.*

Idibus Martiis] De cæde Cæsaris plerique, quos hactenus sæpius nominare opus fuit. An merito acciderit ei hic exitus, varie disputatur; et jam olim 'oceisus Cæsar aliis pessimum, aliis pulcerrimum facinus videbatur,' teste Tacito A. I. 8. 7. ad quem locum vide, quæso, quæ Vir Illustris Christophorus Forstnerus notavit: ubi præsertim cum Dione ac prudentissimo quoque Historicorum, 'præjudicium divinæ ultionis adversum parricidas' urget, magnisque exemplis confirmat. Res tota illuc videtur redire: passionem, secundum tritum vulgi verbum, justam; actionem injustissimam censeri debere. Immiserat ei hanc cladem haud dubie Divina Justitia, tum alia facinora, tum Pompeianarum partium fœnera, reique publicæ perturbationem, et civilem sanguinem ultura: sed interfectores ipsi scelestissimo consilio ausumque facinus suscepere, cum præsertim, nondum invadit dominationem, sed postquam jam pacto et juramento civium jus quodpiam nactus erat, interfecerint Cæsarem. Nam quod Brutus apud Appianum jactitat, οὐδὲν πιστὸν ἐστι Ῥωμαίοις πρὸς τυράννους, οὐδ' ὅρκιον, merito refutat Hugo Grotius de jur. b. et p. II. 13. 15. Confer I. 4. 19. et III. 19. 2. Egregia est dissertatio Dionis principio lib. XLIV. Certe inter insignes solœcismos politicos retulerim illam Ciceronis inter-

perantiam, qua toties eædem et percussores Julii extollit et immodice prædicat; cum tamen ex illa de tyrannicidio quæstione, cujus sæpe in epistolis mentionem facit, nunquam se plane pleneque extricare queat. *Boeslerus.*

Quorum alterum promittendo] Vide Plut. in Cæs. Subtili sententia ambitiosorum *ὑπόθεσιν* notat Velleius, qui cum habere quam exspectare malint honores, nec promittendo mitigantur, et differendo offenduntur. Quanquam animo invidiæ facibus jam succenso, 'omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est.' Vide de his et ceteris popularibus sceleris Dion. XLIV. p. 278. *Idem.*

Consiliariis] Tentabam, *consciis aliis cædis.* Lips. *Consiliariis*] Εἰσοτόχους quidem qui refingunt, *consciis aliis cædis famil.* Sed cur ea huic loco minus conveniat, facit quod statim sequatur, *aliisque clari nominis viris. Consiliarios* heic vocat, consilii ejusdem participes; qua significatione et usus Cicero. *Gruter.*

Imponendo capiti ejus] Vere audax et indignum facinus, præter mille alios, elegantissime Cicero II. Philipp. narrat, et exagitat acerrime cum hac, tum insequentibus ferme omnibus. *Acidalius.*

Lupercalibus] *Lupercalia* placuit Varroni inde arcessere nomen, quod Luperci sacra facerent in Lupercali. Est enim Lupercal, teste Servio, spelunca sub monte Palatino, in qua capro luebatur, id est, sacrificabatur. De origine tamen Lupercalium, varia traduntur ab auctoribus. Sunt namque qui ab Euandro ex Arcadia in Italiam translata affirmant: Dionysius, Livius, Plutarchus, et multi alii. Nonnulli instituta et celebrata primum a Romulo et Remo tradunt, propter factam sibi ab avo Numitore urbis in monte Palatino condendæ potestatem, quam caussam explicat Valerius Maximus lib. II. his verbis: 'Lupercalium mos a Romulo et Remo est inchoatus, cum lætitia exsultantes, quod his Numitor avus Rex Albanorum eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Euander Argivus consecraverat sacrificio facto; cæsisque capris, epularum hilaritate ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes: cujus hilaritatis memoria annua circuitu Feriarum repetitur.' Plutarchus quoque alias scribit, lustrationis caussa instituta videri posse, eo quod fiant diebus fastis mensis Februarii, qui nomen ab expiationibus habet. Ovidius in Fastis eo refert, quod Romani beneficii memores præstiti a lupa, in educandis infantibus Romulo et Remo, templum illi exstruxerint ad ficum Ruminalem, quod est appellatum Lupercal. Sic enim ait: 'Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercal, Magna dati nutrix præmia lactis habet.' Templi hujus sacerdotes, auctore Varrone, dicebantur Luperci, qui nudi rem divinam agebant, perque vicos urbis et compita discursantes pellibus in scuticas dissectis obvias quasque fœminas verberabant, ita eas fœcundas fieri existimantes. Unde et Crepos appellat Festus, a crepitu pellicularum. Sed enim aliqui rursus (ne id negligam) dicta voluerunt Lupercalia a lupis arcendis; quod celebrato sacrificio tali in Panis honorem, qui est dictus Lycæus, lupi arcerentur a pecoribus et stabulis. Scribunt enim Plutarchus et Livius, cum Euander solemne hoc sacrificium intulisset in Italiam ex Arcadia, benigne illi Faunum montem et agros assignasse, inque illius radicibus constitutum Lycæo templum, ubi nudum conspiciebatur Dei simulacrum, pelle amictum caprina, quo habitu currebant Romæ in Lupercalibus. Proprium erat ejus cele-

britatis, ut Luperci immolarent canem, vel expiationis gratia, quod Græci canes adhiberent ad expiandum, vel in gratiam Lupæ, quæ Romulum ac Remum creditur enutrisse; vel denique quod sacrificium fieret Pani, cui propter greges amicus est canis. Sciendum insuper agitata fuisse Lupercalia 15. Calend. Martii, (Lycæa nominant Græci) eorumque diem veteres februatam dixisse. Nec tantum Luperci ea celebrabant, verum et alii quandoque viri, virisque permixtæ mulieres. Quapropter scribit Plutarchus 'Antonium nudum in Lupercalibus fuisse vectum per urbem.' Diu durasse Romæ hanc superstitionem constat, quamquam abolitam tandem restituit Augustus, suscepto Pontificatu maximo, ut scribit Suetonius, vetuitque currere imberbes. Ferias etiam has fuisse stativas, ut Agonalia et Carmentalia, annotat Macrobius. *Funger.*

Quod ab eo] Ita recte emendavit Rhenanus. Vulgo, *quod ab eo id repulsum erat, ut non offensum videretur.* Forsan *offensum* referendum ad insigne regium; ut sensus sit, ita repulsum insigne, ut tamen non offensum, non turbatum capite videretur.

Quod ab eo ita repulsum] Suet. Cæs. 79. Dio XLIV. p. 278. Plut. in Cæs. et Anton. Vanitas insignis Antonii: quam merito exagitat Cicero in Philippicis, et apud Dion. XLV. in oratione adversus Anton. *Boecler.*

CAP. 57. *Ut principatum armis quæsitum*] Henricus Savilis, cujus eruditissimum de militia Romana librum ex Anglico Latinum fecit G. M. Lingelshemius, Prætorianorum custodiam non nisi foris in bello usurpatam Romanis ait; 'donec Sulla et Cæsar, usurpato dominatu, domi quoque tanquam inter hostes retinuerunt consuetam custodiam. Sed Sulla resignato simul dominatu et præsidio (Appian. I. et II. ἐμφ. Sallust. et alii) quamobrem a Cæsare notatus, *nescire litteras*, potest videri secutus saniorem Grammaticam quam ipse Cæsar, qui dimisso præsidio, nec simul dominatu, commisit periculosum et insignem solœcismum in politica administratione, et viam ad suam perniciem patefecit.' Lubens adscripsi verba elegantissimi libelli; e quo et Clapmarius quædam mutuatur Arcan. III. 14. ubi plura super hoc argumento. *Idem.*

Plurima præsagia] Manilius IV. 56. 'Ille etiam cælo genitus cæloque receptus, Cum bene compositis victor civilibus armis Jura togæ regeret, toties prædicta cavere Vulnera non potuit, toto spectante senatu Indicium dextra retinens, nomenque cruore Delevit proprio, possent ut vincere fata.' *Schegk. Plurima præsagia*] Suetonius: 'Conspiratum est in eum a LX. amplius, C. Cassio, Marcoque et Decimo Bruto principibus conspirationis. Qui primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent; an in Sacra via vel in aditu theatri adorirentur; postquam senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est, facile tempus et locum prætulerunt. Sed Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata est. Paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Julia coloni, ad extruendas villas, sepulcra vetustissima disjicerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant; tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inventa est, conscripta litteris verbisque Græcis, hac sententia: 'Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo progenitus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.' Cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, auc-

tor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum quod non ultra Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus, avem regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt. Ea vero nocte cui inluxit dies cædis, et ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. Et Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patuerunt.' Ob hæc simul et ob infirmam valitudinem diu cunctatus, an se contineret, et quæ apud senatum proposuerat agere differret; tandem Decimo Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudum opperientes destitueret; quinta fere hora progressus est; libellumque, insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis cæteris quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam, spreta religione: Spurinnamque irridens, et ut falsum arguens, quod sine ulla noxa Idus Martiæ adessent; quamquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse. Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt, illicoque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius accessit; renuentique, et gestu in aliud tempus differenti, ab utroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, 'Ista quidem vis est,' alter Cassius adversum vulnerat, paullum infra jugulum. Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit; conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est. Utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus et viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito. Etsi tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti dixisse, Καὶ σὺ δὲ τέκνον; καὶ σύ, τέκνον; Animis diffugientibus cunctis aliquamdiu jacuit, donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres servuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, ut Antistius medicus existimabat, lethale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus conjuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere: sed metu M. Antonii consulis, et magistri equitum Lepidi, destiterunt.' *Plurima præsagia, &c.*] Vide superius citatos versus Manilii. In quibus versibus, pro *nomenque*, perperam Scaliger reponit *omenque*. Sensus enim est, Cæsarem sanguine suo delesse tabellas sibi traditas, quæ conjurationem et conjuratorum nomina indicabant. De qua re vide Suetonium, Dionem, et alios. *Vossius.*

Cujuscunque fortunam mutare] Repetit inferius: 'Quippe ita se res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat.' Plura ad hanc mentem Lipsius in arduo illo opere Constantiæ. *Scheglcius.*

Cujuscunque fortunam, &c.] Ita recte Lipsius: legebatur enim, *cujus quem f. m.* Plut. in Cæs. ἀλλ' ἔοικεν οὐχ οὕτως ἀπροσδόκητον, ὡς ἀφύλακτον εἶναι τὸ πεπρωμένον: *Non tam improvisum, quam inevitabile videtur fatum esse.* Appianus: χρῆν γὰρ ἃ ἐχρῆν Καίσαρι γενέσθαι. Talia passim obvia. Vide Cl.

Freinshem. ad Curt. v. 11. 10. et Lips. polit. I. 4. Veliem tamen Lipsium (quippe qui ad usum pietatis et vitæ eam doctrinam tradere instituit) cautius adhibuisse quædam gentilium loca; quæ nimirum studiose a Stoicæ necessitatis hypothesi repurganda, et ad Christianam philosophiam diligentius exigenda sunt. *Boeclerus.*

CAP. 58. *Præter tyranni*] Plutarch. in Anton. *ἐκώλυσε δὲ Βροῦτος, ἀξιῶν τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν, εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι*: *Prohibuit autem Brutus*, (sc. interfici Antonium,) *cupiens actionem pro legibus et jure susceptam, sinceram et ab iniquitate puram esse.* Hic color nimirum facto quærebatur. *Id.*

Liberos suos obsides] Cicero Philipp. I. 'Pax denique per eum' (Antonium) 'et liberos ejus cum præstantissimis civibus confirmata est.' Intelligitur unus Antonii filius; nam idem subjungit, 'Reipubl. tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit.' et idem Philipp. II. 'Pacem haberemus, quæ erat facta, per obsidem puerum nobilem, Bombalionis filium.' At Livius et Dio Antonii et Lepidi volunt. *Schegk.*

Decreti Atheniensium] Justinus lib. v. memorat: ipsum decretum *μὴ μνησικακεῖν* de quo certatim historici. Quod ad Velleium, de tota re ipse Cicero præclarissime initio Oration. Philipp. primæ: 'Nec vero usquam discedebam, nec a Repub. dejiciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, feci fundamenta pacis: Atheniensiumque renovavi vetus exemplum. Græcum etiam verbum (*τῆς ἀμνηστίας*) usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.' *Acidal.*

Decreti Atheniensium] Intelligitur *Ἀμνηστίας ψήφισμα*, *decretum* sive *lex oblivionis.* Cujus inventores Athenienses celebrantur. Nobilis est præsertim Ciceronis de Amnestia oratio, cujus hic meminit Noster, descripta Dioni lib. XLIV. *Boecler.*

CAP. 59. *Testamentum apertum est*] Adoptio secundum JC. duobus modis fit; aut principali rescripto, aut imperio magistratus. Hic notabis tertium, per Testamentum. Suetonius Tiber. 'Testamento adoptatus, hereditate adita mox nomine abstinuit.' Eutropius: 'Vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus.' Plura reperies apud JC. in Observationum libris. De variis modis, per arma, barbam, comam sive capillum, sacras preces, adoptandi posterioribus principibus placitis, doctissimus Pithœus Adversar. I. ait: 'Nepotem sororis suæ Juliæ,' vere. Suetonius, Dio, Appianus, Plutarchus Bruto et Antonio, si sequeris Sigonii ac Xylandri correctionem, quamvis vulgata eodem argumento defendi possit, quo Noster et Suetonius Cæsarem, avunculum magnum Octavii, avunculum nominare non erubescunt. *Schegk.*

Nepotem sororis suæ] Filium sororis falso nominat Plutarchus in Antonio. *Manutius.*

Etiam si præventis] Legerem, *etiam si præventis tamen pauca dicenda sunt.* Manut. *Etiam si præventis*] Fabri suspecta vox *præventis.* Nam quid ob hanc rem se excuset? An aliorum omnium origines ante ipsum indictæ, intactæ aliis, quas passim heic inserit? aut cur non et ibi excusat idem? Forsan legendum, *etiamsi properanti, heic pauca dicenda sunt.* Festinare se innumeris locis ait, quin et curam, et in transcursu, omnia hæc scribere: adeoque opus ipsum appellat transcursum. *Acidal.* *Etiam si præventis*] Omnes viri eruditi hic operam lusere. Scribendum est: *etiamsi prævenit, et pauca dicenda sunt.* Ita erat in autographo. Non cogitavere interpretes,

Augustum ipsum vitam suam perscripsisse, ibique de majoribus etiam tractasse. Quod vel sola Suetonii verba initio illius vitæ satis declarant, qui ubi aliorum retulit sententias, subjicit: 'Ipse Augustus nihil ampliùs quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit.' Fragmenta ejus in Variis lectionibus collegit Janus Rutgersius. Nos aliud præterea e Tertulliani libro de Anima eruisse nobis visi. Locus ejus vulgo ita circumfertur: 'Reformatorem imperii, et puerulum adhuc, et privatum loci, et Julium Octavium tantum, et sibi ignotum, M. Tullius jam et Augustum, et civilium turbinum sepultorem, de somnio norat. In Vitelliis commentariis conditum est.' Nam quis Vitellios commentarios fando unquam audivit? Ita igitur rescribendum putamus: *de somnio norat; ut in Vitæ illius commentariis conditum est.* Quæ, ut nobis quidem videtur, non conjectura, sed res ipsa est. *Vossius.*

Fuit C. Octavius] Sueton. Aug. III. et IV. Dion. XLV. *Boecler.*

Appellatusque, in ea Imperator] Legendum, *Appellatusque ex ea Imperator, &c.* Nam de hoc ipso Octavio extat vetus inscriptio, in qua est: IMP. APPELLATUS EX PROVINCIA MACEDONIA. *Ursinus.*

In ea] Rhen. *in eam imperator:* antique: Salustius Catilin. 'quod L. Sulla exercitum, quem in Asiam' (ita in veteribus legi et monuerunt quidam, et ipse deprehendi) 'ductaverat.' Fragmenta legis Agrariæ: QVEI. AGER. PUBLICUS. POPVLEI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVCIO. L. CALPVRNIO. COS. Et Thoriæ: QVEI. EORUM. IN. AMICITIAM. POPVLI. ROMANI. BELLO. POINICO. PROXIMO. MANSERVNT. *Schegkius.*

Hispaniensis militiæ] Scribo *Hispaniensi militia.* Suetonius Aug. cap. 8. 'Profectum mox avunculum in Hispaniam adversus Pompeii liberos, per infestas hostibus vias subsecutus, magno opere demeruit.' *Lipsius.*

Hispaniensis militiæ] Lipsius malebat *Hispaniensi militia.* Mihi nil mutandum videtur, sed nec Hellenismus hic existimari debet, cum haud dubie 'comes Hispan. mil.' clare et simpliciter dicatur. Suet. Aug. 8. *Boecler.*

Paratis] Vulgo, *pacatis.* *Pacatis*] Aldus, *patratis;* alii, *peractis.* Ego nihil mutandum censeo. Nam bella civilia pacata potius, quam patrata aut peracta erant. Quod verius dici potuisset, 'nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset;' ut utar verbis Flori lib. IV. 3. *Vossius.*

Singularis indolem juvenis] Quid si legamus, *singularis indolis juvenem?*

Apolloniam] Rei militaris et litterarum causa. Appian. Sita in Macedonia ad Mare Ionium, optimis olim institutis et disciplinis. Strabo. *Schegk.*

In studia miserat] Id agente tum fato, ut qui Monarchiam Romanam conditurus esset, omnibus ad tanti fastigii gubernationem artibus instructus accederet. Satis nimirum intelligebat Cæsar, 'indolem' solam, utut 'singularem,' non sufficere ad absolvendum singularem virum; nisi accedant liberales disciplinæ, id est, solida rerum gerendarum instrumenta. Operæ pretium est autem inspicere Dionis verba, qui lib. XLV. p. 307. emphatice describit studia, quibus Augusti ingenium ad summæ fortunæ cultum excitatum eruditumque est. Primo universim memorat, *Julium studuisse, ut Octavius ad gerendam remp. erudiretur, et in omnibus iis recte institueretur, quibus indiget, qui tanto imperio digne functurus est:* ὁ Καῖσαρ οὖν μεγάλα ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσας, ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε, καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάνθ' ὅσα προσῆκεν τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ' ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπῆρχεν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. Postea sigillatim quæ-

dam nominat: *Λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ ἠσκεῖτο· καὶ ἐν ταῖς στρατείαις ἐρρωμένως ἐξεπονεῖτο, τά τε πολιτικὰ καὶ τὰ ἀρχικὰ ἰσχυρῶς ἐδιδάσκετο: Exercebatur etiam in studio eloquentiæ, non modo ad Latinæ, sed et ad Græcæ linguæ promtitudinem. Laboribus militiæ strenue insuescebat: denique quidquid ad remp. gerendam imperiaque et magistratus administrandos pertinet, egregie condiscebat.* An habemus totam et exempli loco commendandam ejus informationis descriptionem, qua summis publicisque rebus nata ingenia præparari debent? In Disciplinis, *τὰ πολιτικὰ καὶ ἀρχικά*, uno verbo studium Politices; quod cum latissime pateat, imperandi præsertim artes hic complectitur: in Linguis, eloquentiam Græcam Latinamque: in Exercitationibus, opus militiæ: in Apparatu subsidiisque, quidquid juvare prudentiam, aut dignitatem ornare, vel commendare elegantiam principalis fastigii potest. Modum præterea rationemque institutionis, non ad scholam aut umbram, sed ad lucem et vitam tendentis præclare indicant illa: *τὸ ἀκριβῶς, τὸ ἐρρωμένως, τὸ ἰσχυρῶς*, quibus et *solide*, et *strenue*, et *efficaciter* geri in hoc negotio omnia debere, ostenditur. Vide quæ Lipsius disserait ad lib. I. Polit. suorum, cap. 10. Tetigimus etiam id argumentum in comment. Nepot. p. 43. *Boeclerus.*

De cæde avunculi] Monui, frequenter cognationum gradus confundere scriptores: ut, consobrinum cum sobrino, hic, avunculum cum avunculo magno. Itaque Suet. c. 8. ‘ Profectum mox avunculum in Hispanias adversus Cn. Pompeii liberos:’ et c. 10. ‘ Nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicare.’ Epitoma Livii: ‘ut sibi adversum avunculi percussores adesset.’ *Schegk.*

Salvidienus] Ita Rhen. Gryph. et Sueton. Aug. Livii Epitom. Quod Schegkio placet, præ illo *Salvidenus*, quod est in Aldi editione. *Salvidienus*] [Placuit hæc vocabuli scriptio, quia et antiqui ita nominant, præ illo Manutii, *Salvidenus.*] Credo istum esse cui gregem pascenti flamma e capite emicuit, et quem consulatu bonestavit Augustus, Suetonius c. 66. Dio lib. XLVIII. *Schegk. Salvidienus*] Ita legendum, non *Salvidenus*, ut ediderat Aldus. Vide Suetonium in Augusto, Dionem lib. XLVIII. Epitomen Livii, lib. CXXXIII. Ubi perperam Carolus Sigonius *Salvidienium* substituit, vitiosos Suetonii codices secutus. Apud Appianum tamen de bellis Civilib. III. legitur etiam *Σαλουιδηνός*. Sed mendose. Nam a Salvidius est Salvidienus, ut a Nasidius Nasidienus, a Gallius Gallienus, et similia. *Vossius.*

Omnem ordinationem] Alii *ordinantem*. Wecheliana editio *ordinem*. *Omnem ordinationem*] Alii *ordinem*. Sed non video cur vetus lectio mutari debeat. *Vossius.*

Solis orbis, &c.] [Radiatum antem caput divinitatis signum.] Elegans locus de capite radiato sive radio, qui proprius Deorum. Pacatus: ‘Si olim severi credidere majores, Castores geminos albentibus equis et stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremque Thessalicis aquis abluentes.’ Suetonius August. cap. 94. ‘Sequenti nocte statim videre visus est, filium mortali specie’ (hic nota seorsim ire in præsagio a Velleio) ‘ampliorem, cum fulmine et sceptro exuviisque Jovis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus.’ Lucanus: ‘Fulminibus manes, radiisque ornabit et astris.’ Et postmodum principum, a Julio Cæsare, cui populus inter alios etiam hunc honorem tribuit. Florus: ‘Circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona: suggestus in curia, fastigium in domo. Augustus vero serio se

templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli voluit.' Tacito Ann. I. 10. teste, effigie præcipue Jovis. Lipsius ibi. Cansam colliges ex adducto Suetonii loco. Exinde mos transmissus ad posteros. Plinius in Paneg. 'Horum unum si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, et media inter Deos sedes auro staret, aut ebore.' Panegyr. Maximiano dictus: 'Trabeæ vestræ triumphales, et fasces consulares, et sellæ curules, et hæc obsequiorum stipatio, et fulgor, et illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcerrima et augustissima.' Lucanus in Alexandro, Erasmo interprete: 'Romam urbem repetes, et claras Tibridis undas, Vertice serta gerens radiis distincta serenis.' Ad formam refero illud magni vatis: 'Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.' Silius Ital. lib. III. 'Hospitia excipiunt cœli, solioque Quirinus Concedet, mediumque parens fraterque locabunt. Siderei juxta radiabant tempora nati.' *Scheglcius. Solis orbis, &c.*] Sueton. August. 95. 'Post necem Cæsaris, reverso ab Apollonia et ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit.' Dio XLV. pagina 308. *εἰς γὰρ τὴν Ῥώμην ἰόντος αὐτοῦ, ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν: Ingrediente eo urbem, iris magna et varia totum solem ambivit.* Seneca ita describit quæst. natural. I. 2. 'videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui sidera circumnectit. Memoriæ proditum est, quo die divus Augustus urbem ex Apollonia reversus intravit, circa Solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Græci Halo vocant, nos dicere Coronam aptissime possumus:' et paulo post, 'Aream' vocat. Plinius II. 28. 'cernuntur et circa solis orbem seu specie coronæ et versicoloris circuli: qualiter Augusto Cæsare in prima juventa urbem intrante post obitum patris ad nomen ingens capessendum.' Adde Obsequent. c. 128. *Boecler.*

CAP. 60. *Nomen invidiosæ fortunæ*] Adit nomen, qui testamento adoptatus nomen suscipit, quod ferre jussus est. Lucem a Cujacio pete Observat. 7. *Scheglcius.*

Et Cæsari] Vis peculiaris voculæ *et* inest. Maluit primo ut avunculo, deinde ut Cæsari, tanto viro et tali, de se credere, quam vitrico, non ea forte (ut solet non minor sæpe vitricorum quam novercarum esse malitia) in privignum voluntate, neque ea prudentia et judicio. *Acidal.*

Semetipsum] Legendum videtur, *Sibimet ipsum videri indignum, &c.* nam præcedit, *Quo nomine Cæsari dignus esset visus, &c.* Ursinus.

Vixque admisso] Vide historiam illius congressus colloquiique apud Appian. III. *ἐμφυλ. Boecler.*

Velut insidiis ejus petitus] Plutarch. in Anton.

Antonii ac Dolabellæ] Quæ duo capita 'nata esse post homines natos teterrima et spurcissima, Tullius inquit, II. Philipp. *Acidal. Antonii ac Dolabellæ*] Nemo ista clarius annotavit Appiano III. *ἐμφυλ.* qui et ipse consilium *δυναστείας μοναρχικῆς* Antonio tribuit: tacitamque Dolabellæ, quem Senatus Antonio opposuerat, cum eo collusionem memorat. Ita tum erant tempora: quibus Senatus factionum compressionem mandabat, ii ad factiosos transibant, suæque studentes potentiæ, nihil pensi moderatique habebant. *Boeclerus.*

HS. septies millies, &c. ad ædem Opis] Delemus *τὸ ædem*, idque paullo verius, quam Bataviæ lumen alterum Had. Junius *τὸ septies.* Nam inductus a Plutarcho, qui in Antonio 'quattuor' modo 'millia talentum' in hac re numerat, vult hic fuisse *HS. millies:*

quod respondet Græcanicum illi summa. Sed vere inductus. Cicero nonne aliquoties eum Velleio? ut Philipp. III. 'Ubi est septies millies, quod est in tabulis, quæ sunt ad Opis?' Iterum: 'Septies millies falsis proscriptionibus donationibusque avertit.' Atque alibi vocat 'pecuniam maximam:' et, 'pecuniam innumerabilem.' *Lips. HS. septies millies, &c. ad eadem Opis*] Recte se habere hunc numerum Lipsius ex Cic. Philipp. II. contra H. Junium probat: sed quod Idem delet *eadem*, non video quid causæ habeat, cum præsertim etiam Cicero Phil. II. ita loquatur. *Boeclerus.*

Insertis falsis] Vulgo, *insertis falsis civitatibus. Insertis falsis*] Ita ediderat Rhenanus aliique. Lipsius mallet *commutatisque et corruptis.* Aldus, *insertis falsis, sublatisque.* Ursinus existimat retinendam veterem lectionem: *insertis falsis civitatibus, corruptisque commentariis.* Mihi ne sic quidem satis persanatus videtur locus; cujus scilicet manet insolens adhuc, et suspicionem corruptionis præfert structura. De re ipsa Cic. in Philipp. et Appian. III. *ἐμφυλ.* p. 529. πολλὰ δὲ πολλῶν χάριν προσετίθει, καὶ ἐθωπεύετο πόλεσι, καὶ δυνάσταις, καὶ τοῖσδε τοῖς ἐαυτοῦ φρουροῖς, καὶ ἐπεγράφετο μὲν πᾶσι τοῖς αἰτοῦσι τὰ Καίσαρος ὑπομνήματα, τὴν δὲ χάριν οἱ λαβόντες ἤδεσαν Ἀντωνίῳ: *Multa in multorum gratiam adjecit, civitatibus, dynastis, suisque custodibus gratificans: et præferebantur quidem Cæsaris commentarii, quasi perscripta in iis hæc omnia essent; sed qui acceperant, Antonio se debere gratiam, facile intelligebant.* Boecler.

Corruptis] Video ab aliis edi *indubitateque corruptis*: anne a conjectura? Fas et nobis ea uti, *commutatisque et corruptis.* Lipsius.

Atque omnia pretio, &c.] Malim *itaque*, vel, si videbitur, *adeoque.* Nam expressum minime placet. De re frequentissime vehementissimo cum stomacho Tullius in Philipp. quarum secunda: 'Cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent venalia.' Ibid. 'Cujus domus quæstuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissima nundinæ.' Ibid. 'Neque vectigalia solum, sed etiam imperium pop. Rom. hujus domesticis nundinis imminutum est.' Ibid. 'Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor.' Item III. 'Una in domo omnes quorum intererat totum imperium Pop. Rom. nundinabantur.' Item V. Sed quorsum Ciceronem exscribemus? cujus integræ potius orationes, quam frusta legantur. *Acidalius.*

Temperata] Videndum an pro *temperata* legendum sit *temptata.* Ursin.

Vendente Remp. Consule] Quo nomine Cicero eum graviter exagitat in Philippicis. *Boecler.*

Idem provinciam] Vide omnino Cic. Philipp. II.

Interque naturaliter dissimillimos] Distinctio exemplarium vitiosa hic est. Non enim intelliguntur Antonius et Dolabella (quippe qui ex dissidio, communione διαφορᾶς τυραννικῆς, in gratiam redierant, parique voluntate dominationem moliebantur, ut antea dictum est) sed Antonius et Cæsar Octavius. Unde mox cum notatione causæ sequitur: 'eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.' Distinguendum ergo: *Dolabella transmarinas decrevit sibi: interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentes crescebat odium: eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.* Est autem eadem sententia, qua supra de Clodio et Cicerone dixit: 'quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?' II. 45. *Boecler.*

CAP. 61. XIX. *annum*] Alii legunt XIIX. male: vide Tacitum lib. XIII. *Manut.* XIX. *annum*] Bene viri docti observarunt, ambitiose ita loqui Vel-

leium, quod jam XIX. annum ætatis propemodum Octavius confecisset. Pessime autem Florus lib. IV. 4. 'Intra decem et octo annos' Cæsarem hoc tempore fuisse scribit. Verissime ipse Augustus in monumento Ancyrano, ANNOS VNDEVIGINTI NATVS. *Vossius.*

Calatia] Campaniæ oppidum, sicut et Casilinum.

Veteranos excivit paternos] Hinc 'evocati' dicti, quod missi militia rursus ad eam convocarentur. Dio. Plura statim scribo. *Schegk. Veteranos excivit paternos*] Similiter Epitome Livii libro CXVII. 'Cæsar Reip. vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit.' Ubi malim *excivit*, ut in Velleio. *Vossius. Veteranos excivit paternos*] Quæ hic noster memorat, latius exposita vide apud Dion. XLV. p. 813. et 814. Appian. III. ἐμφυλ. p. 552. Hoc quoque a Prudentibus reprehensum est in actionibus Augusti apud Tacitum A. I. 10. 1. 'cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos.' *Boecler.*

Exercitui] Non placet Popma, qui e sola conjectura edere non dubitavit, *exercitu*. Vulgata lectio omnino retinenda est. Non enim Antonius occurrit Cæsari, sed exercitui, quem ex Græcia acciverat. Hoc esse verum, liquet ex Ciceronis Philippicis, Appiano, Dione, aliisque. *Vossius.*

Legio Martia et Quarta] Quarum mentio apud Ciceron. Epistol. libro ad Plancum. De Legionum nominibus non exscribo Dionem, litteratissimum Stewechium ad Vegetium, Goltzium, alios quis hæc cura curata. *Scheglius. Legio Martia et Quarta*] Non *Tertia*, ut te docebit Cicero in Philipp. et Appianus Bel. Civil. III. Meminit hujus legionis etiam auctor fragmenti perperam Velleio adscripti; item inscriptio apud Gruterum, in qua expressum, LEG. MARTIA VICTRIX. Inveni etiam in Glossario nostro Ms. *Legio Martia, quasi numerus militum Marte consecratus.* Ubi *Marti* legendum quivis videat. *Vossius.*

Equestri statua] De hoc equestris statuæ honore a Senatu C. Cæsari decretæ, extat mentio apud alios etiam scriptores. At non a Senatu, sed a populo Rom. decretum eum honorem fuisse, apparet ex argenteo denario, in quo adjecta est inscriptio, POPVLI IVSSV; quamvis in alio etiam simili denario, S. C. inscriptio posita sit. Ut videri possit duas C. Cæsari adolescenti equestres statuas decretas fuisse, unam a Senatu, alteram a populo Romano. De ea quam decrevit Senatus, præter denariam, in quo est S. C. meminit hoc loco Velleius, et Cicero etiam in epistola ad Brutum XV. et ad Q. Fratrem lib. III. De ea vero quam populus Romanus posuit, argenteus item Augusti denarius extat, in quo diximus inscriptum esse, POPVLI IVSSV. *Ursin. Equestri statua*] Ita etiam narrant alii scriptores. Et fatetur Ursinus, extare denarios in quibus hæc equestris statua conspicitur, adjecta inscriptione, S. C. Objicit contra, quod in argenteo denario legatur, POPVLI IVSSV. Itaque existimat, duas Octavio adolescenti equestres statuas esse positas, alteram ex S. C. alteram POPVLI IVSSV. Quod non displicet. Sed videtur tamen Ursinus tempora non bene distinxisse. Satis enim constat, honorem equestris statuæ tributum Cæsari proprætori, consulibus Hirtio et Pansa. At vero, quod eodem honore populus eum ornaverit, id videtur factum ipso jam triumviro. Hoc liquet ex argenteo numismate apud Occonem, quod equestrem figuram exhibet cum hac scriptura, POPVLI IVSSV. In altera vero parte caput Cæsaris cum literis circum, C. CAESAR III. VIR. R. P. C. *Vossius. Equestri statua*] De honoris hujus præcellentia tractat Herm. Hugo milit. equestr. V. I. *Boecler.*

Propratore] 'Demus imperium Cæ-

sari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: sit proprætore eo jure quo qui optimo.' Tullius Philipp. v. Manutius hic legit *propræterem*. Schegk. *Propræture*] Ita legendum esse pridem animadvertit Robortellus in emendat. II. 23. sive potius Sigonius. De bello hoc Mutinensi vide Flor. IV. 4. et quos ibi Camers notavit: quibus adde præsertim Dionem XLVI. *Boecler.*

Consulibus designatis] A Cæsare, recte et ordine capies. *Schegk.*

Vicesimum] Parum attente; malim *undevicesimum*, argumentum a consulatu. *Idem. Vicesimum*] Legendum, *id ab eo, &c.* Quod Ursino, aliisque etiam, observatum. Pro *vicesimum* autem Schegkius malebat *undevicesimum*. Sed retinenda lectio vulgaris, nisi monumentum Ancyranum damnemus, quod paullo ante laudavimus. Nec argumentum a consulatu magni est momenti. Scio, advocari posse, quod de Octavio Plutarchus in Bruto ait: Τυγχάνειν ἔλαβεν οὔπω πάνυ μειράκιον ὄν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὃς αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν εἴρηκεν: *Consulatum accepit vixdum adolescens, et vigesimum annum agens, ut ipse in Commentariis retulit.* Vere hoc dictum, sed paullo ambitiosius, quia uno duntaxat die vigesimo minus erat. Velleius infra: 'consulatumque iniit Cæsar pridie quam viginti annos impleret.' *Voss.*

Mutinam] Galliæ Cisalpinæ, in Flaminia quondam Romanorum colonia.

Consulum autem alter in acie] Quis rumor de morte consulum percrebruerit, ex Tacit. A. I. 10. 2. Sueton. Aug. 11. Dion. XLVI. p. 360. satis constat. *Boecler.*

CAP. 62. *Omnia ante, &c.*] Quæ in hoc capite habentur, vide apud Dionem lib. XLVI. Appian. III. ἐμφυλ. Liv. Epit. CXIX. *Idem.*

Quicumque his se] Non displicet: interdum tamen in mentem venit scripsisse Velleium, *laudati, quicumque hinc exercitus tradidissent.* Manut.

Reip.] Vulgo *Respubl. Reip.*] Melius *reip.* ut Gryphio, Marneffio, et aliis editum. *Vossius.*

A volentibus] Forma sermonis non protrita et concalcata. Noster infra, 'Vatiniosque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat.' Livius lib. XXI. 'Grande periculum Lilybæo maritimisque civitatibus esse, et quibusdam volentibus novas res fore.' Sallustius Jugurth. 'uti militibus exæquatus cum imperatore labos volentibus esset.' Tacitus in historiis, 'In verba adigi volentibus fuit.' *Schegkius.*

Quod alieno] Inepte, quasi illa causa aut præscriptio triumphi. Lege, *qui alieno.* Lipsius. *Quod alieno*] Nisi vigilans somnio, legendum, *quem alieno beneficio viveret:* Octavii nempe, a quo Mutinensi obsidione liberatus fuerat. Invidiose hoc Velleius. *Acidal. Quod alieno*] Nescio cur hoc mutatum cupiant. Utique alieno, id est, Cæsaris Octavii beneficio vixit Brutus, cujus milites nihil aliud quam de muro spectarant prælium, sicut in expositione hujus historiæ Dio notat. Itaque illud *quod* ἐμφερικῶς, nec sine ironia, opportune a Velleio usurpatur. 'Decretus est,' inquit, 'Bruto triumphus.' Ob *quas res gestas?* Responderet εἴρων aliquis, quod incolumis evasit, non sane sua aut suorum militum virtute, sed alieno beneficio, et Cæsaris Octavii victoria. Id nimirum erat, ob quod triumphare deberet. *Boecler.*

Pansæ atque Hirtii corpora] Valerius lib. v. 2. 'M. Cornuto prætore funus Hirtii et Pansæ jussu senatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, cum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia hi pro Rep. dimicantes occiderant; perseverantique postulatione extuderunt, ut exsequiarum paratus sestertio numo ipsis addiceretur.' Locum exscripsi ex optimo

codice, olim a me collato. Cujus bonitatis in eodem eximium specimen hoc esto. Lib. VII. 3. vulgatur, ‘Sordida Magorum dominatione oppressa, Darius Rex adjutoribus ejusdem dignitatis assumtis, pactum cum præclari operis consortibus fecit.’ Ita vulgare visum eruditissimo Pighio; Lipsio displicitum. Musæ quam frustra ambo! Noster: ‘Sordida magorum dominatione Perside oppressa, Darius adjutoribus ejusdem dignitatis assumtis, cum eos occidisset, pactum cum præclari operis consortibus,’ et quæ sequuntur. Examussim convenienter. At ne patricias objiciant artes, inspiciant licet editionem Herbipolensem Martini ann. MDVII. quæ fere accedit. Redeo ad Coss. quos Augusti insidiis præter Sueton. alii obiisse innuunt. Hinc Tacit. I. ‘Sive hostes illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, seu milites Hirtium, et machinator doli Cæsar abstulerat.’ *Schegkius.*

Laudandum et tollendum] Vide Ciceronem, Famil. epist. 20. lib. XI. et ad Attic. ep. 5. lib. XV. *Manutius.* *Laudandum et tollendum*] Id est, laudandum aperte, sed occulte e medio tollendum: landandum, ut securus et incautus tolli posset. Quali arte apud Tacitum H. IV. 39. 6. Mucianus Antonium primum opprimit. ‘Igitur Mucianus,’ inquit Historicus, ‘quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluvii Rufi vacuam. Simul amicis ejus tribunatus præfecturasque largitur. Dein, postquam inanem animum spe et cupidine impleverat, vires abolet,’ &c. His insidiis Manlium Valentem Fabius appetiit: ‘secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, et quo incautius deciperetur, palam laudatum.’ H. I. 64. 7. Errasse autem Tullium hac in parte alibi diximus. *Boecler.*

CAP. 63. *Repulsus a M. Lepido*] Minime. Sed probo, quod in editione prima est, *primo spe colloquii repulsus*: id est, dejectus etiam a spe colloquii; quia Lepidus nec miscere sermones cum eo sub initia volebat. Dio clare lib. XLVI. aliique. *Lipsius.* *Repulsus a M. Lepido*] Sic prima editio: adeo ut eis minime auscultandum sit, quibus proditum, in ea legi, *primo spe colloquii repulsus.* Visatur Burerius, visatur Rhenanus; non invenient scripturam hanc secundam. Nata est in officina Gryphii: etsi eam non damnem tamen. *Gruter.* *Repulsus a M. Lepido*] Hæc vera et genuina lectio a Rhenano etiam exhibita, sicut jam Gruterus notavit. Rem ipsam habes apud Dion. XLVI. Plutarch. in Anton. Per ‘colloquia’ autem intelligantur apud Velleium πυκναὶ διαπομπαὶ, sive *crebri internuncii*, quibus Antonius cum Lepido egit, cum Lepidus abnueret diu societatem, teste Appian. III. ἐμφυλ. p. 589. Ergo cum Dio refert, ‘Lepidum ipsum abnuisse colloquia et congressum,’ non capienda sunt colloquia per internuntios, de quibus Velleius et Appianus. *Boecler.*

Per aversa] Aut *aversa* simpliciter renunciatum, *aversam* castrorum partem significat; aut addendum *partem*, legendumque, *per aversam castrorum partem ereto vallo militibus receptus est.* Manut. *Per aversa*] Hæc lectio nobis valde placet; nam *aversa castrorum* Velleius dixit Græca forma, qua multa alia a Latinis prolata esse constat. Posset etiam legi: *Per aversam castrorum portam proruto vallo*, &c. nam *aversam* habet antiqua editio, et verbum *portam* potest videri omissum a librario, qui deceptus sit ex similitudine sequentis vocis, *proruto.* Ursin. *Per aversa*] Sermo transmarinus. Livius, ‘per intima Italiæ vagatus.’ Florus lib. II. ‘Hæc inter diversa terrarum pop. Rom.’ et lib. I. ‘Ad subita belli.’ Noster infra, ‘per

avia itinerum.' Virgil. 'Opaca locorum.' Cassius Parmensis: 'Et chordis indoctus dissona vocis.' Plurimum Tacitus et Horatius. *Schegk.*

Titulo imperii cedebat] Plutarch. καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δὲ ὄνομα καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων: *Et Antonius quidem re ipsa omnia in potestate habebat, Lepido tamen nomen et honorem Imperatoris conservare non desitit.* Boecl.

Juventius] Vide Dion. l. XLVI. Appian. B. C. III. ubi et de Planco ac Pollione. *Idem.*

Gladio se ipse transfixit] Ob quod Senatus laudationem, statuam, publicumque funus decrevit. Dio, Cic. epist. ad Planc. *Schegk.*

Plancus deinde] Est ille, qui discipulus Ciceronis; orator disertus, cujus epistolæ lib. X. Tullii, contra quem Asinius Pollio orationes cum scriberet, ac nollet eas nisi post obitum suum edi, respondisse Plinius in Prologo scribit, 'cum mortuis non nisi larvas luctari.' Præfectus urbi C. Cæsare Dictatore III. Numi apud Goltzium, Consul designatus cum D. Bruto. Arbiter sponsionis Cleopatram inter et Antonium. Auctor Octavio cognominis Augusti. Ejus filius credo fuit, qui Tacito lib. I. cum C. Silio consul. *Idem.*

Se litteris venditans] Exstant litteræ ejus hac de re in Epistolis Ciceronis ad Plancum VIII. *Idem. Se literis venditans*] Plena tum omnia σκήψεων καὶ προφάσεων καὶ παλλιλογιῶν. Coloribus, inquam, prætextibus, sophismatis pleraque agebantur. Vide Planci epist. ad S. Pop. pl. Q. R. apud Cic. epist. X. 8. tum multas ad ipsum Ciceronem in eodem libro, ubi et C. Asinii Pollionis litteræ. *Boecler.*

Firmus proposito] Si Velleii scripturam divinando sum unquam assecutus, heic me frustra minime fuisse arbitror: *firmus propositi.* Merus amor, meræ deliciolæ Nostri, iste sermo: quo et paucis supra lineis usus, 'irritus consilii.' Alibi, 'modicus visum,' et 'immodicus gloriæ,' aliaque similia. Quorum exempla et in aliis scriptoribus plurima, veluti gemmæ insignes, emicant. *Acidalius.*

CAP. 64. *D. Brutus desertus*] Exitum hujus viri scribunt Dio XLVI. Appian. *ἐμφυλ.* extremo, qui illum hospitem Bruti 'Camillum' vocat. Liv. Epit. CXX. ubi 'Capenus Sequanus' pro 'Camelio' habetur. *Boeclerus.*

Cameli] Ita Rhenanus. Schegkius edit *Capeni. Cameli*] Pro *Camelii.* P. Camelium Heraclam, item C. Camellium Africanum Fabianum, habes in Inscriptionibus Gruteri. Schegkio tamen hoc ineptum videbatur. Itaque, aliorum conjecturam secutus, edidit *Capeni.* Credo, quod ita id nominis scribatur in Epitome Liviana lib. CXX. Cui tantum abest, ut assentiam, ut ibi potius *Camelii* scribendum existimem. *Vossius.*

M. Tullius, &c. æternas Antonii memoriæ inussit notas] In eandem sententiam de re eadem ipse Cicero, verbis quoque fere iisdem, Philipp. XIII. 'Quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ.' *Acidal. M. Tullius, &c. æternas Antonii memoriæ inussit notas*] Quibus Philippicarum nomen dedit. Illustre opus, et studiosis gravioris Politicæ diligenter versandum. Vide interpuasorias Senecæ Rhetoris ultimam, in qua, non ad veritatem historiæ, sed ad declamandi exercitium 'Deliberatio' habetur Ciceronis, 'An scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem si fecisset.' *Boecler.*

Tribunus Canutius continua rabie] Tribunus pleb. fuit hoc anno, interdum tamen *Tib. Canutius*, (id ei prænomen fuit) legendum esse cogitavi. Quod quia nihil affert ad sententiam, valde non laboro. *Manutius. Tribunus Canutius continua rabie*] Imo 'honestissimis concionibus,' si credimus Ciceroni Philip. III. Apud Appia-

nam Bell. Civ. lib. III. mendose scribitur, Καρνούτιος. Reponendum, Κανούτιος, ut in Dione. Apud Dionem vero libro XLVIII. in prænomine erratum. Legitur enim ibi, Καρνούτιος ὁ Τίτος. Sed scribe, ὁ Τιβέριος, ut apud ipsum lib. præcedente. Planeque hic idem videtur, qui Suetonio lib. de Clar. Rhet. dicitur 'C. Canutius.' Ut istic quoque prænomen videatur emendandum. *Vossius.*

Vel satiato Antonio] Aptius atque apertius, *velut satiato.* Cremutius Cordus: 'Quibus visis' (capite et dextra Ciceronis) 'lætus Antonius, cum peractam proscriptionem suam dixisset, essetque non satiatus modo cædendis civibus, sed defectus' (corr. *defessus*) 'quoque, pro rostris exponit.' *Lipsius. Vel satiato Antonio*] Multum, si non sanguinis, at certe vigoris detraxeris orationi, reponendo *velut satiato*; quod placuit viris summis. Nam innuere vult, renuntiasse demum proscriptioni Antonium Cicerone oppresso: utpote cujus sanguinem ante ceteros omnes avide sitierat: at enim *velut*, speciem potius innuit, quam rem ipsam. [*Velut* tamen pro *utpote* sumi potest.] *Gruterus. Vel satiato Antonio*] Nihil mutandum, ut bene monuit Gruterus. Cremutius Cordus dicit 'non satiatum modo cædendis civibus, sed defectum fuisse Antonium.' Ubi perperam Lipsius, Scottus, aliique reponunt, *defessus. Defectus* enim est *deficiens.* Phædrus lib. I. fab. 21. 'Defectus annis, et desertus viribus.' Apuleius IV. de Asino: 'vim pondere defectus.' Quem locum ad Phædrum etiam adducit Schoppius: sed male utrobique reponit *defessus.* Similiter loquuntur Valerius Flaccus, Martialis, aliique. Nil itaque certius. *Voss.*

CAP. 65. *Jacta*] Videtur mihi legendum, *facta mentio. Burrerius. Jacta*] Sallust. Jugurth. 'Inter alia jacit.' Tacitus historiis: 'Jacere fortuitos sermones.' Et, 'Si qua dicordes jecissent.' Manutius, *facta*, Burr. conjecturam secutus. *Schegk.*

Cum Antonius subinde Cæsarem admoneret] More suo hic Velleius brevi expositione magnæ amplitudinis historiam complectitur. Ceterum de hac conspiratione Triumvirali, quam potentiæ societatem, id est, δυναρχίαν, Velleius vocat, secutaque proscriptione, diserte Florus IV. 6. et quos Camers adscripsit Auctores. Quibus omnino addendus est Dio, qui fine XLVI. et principio XLVII. accuratissime describit omnia; et præsertim ipsa consilia Triumviralis coitionis, ut et rationem illam status, quam secuti sunt, qui nihil jam præter suam potentiam curabant cogitabantque, μάλα πολιτικῶς explicat. *Boeclerus.*

Debere. tum] Vulgo legitur *debere. tur.* Mihi rescribendum videtur, *debere. tum inita*; vel, *tunc inita.* Sed non usquequaque displicet conjectaneum Rhenani, *Igitur inita.* Burrer.

Inita potentiæ societas] Factum autem hoc apud Confluentes circa Bononiam et Mutinam; ut constat ex Appiano, Dione, et aliis. Florus lib. IV. cap. 6. sic ait: 'Apud Confluentes inter Perusiam et Bononiam, jungunt manus.' Sed et hic, et alibi, se plane ἀγεωγράφητον ostendit. Nam Confluentes, de quibus loquitur, a Perusia facile distant spatio XC. milliarium Italicorum, aut ultra. *Vossius.*

Pridie quam viginti annos impleret] Contra leges annarias seu annales distincte Dio. De ætate Augusti cum consulatum iniret, fere consentit Sueton. scribens, XX. ætatis anno invasisse, quod de anno vicesimo primum cœpto capiendum patet hinc. Natus Cos. Cicerone 9. Kalend. Octob. Interfectis Hirtio et Pansa suffectus Consul, 10. Kalend. Octobr. 1. quæ si ad calculum revocaveris, numerabis 20. annos, uno die minus; ideoque exacte Noster. Dio tamen destruit; qui vita excessisse Augus-

tum 14. Kalend. Septemb. qua die quondam primum consulatum iniret, statuit; videoque sequi Lipsium ad I. Taciti. *Schegk.*

X. *Kal. Octobres*] Puto errare Velleium. Sextili enim mense Augustus primum consulatum iniit: ut liquet ex SC. apud Macrobium Saturnalium lib. I. c. 12. et Dione Cassio l. LV. *Vossius.*

Annis DCCIX.] Lege DCCXI. *Manut.* *Annis* DCCIX.] Adi Sigonium comment. in fast. et triumph. Rom. ad ann. DCCX. et Onuphr. Panvin. comment. in lib. II. fast. ad ann. DCCXI. *Beecler.*

Vidit hic annus Ventidium] Hunc locum illustrat Valerius lib. VI. c. 9. quem consulas historia apud Dionem lib. XLIII. Agellium lib. XV. c. 4. Plutarch. Antonio, Appianum Bel. Civil. et Parthico. Plin. lib. VII. *Schegk.* *Vidit hic annus Ventidium*] Vide Dion. fine XLIII. et lib. XLVII. p. 382. Val. Max. VI. 9. 6. Gell. XV. 4. Appian. Parth. Plut. Anton. *Beecler.*

Picentium] Picenum Italiæ regio.

Consularem pretentam jungentem proetoria] Cum enim prætor esset, consul factus est. Vide Dionem lib. XLVII. et Fastos. *Manut.*

Prætoria] Lipsius, *Prætorias*. *Prætoria*] Omnes fere uno agmine, emendandum censent, *prætorias*. Falluntur. Est enim ἔλλειψις τοῦ *cum*. Infra: 'Diu clementia luctatus sua Cæsar.' Item: 'Quam professione ejus, qua semper usus erat, congruebat.' Quamquam et illi loci ferrum criticum effugere non potuerint. Sed injuria. Ἔλλειψιν etiam aliarum præpositionum Velleio familiarem esse, alibi ostendimus. *Voss.*

CAP. 66. *Emeruissent*] Alias, *demeruissent*. Rhenanus.

Repugnante Cæsare] Sueton. Aug. 27. 'In triumviratu,' inquit, 'restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit.' De Ciceronis proscriptione seorsim, 'repugnasse collegis per biduum, tertioque demum die concessisse' auctor est in Ciceronis vita Plutarchus. De cetero excusat Augustum Dio XLVII. p. 377. omnemque crudelitatis triumviralis invidiam in collegas ejus rejicit. Utri credimus, Suetonio an Dioni? quorum neuter sine auctoritate et argumentis agit. *Beecler.*

Coactus est] Video te, Velleï, servire temporibus. Verius enim Suetonius, de Octavii crudelitate contra proscriptos. *Manutius.* *Coactus est*] Notat Manut. Velleium servire tempori. Pro Velleio Dio lib. XLVII. *Schegkius.*

Aut ab illo] Lipsius legit *ab ullo*.

Vox publica] Lingua, qua Cicero velut publicam vocem edidit.

Nihil tamen egisti] Hanc egressionem Velleianam non immerito, etiam eloquentiæ nomine eximiam prædicavit Rhenanus. Ceterum de exitu et elogio Ciceronis auctores plerique jam sæpius nominati, quibus adde omnino, e suasoriis Senecæ ultimas; ubi tum cetera magnifice, tum hoc verissime dicitur: 'in Ciceronis laudes sequendas Cicerone laudatore opus esse.' Adde Plin. VII. 30. Pontan. Philocal. VI. 22. *Beecler.*

Numerando] Popilio Lænati.

Auctoramentoque] Sumitur hoc vocabulum pro obligatione, et pretio ejus, qui sit obligatus.

Irritando] Lipsius *invitando*. *Irritando*] Alii, *invitando*. Male. Q. Haterius apud M. Senecam Suasoria VII. 'Non feres, inquam, et iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies.' *Vossius.*

Miseriorem] Vulgo, *inferiorem*. *Miseriorem*] Si alias legitur, *inferiorem*; verosimile est fuisse in autographo *infeliciorem*. Gruter.

Forte vel providentia] Dubitatio hæc gentilis est.

Quam cadet] Vulgo, *cedet*. *Quam cadet*] Apparet hic aliquid deesse;

forte legendum est, *quam hujus nomen cadet*. Rhenan. *Quam cadet*] Mendosum hoc esse, omnes fatentur. Alii alia addunt. Patet, nihil addendo, minima fere mutatione, ita legi: *citiusque in mundo genus hominum concidet*. Manut. *Quam cadet*] Paullo Manutio placuit, *genus hominum concidet*. Nos explemus, *quam ea cadet*. *Ea*, nempe laus Ciceronis, de qua prædictum. Vide textum. Universus autem hic locus expressus ab Arellio Fusco: 'Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu usus literis, honor summæ eloquentiæ pretium erit, quamdiu rerum naturæ aut fortuna steterit, aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebis ingenium, et uno proscriptus sæculo proscribes Antonium omnibus.' Ubi παράφρασις legi velim: *honor scientiæ, eloquentiæ pretium erit*, elegantius magisque membratim, atque etiam verius, quia non honos tantum eloquentiæ pretium, sed opes et fructus. Scribo item: *rerum naturæ aut forma steterit*: non *fortuna*. Lipsius. *Quam cadet*] Lacunulam alii aliter atque aliter explent. Mihi videtur, Tullii cognomen una litera fuisse expressum, ideoque mox intercidisse. Belle profecto omnia cohærent, si legatur, *citiusque in mundo genus hominum, quam Cicero cadet*. Gruter.

Cap. 67. *Potuit*] Abest vet. editioni illud *potuit*: recte. *Lips.* *Potuit*] Superfluum forte, ut placet viris in hac literatura eminentissimis, vox *potuit*: sed non ideo etiam temere expunxerim; comparet enim in editionum omnium prima, neque aliter fuisse in authentico, inde colligamus, quod Burrerius tantum subnotet in eo conspici, *nec deflere*. Si licet et mihi indulgere conjecturæ, malim, *nec deflere quidem quisquam digne potuit, nedum exprimere verbis*; omisso illo postremo, *potest*. Gruterus.

In proscriptos fidem] Copiose Appianus.

Ne quid ulli] Scribo *ullibi*. Lipsius.

Velut in dotem invitamentumque sceleris] Per mutuas dominationis pactiones nimirum, et διαλλαγὰς τῶν δυναστειῶν, quas Dio vocat: qui non tantum hanc atrocitatem, sed etiam, quæ Velleius 'de fide uxorum, servorum,' &c. tetigerat, exemplis memorabilibus illustrat lib. XLVII. ut et Appian. IV. ἐμφυλ. ubi amplius liberorum in parentes impietas annotatur. *Boecler.*

L. Cæsarem avunculum] Dio l. LVI. 'L. Antonium Cæsarem' vocat. Sed gentile Antoniorum nomen videtur irrepsisse. Bene fecit interpres, qui omisit. *Vossius.*

De Germanis] Captatur acumen ex ambiguo, ut nomen gentis videatur, quod alterius gentis nomini opponitur, cum interim significentur fratres, in illo versu. Intelliguntur autem hoc loco adoptivi fratres. Vide Rutgers. Var. Lect. I. 9. et not. ad Nepot. in Cimon.

Duo triumphant consules] *Designatos* intellige *consules*. Vide Sigon. comment. in fast. et triumph. R. ad ann. DCCX. *Boeclerus.*

Cap. 68. *Neque enim persona umbram actæ rei capit*] Umbrosum hoc sane, quid si et mendosum? Arbitror, et emendem: *umbram ac tenebras capit*. Non ille Cælius, inquit, homo genere ingenioque nobilis, qui latere in umbra silentii ac tenebris debeat. Extraham etiamnunc, etsi aliena loca et tarde. *Lipsius.*

Dum in acie Pharsalica Africaque] Considera, falsum reperies hunc contextum. Tempus seditionis Cæliana indicare voluit; an hoc igitur, cum Cæsar in Pharsalia et Africa dimicat? De Pharsalia, verum est: sed de Africa, certe diu post Cælii motum et mortem illud bellum. Quin præcessit Ægyptium sive Alexandrinum, alterumque cum Pharnace. Denique Cæsar etiam interea in urbe. Omnino falsa hæc signatio: per Vel-

leianamne incuriam, an scriptoris? Hunc culpari mitius est, et *εὐστόχως* fortasse emendem, *dum in acie Pharsalica circaque*. Nihil proinus, quam *Africum* ex eo fecisse, si littera finalis adhæsit, ut solet, capiti sequentis. Interpreter autem: Dum Cæsar in Pharsalia pugnat et circa, nempe ad Dyrrhachium vicinisque locis oppositus Pompeio. Pugnas autem et ibi aliquot fuisse, notum. Quod tueri vulgatum aliquis conetur, quasi de Africano bello Curionis in Jubam et Varum sentiat: frustra sit. Nam nec 'Cæsar' ibi 'dimicavit:' nec certe 'de summa rerum:' quod utrumque hic scriptum. *Lipsius. Dum in acie Pharsalica Africaque*] Lipsius reponit, *in acie Pharsalica circaque*. Potest tamen vulgata defendi. Licet enim tum in Africa ductu non militabat Cæsar, tamen auspicio, et per suos. 'Atque non de summa rerum,' inquis. Imo vero: de summa rerum ἀπὸ κοινοῦ refertur ad Pharsaliam Africamque, ut fortasse sufficeret, sensum phraseos præcise ad unum membrum determinari, licet *σύνταξις* ad utrumque congruat, qualia exempla non desunt. Sed quid argutamur? Utique etiam tum per suos de summa rerum dimicavit Cæsar in Africa: nisi quis credat, summam rerum ad Cæsarem venire potuisse, partibus Pompeianis tam valide bellum alibi sustentantibus. De seditione M. Cælii sive Cæcilii Rufi ut et Milonis, vide Dion. XLII. p. 219. et 220. Liv. Epit. III. Cæs. B. C. III. *Boecler.*

M. Cælius] 'Cæcilium Rufum' Livius lib. III. corrupte. Cæsar Bell. Civil. lib. III. 'Iisdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus prætor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum, juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit.' *Schegk.*

Ingeniose nequam] Nam et ita de Curione supra: 'Suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam.' *Acidal.*

Cum ne modico quidem] Vulgo, *in modica. Cum ne modico quidem*] Alii aliter. Ego quoque, si est indulgendum conjecturæ, legerem, *Cum ne modica quidem re servari posset.* Nulla enim ei res erat, quod ostendunt verba, quæ sequuntur. *Manut. Cum ne in modica quidem*] Gryph. et alii, *cum ne a Diis quidem servari posset.* Bene ad sententiam, non ad verba: persuasum mihi ab audaci correctoris manu esse, qui ad illud Plauti Terentiique, 'Ipsa si salus, Jupiter, Juno, Ops, servare cupiat, non possit,' respexerit. *Schegkius. Cum ne modico quidem*] Ita castigandum. Frigent hic plane aliorum conjecturæ: quas cui bono recenseam. *Vossius.*

Quippe pejor illi res familiaris] Et hoc idem infra de Rufo Egnatio repetit, solemni sui ipsius imitatione. 'Cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret.' *Acidal.*

Auctoritate Cos.] Hoc valet, *Consulum.* Atqui, ne juventus erret, *Cos.* sive *Consulis* scribendum est, quia unus Servilius tunc in urbe, cui Cæsar collega, sed absens et in bello. *Lipsius.*

Haud magis] Quantum ex vetusto codice conjicere potui, legendum videtur, *In urbe seditionem, magis autem occulte bellicum tumultum movens. Burr. Haud magis*] Argutabar, *in agris occulte.* Nam ita res fuit, Romæ seditionem, in agris bellum movebat per Milonem. Cæsar lib. III. 'Clam nuncüs ad Milonem missis, evocatoque in Italiam: eum in Thurinum ad solicitandos pastores præmisit.' *Lipsius. Haud magis*] Hæc lectio et distinctio est a vet. exemplari. Alii tamen malunt, *aut magis occulte bellicum tumult. m. Boeclerus.*

Thurios] Urbs hæc in Salentinis.

Incepto pari] Minime habuerim pro lectione meliori conjecturam rescri-

bentium, *interfecto pari, similis*. Sic enim perit auctori dogma suum, quo innuit, eosdem sortiri eventus, qui similibus auspiciis res minime similes exorsi sunt. De Cælio et Milone sic breviter Epitoma Livii CXI. 'uterque cum bellum molirentur, interempti sunt.' *Grut. Incepto pari*] Lego in *capto pari, &c.* Epitoma Livii, lib. CXI. 'Uterque cum bellum molirentur, occisi sunt.' Acidalius conjecerat *interfecto pari*. Quod merito refellit Gruterus. *Vossius.*

Compsam in Hirpinis] Cæsar ad 'Cosam' scribit interfectum in 'agro Thurino.' Etiam Eusebius, sed a nobis corrigendus: 'M. Cælius Prætor, et T. Annius Milo exsul oppressi, res novas in Tiriano Brixioque agro molientes.' Scribendum, *in Thurino Brutioque*. Lipsius. *Compsam in Hirpinis*] Quid putidius, quam hic cum Cluverio intrudere, *Cassanum in agro Thurino oppugnans?* Nititur tamen se defendere auctoritate Plinii Nat. Hist. lib. II. cap. 55. Addit præterea majorem fidem Cæsari habendam, quam Velleio; cujus verba ex III. de bello civili ita emendat: 'Milo, quibusdam solutis ergastulis, Cassanum in agro Thurino oppugnare cœpit.' Ubi omnes quidem codices, tam Mss. quam impressi, habent *Cosam*. Quorum auctoritate motus, nihil temere mutare ausim. Per *Cosam* vero intelligimus eandem urbem, quæ Velleio *Compsa*. Nam hodieque appellatur *Cosa*. Scio quidem, illam esse Hirpinorum proprie, non Thurinorum. Sed tuetur me satis Strabo lib. IV. qui, ubi studiose de his gentibus agit, fatetur, eas vix certis terminis posse distingui. Unde etiam est, quod Compsam Lucanibus attribuat Ptolemæus. Nec minus vulgatam Cæsaris scripturam firmant verba Eusebii, qui palam in Thurinis id factum refert. Sic enim ille, in Chronico: 'M. Cælius prætor, et T. Annius Milo exul, oppressi, res novas in Thurino Brutioque agro molientes.' Multo autem infirmior Cluverii argumentatio petita ex verbis Plinii, qui loco jam ante memorato, Milonem apud 'castellum Carissanum' perisse tradidit. Restituebat ille, *Cassanum*. Sed cur non eodem jure mihi reponere liceat, *Cossanum*, aut *Compsanum*? Denique quo sana esse Velleii verba magis constet, addo, falsum esse, quod scripserat Cluverius, narrationem Cælii præcedentem multis esse verbis mutilatam. Non tamen leviter corruptam fuisse negem. *Vossius.*

Ultra sortem temerarius] Magis audax scilicet, quam pro conditione exsulis, cujus est jacere fere, nec attolli. *Lips.* Legitur etiam *ultra fortem. Ultra fortem temerarius*] Id est, temerarior quam fortior: sic Noster infra cap. 83. 'et infra servos cliens:' et cap. 88. 'mollitiis ultra feminam fluens:' denique cap. 118. 'ultra barbarum promptus ingenio.' Alii revocant conjectaneum Rhenani, *et ultra sortem temerarius*; sed non video, cur Miloni exilium moderari debuerit temeritatem, homini feroci, et alteri, ut dicam, Coriolano. *Gruter.*

Adversus C. Cæsarem] Julium Cæsarem capies. Quod non monerem, nisi fuissent, qui Augustum intellexisse viderentur. Adi Valerium Maximum lib. V. cap. 6. Suetonium in Cæsare, et Dionem lib. XLIV. *Vossius.*

Marullum Epidium, &c.] Sueton. Cæs. LXXIX. Val. Max. V. 7. 2. Plut. Cæs. Appian. *ἐμφυλ.* II. sed nemo accuratius Dione XLIV. p. 277. *Boecler.*

Flaviumque Cæsetium] Duo gentilitia nomina non debent conjungi. Bene ergo in Gryphiana, et aliis quibusdam editionibus, emendatum est, *Flavumque*. Flavi autem cognomen Cæsetio tribuunt Livius, Suetonius, Plutarchus, aliique. Nam in Dione lib. XLVIII. mendose legitur, *Λεύκιος Κεσίτιος Φλάκκος*. Scribi debet, *Καισήτιος Φλάουος*. Appianus hunc ubique

Sittium nominat. Errore, ut puto, non librarii, sed ipsius Appiani. *Voss.*

Cap. 69. *C. Trebonium*] De Trebonii interitu, ipsiusque quod sequitur Dolabellæ fato, vide Dion. XLVII. p. 392. et 393. Liv. Epit. CXIX. Appian. ἐμφυλ. IV. *Boeclerus.*

Cui succedebat] Succedebat non a senatu, sed a se et scelere suo missus. Nam provincia illi Syria erat, atque in eam ibat. *Lipsius.*

Smyrnæ] Urbs in Ionia. Hodie quoque mercatura celebris.

Statio Murco] Alias, *a Sexto Murco.* Rhenan. *Statio Murco*] Statius Murcus in argenteo etiam denario I M P. dicitur. De hoc autem Murco videndus liber noster de Familiis. *Ursinus. Statio Murco*] *Statio*, non *Staio*, legendum, ut bene ex numismate emendat Ursinus. Vocabatur autem hic *L. Statius Murcus;* ut constat ex Cicerone, ac Dione Cassio. Appianus non uno loco Sexti prænomen ei tribuit. Sed fallitur. *Vossius.*

Crispo Marcio] Falluntur, qui ex Dionis lib. XLVII. reponunt *Crispo Marco*, vel *M. Crispo.* Nam ipse Dion mendosus: apud eum, pro Μάρκου Κρίσπου, legendum, Μαρκίου. Similiter etiam apud Hirtium lib. de bello Africano, *Marcium Crispum*, non *Marcum*, optimi Ms. fide reponendum censeo. Docet hoc Cassius apud Ciceronem lib. XII. epist. ad Fam. ac ipse Cicero Philipp. II. Appianus hunc sæpiuscule Minutium Crispum vocat. Sed in hoc quoque eum fugit ratio. *Idem.*

Imperatoribusque prævalidis] Non sequor Schegkium, qui probabat, *imperatoribusque, validis*, &c. quod in Bonhommæi editione invenerat. Mihi vera lectio videtur, *imperatoribusque prævalidis.* Quod Aldo etiam monitum. *Idem.*

Laodicea] In Mss. *Laudicea*, ut 'Laudice' apud Justin. Sic Laumedon pro Laomedon, Lautumiæ pro Laotumiæ. Ita et Theodosius, Theudosius apud Claudianum et alios: item in epigrammate veteri, quod libro III. Catalectorum Pithœi legitur: 'Omnia Theudosio cedunt, soboliqne perenni.' Perperam enim excusum *Theodosio.* Idem. *Laodicea expugnata*] *Expugnarat* mavult cum Aldo Schegkius. Libri vet. *Laodicea expugnata ea urbe fecerat ita tamen.* Ex quo Rhenan. leg. censet, *Laodicea expugnata interfecerat; ita tamen. Laodicea expugnata*] Ita Rhenanus, non male, meo judicio; nam ad vocem *interfecerat* rectius quadrant, quæ mox per ἐπίπλαξιν, sive quendam ἐπανορθώσεως διορισμὸν addantur. Quamquam ne sic quidem locum persanatum credam. Vossiana emendatio ista est: *Laudicea, expugnata ea urbe, caperat (ita tamen, &c.* Boecler.

Ita tamen, &c.] Si hæc parenthesi includantur, haud paullum ad periodi lucem factura judicat Lipsius.

Volentes] Ursinus legit *volenti. Volentes*] Quid si, *valentes?* Sane sic paullo ante etiam, 'prævalidis legionibus,' dixit. Tamen nil muto: pro vulgari lectione Ms. et quod infra simili modo protulerit Velleius: 'pecuniasque a volentibus acceperant.' Frustra vero Ursinus scribebat *volenti.* Nam quomodo cohæret, *volenti extorserat?* Est hoc plane contra Velleii mentem, qui paullo post etiam subjicit de Bruto, 'Vatinium dignatione obruerat.' *Vossius.*

Nulli nomini] Puteanus legit *nulli minimo.* Aliquando putant legendum, *nulli homini.* Posset et illud *nomini* deleri, tanquam glossema ad τὸ *nulli*; cum prius glossema esset *nemini*, ex quo factum sit *nomini.* Manut. *Nulli nomini*] Correctores velut agmine facto ruunt ad delendum istud *nomini.* Ego si imperium sustinere possim, jubeam quiescere. 'Nullum nomen,' est nemo. Sic ubique 'nomen Romanum,' pro Romanis; rem ut pro nomine intelligas. Epicedio Drusi Albinovanus: 'Fluminaque et fon-

tes et nomina magna locorum,' pro ipsis locis. Cæcilius apud Nonium in Deintegrare: 'Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit,' pro virgine ipsa. Ausonius Epist. ad Theonem: 'Et jacula, et fundas, et nomina villica lini.' Obscurus auctor, Diris: 'Et casti fontes, et felix nomen agelli.' Ad Velleium ut redeam, ea vis est ibi defensæ locutionis. Cum Brutus cuilibet ducum esset præponendus; Vatinius non modo non nulli duci, sed vel alii cuilibet vilissimo nomini, id est, homini, erat postponendus. Ut jam desinant sibi nescio quas glossas somniare. Qui admittere hoc tamen nolet, potius quam deleat, liceat illi legere, *nulli omnium*. Acidal.

In quo deformitas] Cicero in eum: 'cujus testimonium propter turpitudinem vitæ, sordes domesticas nullius momenti putaretur.' Et in Bruto ait, 'eum ex summis et fortunæ et vitæ sordibus consulem factum.' *Schegkius.*

Dignissimo domicilio] Pulchre in hanc rem ait Eumenius Paneg. Const. dicto: 'Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari.' *Voss.*

Et lege] Lipsius, *At lege. Et lege Pedia*] Adde Dion. XLVI. p. 367. Appian. B. C. III. p. 586. Liv. CXX. qui Cæsarem hanc legem tulisse dicunt. Nimirum Cæsar Q. Pedium collegam ferre jusserat. Sigon. comment. in fast. et tr. R. ad ann. DCCX. et Onuphrius Comment. in fast. ad ann. DCCXI. Hanc legem, cum neque in universum, neque in futurum sit lata, pro lege non habendam esse, Rosinus notat VIII. 27. *Boecler.*

Damnatis] Petrus Delbenius tollit *damnatis*. Manut.

Capito patruus meus] An Atteius Capito Jurisconsultus ille nobilis? Factum sit non abhorrens ab ingenio viri, qui adulator, et 'cujus obsequium dominantibus probabatur,' ait Tacitus. Sed vereor, ut tunc non tam grandi et Senatoria ætate fuerit; quippe qui obiit demum nono Tiberiani imperii anno. Vide Tacit. Ann. III. extremo. *Lipsius. Capito patruus meus*] Miror ambigere Lipsium, num hic sit Atteius Capito, cujus tertio Annal. meminit Tacitus. Cum enim hunc patruum dicat Velleius, illud nullo modo verum esse potest: nisi statuas illum adoptione in Atteiam familiam translisse. Præterea tempora vix illud patiantur. Quod tamen Lipsium non fugisse fateor. *Vossius. Capito patruus meus*] Jactat Velleius suorum in Cæsares merita, aulicique obsequii artes ab stirpe sibi conciliatas, vult intelligi. *Boeclerus.*

Agrippæ subscripsit] Moris recepti subscribere qua in crimen, qua in pœnam: de illa multi ex Verrinis et Pædiano; de hac, quæ principum proprie, Suetonius Nerone: 'Cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, Quam vellem, inquit, nescire litteras.' *Schegkius.*

Cassius Rhodum] Dio XLVII. p. 305. Appian. ἐμφυλ. IV. Plut. in Brut. *Boecler.*

Lycios] Lycia Ptolemæo et cæteris Asiæ regio.

Quos aut prosior fortuna] Fortunatorum notabilis est in pari fortuna disparitas. Quorumdam eximias virtutes ac prudentiam comitatur fortuna fido et assiduo successu; quosdam, ubi diu comitata est, ad extremum deserit: quosdam per vices, et miscens adversa secundis beat: quosdam in omni virtutis conatu destituit fugitque: quorumdam læta initia, in progressu, aut ante progressum, statim abrumpit: quibusdam temeritas etiam et ignavia ubique procedit: plurimi majore fortuna quam sapientia utuntur. Verum, quidquid diversitatis habent illæ Felicium notæ, 'commune omnibus,' sed maxime

præfidenter de successu sentientibus, ‘ ancipitium ’ imminet. *Boecler.*

Cap. 70. *In Macedoniam, et apud urbem Philippos*] Sic est. Philippi isti in Macedonia extrema Ptolomæo locantur, aliis in Thracia prima. Sunt ad Strymonem fluvium, et subjacet planicies aptissima pugnæ. Victus in ea Cassius et Brutus.. Diversi omnino ab istis Philippi sunt in Thessalia, ubi Pompeius victus, ad Peneum flumen. Ergo jure miror, quid poëtis aliquot in mentem venerit confundere hæc loca et urbes, quasi si utrumque civile bellum in iisdem campis depugnatum. Virgilius innuit ‘ Romanas acies iterum videre Philippi.’ Quem tamen excuses, quasi Philippi iterum viderint, sed non iidem. Manilio quid facias? qui sic lib. I. ‘ ducibus jurata cruentis Arma Philippæos implerunt agmine campos. Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa virum lacerosque prius superastitit artus, Perque patris pater Augustus vestigia vicit.’ Nam vult in iisdem campis atque adeo vestigiis pugnasse Augustum, quibus patrem: et milites superstitisse cadavera et ossa. Quid poëtas culpo? Florus historicus idem peccat: ‘ Brutus et Cassius, comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam insederant.’ Hoc autem tam verum est, ut centum aliquot milliaria sint interjecta. Vide Dionem XLVII. et Appianum Bell. Civil. IV. quorum uterque situm Philipporum, ubi Brutinum prælium, accurate designat et describit. *Lipsius. In Macedoniam, et apud urbem Philippos*] Recte Manilium, Florum, et alios refellit Lipsius, qui Philippensem pugnam in iisdem Philippicis campis commissam scribunt, in quibus Cæsar cum Pompeio ante dimicaverat. Immerito autem in consortionem culpæ trahunt quidam Virgilium, quod sub finem primi Georg. dixerit, ‘ Romanas acies iterum videre Philippi.’ Nam ipse post-ea se explicat, cum ait: ‘ Nec fuit indignum Superis bis sanguine nostro Æmathiam et latos Æmi pinguescere campos:’ Ut non sit dubium, quin geminos Philippos intelligat Maro: illos qui in Thessalia sunt, et alteros qui in Macedonia ad Hæmum montem. Reliqui omnes poëtæ lapsi; inter quos et Ovidius Met. XV. Nisi excipere lubeat auctorem epigrammatis, quod extat in Catalectis veterum Poëtarum: ‘ In Macetum campis ultus jam Cæsaris umbras Sum patris, Augustus belloque armisque superbus; Namque meos sensit fugiens Antonius enses,’ &c. At quid hic Augustum bello contra Antonium Cæsaris manes ultum esse ait? Omnino id de Bruto Cassioque accipiendum. Lege igitur: *Jamque meos sensit, &c.* Nihil enim certius, quam duo prælia intelligi. *Vossius. In Macedoniam et apud urbem Philippos*] Scriptores hujus belli notavit ad Flor. IV. 7. Camers. Dio XLVII. et Zonaras t. 2. qui prolixius ferme, quam alias solet, exponit, quæ a Dione mutuatur. *Boecler.*

Oratus etiam ab Artorio medico] Valde celebre est hoc somnium et eventu ipso nobile, ideoque diligenter scriptoribus hujus belli annotatum. Aliqui inter argumenta providentiæ hæc talia etiam gentilibus oblata ponunt, divinitusque immitti credunt; alii præstigiis Diabolicis accensent (vide de hoc ipso somnio Artorii aliisque Lactant. II. 8.); quidam naturæ quandam vim hic comminiscuntur, præsertim qui Homeri propositum disquirunt, Heroibus tantum somnia tribuentis. Verum ut de tali somnio, quale hic habemus, valde durum fuerit affirmare, ex caussis naturalibus ortum esse: ita cetera dubitatio non parum difficultatis videtur habere. Servasse Deum etiam gentilium Heroas et e periculis ereptos majoribus rebus adhibuisse,’ negari nec potest, nec debet. Quo-

circa nec pugnat cum Divina Philosophia, si dicas, incolumitatem talium virorum curæ Deo fuisse; ejusque curæ partem somniorum fatidicorum immissione aliquando ostensam. At vero ea somnia ex ipsis speciebus per somnium oblatis non uniusmodi sunt, aut una æstimatione comprehendi queunt. Quæ in Sacris codicibus leguntur exempla, nullas habent imagines idololatricas, neque vel Deorum vel sacrorum ethnicorum simulacra, quanquam ethnicis ostensa, præferunt: sed in somnio Artorii, Minerva virum monet; alibi Jupiter in templo suo, e sinu suo futura promit. Unde merito ambigas, an Deus, immittendis homini pagano somniis, profani cultus imagines adhibere voluerit.' Inquis: si Diaboli præstigiis id assignas, unde et quomodo Dlabolus præscire eventum pugnæ Philippensis potuit? Hic ergo videatur forte distinctio facienda inter illas profanas species, quatenus e caussis naturalibus et quotidiani usus reliquiis phantasiæ offeruntur; et inter dispensationem divinam, quæ emergentibus naturaliter simulacris significamenta *μαντικὰ* conjungere, sive naturæ occupationem ad futurorum indicia dirigere potest. Consule Tertullian. de anima lib. 46. Zwinger. Theatr. Volum. v. lib. IV. tit. de insomniis. Pontan. Philocal. x. 21. *Idem.*

Quietis] Somnii in quiete.

In altiora se receperat loca] Ita Gruterus, Sylburgius, aliique edidere. Potest tamen omitti illud, *se*; quoniam a principe editione abest, quod jam Vossianæ notæ advertere. *Boecler.*

Cum dimisisset evocatum] Titinnium Centurionem Valerius lib. IX. c. 9. nominat: uterque bene. Dio lib. LV. 'Sicut et evocatorum summam dicere non possum, uti illis Augustas cœpit, tum primum, cum veteranos patris contra Antonium convocavit, servavitque deinde, et sunt una adhuc legio, peculiares suas habens vites,' (sic malo cum Cujacio *ῥάβδους* vertere, *vites*, quam Xylandro parum considerato ad ritum, *fasces*) 'quemadmodum centuriones.' Proinde Velleius appellat 'evocatum,' quia ex illorum numero Valerius centurionem, quia vite honoratus. Vitis enim insigne Centurionum. Plinius; 'Centurionum manu vitis, atque etiam in delictis, pœnam ipsam honorat.' Et Juvenali vitis pro Centurionatu: 'aut vitem posce libello.' *Schegkius.*

Neque pulvere] Bucretius meus *præ* desiderari putat, atque inserit, *neque præ pulvere.* Et erroris quidem in eo facilis occasio. *Acidal. Neque pulvere*] Frustra legunt *neque præ pulvere.* Nam *præ* intelligitur. Ut cum dicimus, 'gaudio lachrymari,' 'amore emori,' aliaque id genus. *Vossius.*

Interritus liberto præbuit] Pandaro, ut nuncupat Aurelius Victor. Sed lego *Pindaro*, ex Valerio Maximo lib. VI. cap. 8. Plutarcho in Antonio, Brutoque, Appiano Bell. Civ. lib. IV. ac Dione lib. XLVII. *Vossius.*

Incubuit] Vulgo pessime, *occubuit.* *Incubuit*] Valerius Maximus. Nam C. Cassium error a semetipso pœnas exigere coëgit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercitum apud Philippos varium ipsisque ducibus ignotum eventum, missus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut specularetur quonam in statu res M. Bruti essent: dum crebros excessus viæ petit, quia tenebrarum obscuritas, hostesne an commilitones occurrerent, dignoscere non sinebat, tardius ad Cassium rediit. Quem is exceptum ab hostibus, omniaque in eorum potestatem recidisse existimans, finire vitam properavit: cum et castra hostium invicem capta, et Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. Titinii vero non obliteranda silentio virtus, qui oculis paulisper hæsit, inopinato jacentis ducis spectaculo attonitus; deinde

profusus in lachrymas, Etsi imprudens, inquit, imperator, causa tibi mortis fui: tamen ne id ipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem. Superque exanime corpus ejus jugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permisto utriusque sanguine, duplex victima jacuit, Pietatis hæc, Erroris illa.

Emicat] Pulsat.

Cap. 71. *Hominis grati ac pii*] Notat hujus in Messallam pietatis exemplum etiam Appianus *ἐμφυλ.* v. ubi Octavius Cæsar cladem perpessus, exercitusque exutus, a Messalla, quem tamen olim proscripserat, cum jam in ejus potestatem venisset, conservatus est. *Boecl.*

Hortensiumque] Fallor an ejus filii mentio apud Suetonium: 'Plerosque modestia et pudore terruit, in quibus Ortalum, Q. Hortensii oratoris nepotem:' et Tacitum Annal. II. 'quo magis mirum fuit, quod preces M. Ortali nobilis juvenis, in paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii.' Si verum, oppido juvenem tempore obitus paterni fuisse oportet. *Schegkius.*

Nam Varro] Quis autem iste Varro? Videatur meritissima ἐξοχῇ noster ille intelligi, cui Fama quam Æternitas magis æqua. Illa nomen ejus servat, hæc scripta non adspexit: quorum tamen feracius vix fuit aliud ingenium Græcum aut Romanum. Sed videatur, inquam, iste intelligi: non tamen potest. Nam proscriptus quidem a Triumviris Varro, sed certantibus de salute ejus, quibus aliqua honesti cura, vicit Fusius Calenus amicus Antonii, et eum ad se recepit. Ita tempestatem illam evasit. Appianum vide, et Agell. III. cap. 10. Pugnæ autem Philippensi non opinor interfuisse. Ætas militia et iis actionibus virum solvebat: et aliquot sane annis post vixit. Quid verba facio? in lectulo suo obiit, non properata aliqua morte: ut clare scribit Valerius lib. VIII. 'Terentius Varro, non annis, quibus sæculum æquavit, quam stilo vivacior fuit. In eodem enim lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus exstinctus est.' Ergo alius iste Varro, quem velim omnino magis Velleius retexisset. *Lipsius.*

Ominatus est] Livius de Æmilio Paullo: 'Ac prope certa spe ominatos esse homines; finem esse Macedonico bello.' *Schegkius.*

Drusus Livius] Ita post excessum Augusti Liviam demum dictam constat; κατὰ πρόληψιν ergo locutus Velleius. Sic et Plinius lib. VII. cap. 13. 'Inter se steriles, ubi cum aliis junxere, gignunt: sicut Augustus, et Julia.' Sic habent Mss. non *Livia*, ut edunt. Similiter Flavius Josephus Liviam ubique Ἰουλίαν appellat. Nec aliter jam olim vertit Rufinus. Ut non sit audiendus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, ad numerum MMLIII. ubi non dubium esse ait, quin librario mendo nomen Juliæ apud Josephum jam olim irrepserit. *Vossius.*

Juliæ Augustæ pater] *Liviæ* reponendum puto. *Manut.* *Juliæ Augustæ pater*] *Liviæ* mavult Aldus: sed vulgatam jam olim ad Tacitum firmavit Lipsius. *Juliæ Augustæ pater*] Vir doctus *Liviæ* reponendum putat: non conscisco. Tacitus Annal. lib. I. 'Livia in familiam Juliam, nomenque Augustæ adsumebatur.' Et lib. V. 'Julia Augusta mortem obiit, ætate extrema.' Dio lib. LVI. 'Et sacerdotem Liviam, quæ nunc Juliæ etiam Augustæque cognomen acceperat.' At ita infra. Quid tum? Liviam vocat, sed non Augustam. Hoc observate ex numis, lapidibus, historicisque verum cognomen Augustæ perpetuo *Juliæ*, *Liviæ* numquam assignari. *Schegk.* *Juliæ Augustæ pater*] Alii *Liviæ* reponunt: qua correctione minime quidem opus erat. Licet enim tum temporis nondum *Juliæ*

diceretur, nihil tamen impedit, quo minus Velleius, respectu secuti temporis, nomen præsertim illustrius, quo prius inumbratum est, adhibeat. *Boecler.*

Varus Quinctilius] Ad eum scripsit Horat. lib. I. Od. 18.

Cum se insignibus honorum velasset] More priscorum mortalium hoc tali casu, Livius libr. v. agens de capta urbe a Gallis, prodit: ' adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat.' De Cleopatra Dio, et Florus lib. IV. cap. 11. ' In Mausoleum se recepit, ubi maximo, quam solebat, induta cultu, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.' De Olympia Alexandri matre Justin. lib. XIV. Adi Plutarchum. Deinde in violenta morte, suprema illis cura honeste cadere. De Lucretia Ovid. Fastor. II. ' Tunc quoque jam moriens ne non procumbat honeste Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.' Lege Sueton. Cæsar. Agellium lib. XV. Plutarch. de claris mulieribus passim. *Schegkius.*

CAP. 72. *Corrupto animo ejus*] Omnes consentiunt in reprehensione ejus parricidii, etiam qui alias vehementer laudant Brutum. Valde autem notanter fatalem in hoc Bruti Cassiique vindictam demonstrant Appian. IV. ἐμφυλ. p. 667. et Dio XLVIII. pr. Velleius Noster acuta sententia animadvertit, unius temeritatem facti omnes virtutes corrupisse ac extinxisse: quod sane ita solet in magnis sceleribus, post quæ vix ac ne vix quidem attolli ad virtutem pristinam animus potest. Appianus ab eadem mente: ἀλλὰ καὶ τοιοῖς δὲ οἷόν αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἔργος τὸ ἐς Καίσαρα. Utrobique subindicatur, caussa dissimilis animi degenerisque; fortuna scilicet animadvertens et vindicans et omnia retro dans. *Boecler.*

In diem] Commodius, si legatur, *Corrupto animo ejus una die*, &c. Manut.

Dux Cassius melior] Characteristica comparatio, opportune χρήσεως καὶ κρίσεως πολιτικῆς ἕνεκα inserta. Fecit idem Appianus IV. ἐμφυλ. p. 661. et 667. *Boecler.*

Nobilissimæ simplicitatis] Eam quoque formam sermonis in nostro sæpicule est deprehendere. Ponit autem ' simplicitatem ' pro universa virtute et prisca morum integritate, quam (ut de Scythis eleganter lib. II. Justin. prædicat) antiqui homines rudibus illis, non tam bonarum, quam malarum artium seculis, magis ingeniis, quam legibus; magis vitiorum ignoratione et naturæ bonitate, quam virtutum præceptis institutisque disputacium philosophorum coluerunt. *Acidal.*

Statius Murcus] Statius Murcus hujus sui consilii triste postea præmium tulit, de quo infra II. 77. *Boecl.*

Exercitum] Prima editio, *exercitu*. Malim, unitatis numero, *exercitus*. Lipsius.

Sex. Pompeium] Eleganter autem in hoc capite initia belli cum Sex. Pompeio designantur: cujus scriptores Camers ad Flor. IV. 1. collegit. Adde Dion. XLVIII. *Boecler.*

Quippe nullum habentibus statum] Interpretor, nullum statum firmumque ducem habentibus. Possis etiam scribere et distinguere: *nullum habentibus, statim quilibet.* Facile, inquit, et cito quemcunque ducem arripiebant, qui habebant nullum. *Lipsius.* *Quippe nullum habentibus statum*] Loquitur cum jurisconsultis, quos vide de cap. diminut. *Schegk.* *Quippe nullum habentibus statum*] Interpretantur alii, *nullum statum firmumque ducem habentibus;* sed, meo judicio, plane præter mentem Paterculi; cui, ut puto, sententia ea: duci cuilibet sese aptare, quibus nulla est conditio

vitæ tolerabilis. *Status* hoic est nomen substantivum, non adjectivum. Livius lib. XXV. cap. 17. ' Si non libertas servitute potior sit; tamen omni præsenti statu spem cuique novandi res suas blandiorem esse.' *Gruterus. Statum*] Ita status publici commutatio II. 35. odisse statum præsentem II. 91. nullum statum habentes II. 72. ita statum concupiscere II, 2. *Boeclerus.*

CAP. 73. *Cogitatione celer*] Primitus editi, *cogitator celer*. Certum mihi scribere, *concitatu celer*. Depressum enim hic ubique Pompeium istum Velleius it, revera vilem, bardum, et patri dissimillimam prolem. Et fuit revera concitatu celer, magis quam cogitatu (quod in laudem valeat:) id est, ὀξύθυμος et ὀργίλος. *Lipsius. Cogitatione celer*] In vet. exempl. erat, *cogitator celer*. Lipsius mallet, *concitatu celer*, ut τὸ ὀξύθυμον notetur, cogitandi celeritatem in laude esse. Non assenserim ita scripsisse Velleium; nam et *manu promtus* in laude est, quod tamen hic Pompeio tribuitur: accipiendum itaque fuerit, non illo eximio significatu, quo cogitationis celeritas summis tantum ingeniis convenit, sed illa media notatione, qua consilii qualiscumque capiendi et decernendi volubilitas, ut sic dicam, indicetur: quam ego animi audacis, inquieti, præcipitis prolem dixerim. *Boecler.*

Post Antonii a Mutina fugam] Vulgo, *post Antonianam fugam.*

Piraticis scelcribus] Cogitabam leviter an *piraticis celocibus*. Vulgatum tamen absit ut damnem. *Lipsius. Piraticis scelcribus*] Non damnat hanc lectionem Lipsius. Leviter tamen suspicatur, *piraticis celocibus*, scriptum fuisse Velleio. Quod probare non possum. Nam ' celox,' juxta Gellium, Nonium, Fulgentium, et alios, breve et exiguum navigii genus. Non autem Pompeium celocibus, aut myoparonibus, sed triremibus et quadriremibus, mare infestasse, satis est manifestum. Idcirco, ' piratas navales,' ei attribuit Florus lib. IV. cap. 8. ut bene aliis observatum. Locum Flori, qui in editis exemplaribus diverse legitur, ita scribendum arbitror: ' O quam diversus a patre! ille Cilicas extinxerat, hicce piratas navales agitare.' Cujus vestigia comparent in optimo Mss. codicum Nazariano, in quo fuit, *hisce piratis navalis agitare*. A quo minimum abeunt reliqui Mss. ut ex iis cognoscas qui variantes lectiones collegere. *Voss.*

CAP. 74. *Quippe L. Antonius*] Scripsere hoc bellum, quos ad Flor. IV. 5. Camers notavit; quibus adde Dion. XLVIII. *Boecl.*

Virtutum, quæ interdum in illo erant, expers] Rarum quippe ' monstrum, nulla virtute redemptum;' hoc est, aliquem vitiis omnimodis infamem esse, neque ullo commendabilem merito: unde Tiberius apud Tacitum Annal. lib. I. cap. 46. 'C. Cæsari forte orto sermone L. Sullam inridenti; omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum prædixit.' Ubi nos de hac re uberiora. At de Lucio isto Antonio, eadem plane prodita L. Floro lib. IV. cap. 5. ' Semper alius L. Antonii pessimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ, agitabat.' Adeo ut mirer, virum artium harum peritissimum eo loci reponere *piissimum*, neque enim ullus omnino auctorum laudat Lucium, nisi Appianus: nec tamen is simpliciter, sed quatenus arbitratur bellum excitasse, non stabiliendæ suæ potentiæ causa, verum vindicandæ in pristinam libertatem Reipub. Ceterum, et illi falluntur, qui *interdum* hoic idem notare volunt, quod *interim*: non profecto: ut palam facimus ad locum Taciti Hist. lib. I. cap. 71. ' Otho interim contra spem omnium, non deliciis neque desidia torpescere: dilatæ voluptates, dissimulata luxuria; et cuncta ad decorem imperii composi-

ta: eoque plus formidinis adferebant falsæ virtutes, et vitia reditura.' *Gruterus.*

Interdum] Notabis et hic, *interdum* esse idem quod *interim*: ut creberrime in Apuleio: cujus unico exemplo contentus esto, Metam. l. III. 'Quati fores interdum, et frequenti clamore januæ nostræ perstrepi.' Nec aliter accipio apud Justinum lib. II. 'Movebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis suæ, Alexandrum: sed interdum reputabat, quanta res cum ista paucitate gessisset, quantosque populos fudisset.' *Acidalius. Interdum*] Sententia vocis solita non necesse ut mutetur.

Qui juste] Revera *injuste*, vel potius *injusta*. Nec sensit aut scripsit aliter, etsi adulator Velleius. *Lips. Qui juste*] Lipsius *injuste* vel *injusta* legendum putat, atque ita quidem ter monebat: sed Velleius Cæsareanis factis ubique colorem appingit, aut juris titulum. *Boecler.*

In Perusinos] Suetonius tamen diversum testatur in Aug. XV. 'Perusia capta, in plurimos animadvertit: orare veniam, vel excusare se conantibus una voce occurrens, Moriendum esse.' *Idem.*

Macedonicus] Verum ejus nomen erat Cestius. Cæterum Macedonici nomen sibi assumserat, quod olim in Macedonia militasset. Auctor ejus rei Appianus in v. bellorum Civil. *Vass.*

CAP. 75. *Tib. Claudius Nero*] De quo præter Suetonium cap. 3. Dionem, adi Tacit. Annal. v. et ejus interpretem clarissimum. *Schegk. Tib. Claudius Nero*] Vide Sueton. Tib. IV, Dio. XLVIII. p. 417. *Boecler.*

Quis non diversa præsentibus] Vera gnome, et ita vivitur: assidue natamus inter spei metusque fluctus. Dea illa incerta nos quoque habet incertos; dico eos, qui ab ea pendent. Manilius: 'Et subtexta malis bona sunt, lacrymæque sequuntur Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem.' Sapientissimus Romanorum Seneca: 'In secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat. Alterna sunt vices rerum. Quid exsultas? ista, quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint. Quid jaces? ad imum delatus es, nunc est resurgendi locus.' Plato quoque bona imagine: *τὰ ἀνθρώπινα ἀτύχημα, ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω συρρέοντα: Quidquid est, velut in Euripo, surgum deorsumque volvitur.* Lipsius.

Quam transgressi ad Deos] Utramque Liviæ fortunam notat. Quæ bimum, inquit, filium sinu gestans, uno tantum comitante, deviis itineribus, fugiebat iram Cæsaris, eam postea ipsius Cæsaris conjugem vidimus, quinetiam, postquam ad superos migravit, sacerdotem pæne habuit, ac flaminem. Legi igitur, incolumi sententia, posset: *Quin transgressa ad Deos, sacerdotem pæne habuit, ac flaminem.* Nam Tacitus, Suetonius, Dio, noluisse Tiberium cælesti religione matrem honorari, nulla controversia tradiderunt. 'Quam tamen postea Claudius Imp. consecravit, Suetonio teste. *Manut. Quam transgressi ad Deos*] Ita olim editum a Rhen. Bonhom. Gryph. volente Lipsio ad Tacit. Annal. XIII. Dio lib. LVI. 'Tum vero immortalitatem ei tribuerunt, flaminesque et sacerdotem Liviam constituerunt, lictoreque uti eam in sacrificiis permiserunt.' Ovidius de Ponto IV. 'Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus In nostra sacrum Cæsaris esse domo. Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos, Numina jam facto non leviora Deo.' Conjux sacerdos, Livia, ut monuit flos litteratorum illibatus. Turbat hic doctissimus vir, et quod aiunt, in simpulo excitat fluctus. *Schegkius. Quam transgressi ad eos*] Repone *ad Deos*. Quomodo habet edicio Basileensis anni MDXXXII. item aliæ, quæ eam expres-

sere. Cæterum Ursinus vocem *filiam*, ut ineptam, rejicit, malletque *Iliam*. Sed prorsus fallitur. Extat numisma Liviæ dextra pateram, læva hastam tenentis: in aversa autem parte Divi Augusti caput repræsentatur, cum literis circum, DIVVS AVGVSTVS PATER. Quo etiam pertinet numisma Claudii, qui eam postea consecravit. Hujus aversa pars itidem exhibet, S. P. Q. R. DIVAE IVLIAE AVGVSTI FILIAE. Nomen autem filiæ adsumpsit Livia, quod adoptione in Juliam familiam transierit, eamque nomen suum ferre Augustus jusserit. Quod clare Tacitus Suetoniusque testantur. *Vossius.*

Vix bimum] Vulgo, *cujus bimum*. Sed putida hæc lectio. In autographo fuit: *Cæsaris arma, sua bimum*, &c. Unde lego, *futuri sui Cæsaris arma, minus bimum*, &c. Quod comprobat quoque Velleiana χρῆσις, cui familiare τὸ *quam* reticere, ut supra me etiam monuisse memini. Firmatque idem supputatio annorum. Nam fuga hæc Neronis incidit in ann. U. C. DCCXII. Antonio et Servilio Coss. Mortuus vero Tiberius anno U. C. DCCXXCIX. Proculo et Nigrino Coss. anno ætatis septuagesimo, et octavo. Quod Suetonio, Tacito, Dioni, et aliis etiam, notatum. Horum ergo annorum computationem si quis accurate instituat, inveniet Tiberium, sub tempus Neronianæ fugæ, bimatu fuisse inferiorem. *Idem.*

Vix bimum] Erat, *sua bimum*: hinc fecerant aliqui, *vix bimum*: quod Aldus approbavit et Gruterus edidit. Vix bimus, est, necdum bimus. *Boecl.*

Futurumque ejusdem Cæsaris filium] Eandem fortunæ vicissitudinem miratur Dio XLVIII. p. 418. ὅστε καὶ τοῦτο ἐν τοῖς παραδοξοτάτοις συμβῆναι· ἦτε γὰρ Λιουία αὕτη, ἡ τὸν Καίσαρα τότε φυγοῦσα, μετὰ ταῦτα αὐτῷ ἐγήματο, καὶ ὁ Τιβέριος οὗτος ὁ σὺν τοῖς τοκεῦσι τότε ἐκδρὰς, τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν αὐτοῦ διεδέξατο. Præcesserat de fuga Neronis et Liviæ, cui subjungit; *accidisse tum rem in maxime mirabilibus ponendam. Nam hæc Livia*, inquit, *quæ tum Cæsarem fugiebat, postea ipsi nupsit: et Tiberius iste, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Cæsaris postea accepit.* Idem.

CAP. 76. *A Cn. Pompeio lectus*] Nescio quomodo convenire potius videtur, *a Cn. Pompeio lectos*, nam *legi loco honoratissimo inter plures*, non satisfacit auribus, multo minus animo. *Gruter.*

Tironis] Lipsio placet *Tib. Neronis*: quo modo Aldus emendavit.

Venetia] Sic Livio lib. II. et Floro lib. III. cap. 3. quoque nominata. *Schegk.*

Altinum] Venetiæ mediterranea urbs.

Quo facto] Facile cuique persuasero, imo sibi quisque ipse, scribendum, *Cui facto*. Fuit enim vetus scriptura, *Quoi*. Ut et supra *quoique* reposuimus, ubi pariter corruptum erat, *quoque*. Acidal. *Quo facto*] Acidalius existimabat scriptum fuisse, *Quoi facto*, sive *cui facto*, sed non opus est hac correctione, ut omnes vident. *Boeclerus.*

Præparatusque] Ita Rhenan. et Aldi editiones. *Præparatusque*] Lege *Paratusque*: quo utuntur, pro *apparatus*, Tacitus lib. II. 'ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret.' Ovidius de Ponto lib. III. 'Est opus exiguum, vestrisque paratibus impar.' Manutius maluit cum Rhen. *præparatusque*. Non belle pato. *Schegk.* *Præparatusque*] Schegkius, magno aliorum applausu, edidit *paratusque*. Sed noli aliquid mutare. Nam vulgata lectio nititur fide codicis Ms. *Præparatum* autem, pro παρασκευὴ, usurpavit etiam Agellius lib. X. cap. 11. 'in præparatu rei rusticæ.' *Præparatus*, ut *apparatus*; imo et *paratus*; quomodo reposuit Schegkius. Qua voce, præter Ovidium Tacitumque, quos adducit, usi etiam

alii. In his Prudentius hymno in Hippolytum: 'Postquam composito satis instruxere paratu Martyris ad pœnam verbera, vincla feras.' *Voss.*

Circa Brundisium] Solum conjectura est fulta hæc lectio. In Ms., pro *circa*, legebatur *contra*. Quod mihi mutare religio sit. Sane *contra Brundisium* valet e regione Brundisii. Sic apud scriptorem Belli Hispaniensis: 'Eo die Pompeius castra movit, et contra Hispalin in oliveto constitit.' Ita enim fuit in optimo omnium codicum Petaviano; non *circa*, ut vulgo edunt. Sic et Ammianus lib. XVII. ait, 'contra Valeriam.' Similiter eadem vox capitur in inscriptione veteri Collectionis Gruterianæ p. 489. numero 4. 'contra se porticus,' &c. *Idem.*

Rufi Salvidieni] Fuit accusatus in Senatu ab ipso Cæsare, populi Cæsarisque hostis judicatus, jugulatus est, supplicationes ejus rei ergo decretæ, Triumvirisque custodia urbis mandata: Dio lib. XLVIII. Suet. c. 66. Et quod Velleius subjungit ex equestri ordine consulem creatum, hoc vult credo, Consulem designatum nondum Senatorem sive Senatorii ordinis. *Schegk.* *Rufi Salvidieni*] Dio XLVIII. p. 430. Appian. v. ἐμφυλ. p. 710. ubi etiam illa 'ars Cæsaris in evertendo Salvidieno' aliis quoque Principibus in simili caussa non raro usurpata. Accitum enim ad se propere, quasi præsentia ejus ad negotium quoddam opus haberet, moxque ad exercitum remissurus eum esset, occidit. *Boecler.*

Summa] Ita Lipsius. Vulgo, *summam.*

Ex equestri ordine consul creatus esse] Placeret magis, *creatum esse.* Nam illud *creatus* ex verbo proximo, quod præcessit, factum est. *Ursin.* *Ex equestri ordine consul creatus esse*] De Salvidieno Rufo sermo est, qui Consul creatus (ait Dio XLVIII.) nondum Senator. Atque hoc est, quod ait *ex equestri ordine.* Proximus autem a Pompeio et Cæsare ideo, quia illorum quoque uterque ad hoc fastigium venit, priusquam in Curiam aut Senatum, nec post eos alius, ante hunc Salvidienum. Cæsarem porro accipies Octavianum. *Lipsius.* *Ex equestri ordine consul creatus esse*] Cui ignotus hic Hellenismus? Catullus: 'Ait fuisse navium celerrimus.' Virgilius: 'Sensit medios delapsus in hostes.' Neutiquam sane audiendus Ursinus, qui in Velleio legere malebat, *Cos. creatum esse.* Vossius.

Nisi in id] Ita emendavit Cl. Puteanus. Antea legebatur, *nisi adscendisset.*

CAP. 77. *Tum expostulante consensu populi*] Utrinque coacti erant. Cæsar et Antonius a populo, Pompeius ab iis, quos secum habebat. Igitur nihil firmi in hac pace potuit esse. Οἷα γὰρ οὐκ ἐθέλοντες, οὐδὲ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλὰ ἀναγκασθέντες τὴν ὁμολογίαν ποιησάμενοι, χρόνον οὐδένα αὐτῇ (δὸς εἰπεῖν) ἐπέμειναν, ἀλλ' εὐθὺς τὰς σπονδὰς λύσαντες διηρέχθησαν: *Quia enim non sponte neque suo consilio, sed coacti pacem fecerant, haud diu steterunt, pactionibus, sed statim iis neglectis ad dissidium redierunt:* observante Dione XLVIII. qui paullo ante pacis circa Misenum initæ ac conditionum historiam describit. Adde Appian. v. ἐμφυλ. p. 713. Utraque pax, et illa Brundisina cum Antonio, et hæc Misenensis cum Pompeio, apud Tac. A. I. 10. 4. et 5. refertur inter 'arcana dominationis,' quippe ἀπάτης χάριν inita: 'Pompeium imagine pacis, Lepidum specie amicitiæ deceptos: post Antonium Tarentino Brundisinoque federe et nuptiis sororis illectum.' Τοσοῦτος μὲν δὴ καὶ τῶν στάσεων καὶ τῶν πολέμων παράλογός ἐστι, δίκῃ μὲν οὐδὲν τῶν τὰ πράγματα ἐχόντων νομιζόντων, πρὸς δὲ δὴ τάς τε δεὶ χρείας καὶ τὰ συμφέροντα σφῶν, τό τε φίλιον καὶ τὸ πολέμιον, ἐξεταζόντων, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοὺς αὐτοὺς, ποτὲ μὲν ἐχθροὺς, ποτὲ δὲ ἐπιτηδείους σφίσι πρὸς

τὸν παρὸν ἡγεμόνων. *Adeo in dissordiis* intestinis *bellisque omnia præter rationem eveniunt, ubi qui rerum potiuntur, non ex re ac jure, sed ex utilitate sua ac necessitudine amicos inimicosque existimant, atque ideo eosdem nunc amicos, nunc inimicos, pro tempore et præsenti conditione habent.* Dignissima erant, quæ hic e Dione XLVIII. p. 427. legerentur verba. *Boecler.*

Urebat] Frustra conjector, qui urgebat. Varie usurpata ea vox: sic tamen, ut cum a prima significatione desciscit, per *affligere* plerumque reddi possit. *Acidalius.*

In quo paterna domus] Carinæ erat nomen vici Romani ad pedem clivi Capitolini, in quo tum erat domus Pompeii.

In hoc pacis fœdere] Nescio quomodo mihi magis placebat: *Inito hoc pacis fœdere;* quod nisi per te stabit, per me facile cadet. *Acidal.*

Achaiamque] Achaia complecti totam Græciam non obscure hic ex Dione colliges, et provinciæ Achaiæ inesse Græciam docuit ex Pausaniæ lib. VII. Lipsius. *Schegk.*

Ex diversis causis] Ineptе Acidalius, *castris. Ex diversis causis* dixit Velleius, quia alii essent proscripti, alii obærati, alii animo in eum propensiore. Quo facit illud Appiani v. de bellis civilibus: Πομπήϊος γὰρ ἐκ τῶν προγραφῶν, καὶ καταλήψεων τοῦ στρατοῦ, καὶ τῆσδε τῆς Λουκίου διαφορᾶς, ἐπὶ μέγα δόξης καὶ δυνάμεως ἦρτο. *Pompeius enim ex proscriptis, et militaribus colonis, et hac ipsa Lucii simultate, multum existimatione ac viribus creverat.* Vossius.

Et Aruntium Actium] Reponenda vetus lectio, quæ est in antiqua editione: *Et Aruntium, ac Titium,* &c. et postea legendum: *Statium autem Murcum,* &c. ut supra diximus. *Ursin.* *Et Aruntium Actium*] Gentilitia duo nomina perperam juncta. Scribes, *Aruntium ac Titium.* M. Autem Titius Dioni nominatur, et Velleio bis infra. *Lipsius.*

Statium autem Murcum] *Statium* lege et hic et alibi. Cujus exitum scripsere Dio XLVIII. (ubi ficto proditionis crimine, revera ideo subversus est, quia Pompeius eum videbat esse δραστήριον καὶ φρονηματώδη, *strenuum animique ardentis*, quales dominantibus, aut principibus, qui suam fortunam animo non æquant, suspecti invisique sunt) et amplius Appianus v. ἐμφυλ. p. 712. *Boeclerus.*

Et Menecrates] Habet exemp. vet. *et Menotrades fastidierant.* Barrer. *Et Menecrates*] V. C. *Menotrades.* Forte, *Menocrates.* Græcis quidem dicitur Μενεκράτης: sed e plerumque Latini in o mutant. Sic Πτολεμαῖος *Ptolomæus;* Μεθώνη, *Methone;* Κέρκυρα, *Corcyra;* Βερενίκη, *Berenice,* aliaque hujus generis. *Vossius.*

CAP. 78. *Quas magnis momentis*] Observa *momentis* pro motibus: quomodo et apud alios legisse sic quasi per nebulam meminisse videor. Nam exempla in promptu nulla. Immo ecce tibi unum Senecæ, Epist. 50. 'Exemplum' (clavi) 'a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt.' *Acidal.* *Quas magnis momentis*] Florus IV. 9. adscriptique a Camerte Auctores, quibus addendus Dio XLVIII. *Boecl.*

Interfectoque legato Antonii] Atqui ille se interfecerat. Florus: 'Saxa, ne veniret in potestatem, a gladio suo impetraverat.' *Lipsius.* *Interfectoque legato Antonii*] Saxam intelligit Velleius. Atqui illum sibi manus intulisse, ex Floro objicit Lipsius. Sed in hoc quoque Florum fugit ratio. Mihi Velleiana sententia multo verior; præsertim propugnante ea Dione lib. XLVIII. Apud quem obiter moneo, Δεκίδιος Σάξας legendum, non Σέξας, ut ex aliis, ita auctoritate Zonaræ, ejus exscriptoris: apud quem tamen legitur Δεκίλλιος. Mendose. *Vossius.*

Interim Cæsar per hæc tempora] Alterutrum superfluum est, vel *interim*, vel *per hæc tempora*. Oro enim propter hoc quid utraque conjungantur? Sed ecce, aliud habeo. Neutrum delendum, una minima vocula transposita: *Interim Cæsar, ne per hæc tempora, res disciplinæ*. Per hæc tempora valet, ea temporum conditione, ut quibus in armis habere militem pro Repub. non necesse foret. *Acidal.*

Crebris in Illyrico, &c.] De quibus vid. Dion. XLIX. Appian. Illyr. Liv. epit. 132. Hist. miscell. VII. 7. *Boecl.*

Primipili centurionem] In legione tria genera peditum: *hastati, principes*, et qui omnes antestabant, *triarii*. In singulis deni centuriones, ab ordine in hastatis et principibus nominati; nimirum primus hastatus, primus princeps; secundus hastatus, secundus princeps; tertius, et usque ad decimum. In *triariis* dispar; non enim primus triarius, sed primipilus, primipili centurio primus centurio appellabatur. Hic primus in legione post tribunum, qui parebat legato, ut legatus Imperatori. Hæc strinxi e Vegetio et uberrimo Manutii nostri de hoc tractatu. *Scheglcius.*

Vibillium] Ita antiq. cod. Vulgo, *Jubillium*.

Fuste percussit] Ritu prisco, milites vel fustibus vel vitibus castigare, vitibus plerumque Romanos, fustibus extraneos. Livii Epitoma lib. LVII. 'Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit.' Honestior autem pœna vitis quam fustis. Plinius l. XIV. 1. 'Centurionum in manu vitis, et opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.' Hinc lex a Gracchis lata, qua fustium pœna eximebant Latinos. Plutarchus in Gracchis. Putidum sit adnere de militaribus pœnis jam pertractatis plane, pleneque. Burr. Mss. *fusti percussit*: Benhom. *fustem percussit*: fortean *fustim percussit*, eleganti genere, si quid mutandum. *Scheglcius. Fuste percussit*] Ms. lectio, *fusti*. *Percutere* autem in fustigatione nihil aliud, quam φονεύειν. Sic *percussores*, φονεῖς. Quæ moneo, ne quis audiat illos, qui apud Livium l. v. 'fustnarium,' leve supplicii genus esse arbitrantur. Sane clare docet Polybius l. VI. hac pœna condemnatos ad mortem usque cædi solere. Afficiebantur autem fustnario, ut idem docet, qui falsum dixissent testimonium, qui furtum fecissent, qui juvenibus abuterentur, aut qui ter ob idem delictum essent puniti. Etiam qui infamiam alteri fecissent: Hinc leges XII. Tabb. 'Si quis occentasit malum carmen, sive condidisit, quod infamiam faxit, flagitiumve alteri, capital esto.' Tales enim ex cautione XII. Tabb. fuste punitos, docent Porphyrio in Horatii lib. II. epist. 1. et Cornutus in Persii satyram I. In veteri item inscriptione Romana Collect. Grut. p. CIↃ CXIV. fustuario subdi jubentur molendinarii, qui fraudem fecissent. Alia de fustuario scire qui desideret, adeat ea, quæ Lipsio notata libro de Militia Romana quincto, Dialogo duodevigesimo. *Vossius. Fuste percussit*] Alii *fusti*. Pertinet hoc quoque ad Velleianæ scriptionis commendationem, quod exempla quarumcunque rerum publice utilium subinde, non sine gravitate, annotat: sicut hoc loco, et alibi, disciplinam militarem vindicatam, in cujus scilicet sinu ac tutela serenus tranquillusque beatæ pacis status acquiescit, ut loquitur Valer. II. 7. pr. De pœnis militaribus valde erudita sunt, quæ tradit P. Faber semestr. I. 17. Castigabantur autem milites, vel fustibus (quæ coërcitio communis militibus et paganis erat) vel vitibus, quæ proprie militaris animadversio. Potest autem etiam de ξυλοκοπίᾳ quam describit Polyb. lib. VI. Velleius intelligi. Adde Cæl.

Rhodigin. XXVI. c. ult. Lips. milit. Rom. I. 16. *Boecler.*

CAP. 79. *Adsuescendo*] Active positum adsuescere, pro adsuefacere. *Acidal.*

M. Agrippa] 'Iguobilem loco, bonam militia et victoriæ socium,' Tacit. Ann. I. 3. vocat. Adi Horat. Od. I. 6. Senecam patrem Controvers. II. Dion. Appian.

Parendique sed uni scientissimus] Soli Augusto nimirum parere doctus, ceteris omnibus se anteponebat. Atque hoc ipsum magnum est in magno ingenio, scienter parere Principi aut Regi. Cujus artis summam dixeris expressam a Dione LIII. ubi 'Agrippam, cum multa imo pleraque gloriosa consilia Augusto suppeditaret, et facta patraret, nihil tamen prorsus ejus gloriæ sibi arrogasse,' refert, *οὐδὲ ἐπὶ βραχὺ τῆς δόξης αὐτῶν ἀντεποιεῖτο*, inquit. Honores quoque ab Augusto sibi delatos in ipsius potius gloriam ususque dispensabat, quam in suam lubidinem. Hujus est illa primaria ad aulicam vitam disciplina, qua 'virum in aula victurum duabus sibi rebus consulere oportere' ostendit, 'primo difficultates rerum in se recipiendo, amoliendoque; deinde, consummatæ perfectæque rei nomen et gloriam ipsis (Principibus) relinquendo.' *Δυοῖν παρήνει τὸν ἄνδρα τὸν σωθησόμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τὴν δὲ δὴ κατόρθωσιν σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν.* Quem Dionis e XLIX. p. 450. locum (ab interprete, priore moniti membro, parum congrue versum; 'ut negotio præfectus difficultatem ejus a se removeret.' Non enim, ut 'difficultatem a se removeat, quasi declinando; sed ut amoliatur, id est, expediat eam sustinendo agendoque,' dicitur) merito majoribus Principum administris commendavit Lipsius polit. III. 11. 14. cum præsertim memorabilia sint, quæ in Dione præcedunt, de ingenio Regum, omnium rerum gloriam sibi vindicante, aliis invidente. *Boecler.*

Despondente ei Nerone] *Ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατήρ*, inquit Dio XLVIII. p. 438. *Elocabat autem Liviam ipse maritus, tanquam Patris loco.* Scilicet hoc schema quærebatur rei, quasi maritus sponte concederet Augusto uxorem. Revera autem 'Tib. Neronis matrimonio Liviam, et quidem prægnantem, abduxit,' ut simplicius loquitur Suetonius Aug. LXII. sicut et prudentes apud Tacit. Ann. I. 10. 7. increpant, 'abductam Neroni uxorem, et consultos per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet.' Ergo inter 'flagitia dominationis,' id est, loco idoneo ac proprio, referuntur hæc talia a Clapmario Arcan. v. 8. Operæ pretium autem fuerit cognoscere, quæ Dio circa responsum Pontificum *ἐπιφρητικῶς* annotat. Fallor an minime inusitata sunt recentiori quoque ævo ejus adulationis exempla, qua omnia Principum honesta atque inhonesta excusare, etiam illis mos est, quorum conditionem dignitatemque valde videantur ista dedecere. *Idem.*

Pompeio Siciliæque bellum, &c.] Præter scriptores supra laudatos, accurate hæc omnia exequitur Dio lib. XLVIII. et XLIX. *Idem.*

Veliam] *Velia* opidum, quod olim Helia, ad Sinum Pæstanum; Plinio. Byle, Elea, (ab Elea præterfluente fluvio) et *Belea*, *Βύλη καὶ Βελέα*, Stephano quoque dicitur. Strabo *Eleam* *Ἐλέα*, suo tempore, antea *Hyelam* *Ὑελὴ*, et *Ellam* *Ἔλλη*, appellatam scribit. *Ὑελήτων* meminit nummus argenteus meus. S. Bonifacio est Gabrieli Barrio. *Ortel.*

Palinurique] *Palinurus*, *Παλίνουρος*, Plinio, Virgilio, Paterculo, Horatio, Dioni et Straboni, promontorium Pæstani sinus. Portum dicit Halicarnassæus I. De eodem Virg. Æn. VI. 'Æternumque locus Palinuri no-

men habebit.' Niger 'Palinuro.' *Idem.*

Quod post ea dubia, &c.] Quid audio? anceps fortuna alia quam dubia? hoc enim interjecta particula *interdum* innuit. Sed ea traducta, scribe: *dubia interdum et ancipiti.* Nisi tamen dicas, ancipitem esse periculosam et hac quadam ratione a dubia diversam: ancipitia enim sine certo periculo tangi et tractari nequeunt: in dubiis non item est. Et hoc tamen putidum et puerile. Quin potius voculam trajiciamus, ut monstratum. *Acidal.*

Mylas] *Mylæ*, Μύλαι, Ptolomæo, Paterculo, Appiano, Plinio, Silio, Dioni, Suetonio, et Thucydidi, Siciliæ urbs. *Milazon*, vel *Milazzo*, Fazello et Aretio hodie appellatur. *Ortel.*

Tauromenium] *Tauromenia*, Siciliæ colonia, priscis *Naxus* vocata, ut Plinius et Solinus testantur. *Tauromenium*, Ταυρομένιον, habet Ptolemæus, et Paterculus. *Taurus* olim locus vocabatur, Diodoro teste 15. Vibius dicit aliter *Euseboneora* nuncupari. Naxon *Schisos* hodie nominari, scribunt Fazellus et Aretius, *Tauromena* Anonymus quidam. Tauromenium et Naxos diversa sunt apud Strabonem. *Col. Aug. Tauromen.* est in Tiberii nummo. Testis Goltzii Thesaurus. *Ortel.*

A Titio jugulatus est] Phrygiæ in oppido Midaio, ut Dio, an, Mileti, ut Florus, et Appianus. *Schegkius. A Titio jugulatus est*] Dubitat Schegkius, accideritne id Phrygiæ in oppido Midaio, ut ait Dio, an Mileti, ut Florus et Appianus asserunt. Mihi errasse Dionem certum est. De Mileto enim testatur scriptor ejusdem propemodum temporis, atque omni exceptione major, Strabo Geog. lib. III. *Vossius.*

CAP. 80. *Inutilis in aliena victoria*] Vetus editio, *inutilis alienæ victoriæ comes.*

In consiliis Cæsaris] Venustius, *Cæsari.* Dissidere cum dandi casu pro auferendi cum præpositione. *Acidal.*

Nisi ab Scipionibus] Factum tam memorabile Augusti, quod hoc capite exponitur, scripsere etiam Dio XLIX. p. 455. Appian. v. ἐμφυλ. p. 742. et seq. Liv. Epit. CXXIIX. Hist. miscell. VII. 6. Sueton. Aug. 16. Tacitus, una voce 'exuendi,' opportune huc accommodata, rem complectitur, Ann. I. 2. 1. *Boecler.*

Inermis et lacernatus] Adi Dionem, cui alia mens sedet. *Schegkius.*

Jacta] Princeps editio, *acta.* Quod etiam Latinum est: 'agere tela' pro *adigere* apud Cæsarem legitur.

Quam tueri non poterat] Mamt. *intueri.* Suetonius narrat Lepidum supplicem concessa vita Circeis in perpetuum relegasse. *Schegkius.*

CAP. 81. *Exercitus seditio*] De hac seditione ejusque compositione et supplemento Campanæ coloniæ accurate Dio XLIX. p. 456. et 457. Appian. v. ἐμφυλ. p. 744. Hist. misc. VII. 6. Noster præcipuam artem componendæ seditionis 'Severitatem comitatis mixtura temperatam' hoc loco innuit. Vide Lips. polit. VI. 4. et hac occasione nota, Libro primo Annalium Taciti, singulari prorsum arte copiaque id argumentum, de seditionibus militaribus, earumque remediis, tractatum ac veluti exemplo perfectæ commentationis perscriptum esse. *Boecler.*

Contemplatus frequentiam suam] Simile dictum Tacito Annal. l. I. 'Illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere.' *Schegkius.*

Campanæ coloniæ] Tota hæc res explicata ab uno Dione, lib. XLIX. qui de hac ipsa seditione, et ejus placamentis: Οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε, καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξε-

πρίατο ἄλλην τὴ καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν (καὶ γὰρ ἐνόσουν ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ἀνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε: *Atque ita milites tunc quidem composuit: et argentum statim, agros non multo post iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios emit a Campanis illis, qui Capuam incolunt, eosque multos, (multis enim colonis indigebat ea urbs,) et ipsis tum aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnosiam, (Gnosiam melius: estque Gnosus in Creta:) qua etiam nunc fruuntur, eorum loco dedit.* Omnia hæc quasi de industria scripta ad Velleii lucem: et quis scit, si non a Dione istinc sumpta? Quod tamen hic scribitur, *ejus reditus erant publici*, pravum est. Quid *reditus* ad rem præsentem? nec eos sane emit Cæsar, sed agros. In editione prima, *ejus relicti erant publici*. Certum habeo, *ejus reliqui*: id est, Capua reliquos habebat agros publicos, qui nondum attributi, et qui non venerant in divisionem. Hos (Dione palam narrante) ab iis emit Cæsar. *Lipsius.*

Instar] Festus Pompeius ab *instar instaurare* deducit: quoniam illud instaurari proprie dicatur, quod ad formam similem exemplo priori reducitur. Hic vero *instar* non exemplum est, neque passive pro eo capitur, quod est instauratum; sed enim active, ut quod instaurat; hoc nempe salubritatem. *Acidal.*

Coronæ classicæ] Tangit princeps Poëta: 'Tempora navali fulget rostrata corona.' 'Rostrata' Plinio quoque dicta: vide Agellium. *Scheglk.*

Classicæ] Vocatur etiam navalis et rostrata: 'quia quasi rostris navium insignita est;' ut ait Gellius v. 6. Unde effigies Agrippæ cum tali corona in antiquis nummis.

Quo nemo unquam] Si voluit dicere Velleius, neminem ante Agrippam reportasse coronam navalem, hoc est, rostratam, aut erravit, aut diversum sentit a Plinio. Is enim non dubitat affirmare l. XVI. 4. 'Cedunt et rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres; M. Varrone, piraticis bellis dante Pompeio Magno; itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare Siculis.' Sed et idem Naturæ mystes unicus lib. VII. 30. 'M. Varronis, in bibliotheca quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est: haud minore, ut equidem reor, gloria, principe oratore et cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, unam hanc coronam dante, quam eum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit.' Et vero nullo ævo cuiquam contigisse coronam rostratam, præterquam uni Agrippæ, idem etiam prodidit Dio Cassius l. XLIX. nec is tantum, sed et testis omni exceptione major, Livius, cujus hæc legimus Epitoma CXXIX. 'M. Agrippa navali corona donatus est: qui honos nemini ante eum habitus erat.' Quibus motus verbis, damnaverim potius unum Plinium, quam triumviros istos alios: etsi aliter visum viro maximo, in libris de Militia Romana, l. v. 14. *Gruter.*

Quo nemo unquam] Ubi Agrippæ contigisse hunc honorem testantur, Dio XLIX. p. 457. τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. ὃ μὴ πρότερον, μήτ' αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο. *Agrippam corona rostrata aurea donavit: quod neque ante neque postea cuiquam contigit.* Ita Liv. Epit. CXXIX. Plinius autem XVI. 4. et VII. 30. cum M. Varrone, cui 'Pompeius coronam navalem dederit, communicat hoc decus:' cui assentiendum opinatur Lipsius: Gruterus autem ceterorum auctoritatem præfert. An et Seneca ab eorum parte, cui de benef.

III. 82. Agrippa dicitur, 'navali corona insignis unicum adeptus inter dona militaria decus:' quamquam *unicum* pro *eximio* et *singulari* hic accipi possit. Vide Turneb. XXVI. 29. et Taubm. ad Virgil. Æneid. VIII. vs. 684. *Boecler.*

Templumque Apollini] Dio XLIX. p. 458. Sueton. Aug. 29. *Idem.*

Munificentia] Haud displiceat Lipsio *magnificentia.*

CAP. 82. *Qua ætate Cæsar, &c.*] Vestram fidem, Musæ, quam turpiter locus elegans maculatus, an mutilatus! Tentavit industria singulari Schegkius: *Qua ætate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, pene fortuna in Cæsarem et Remp. militavit ad Orientem.* Et in hoc secutus librum Bonhomasi: post quem tentemus et nos itidem, si quid forte poterit clarius extricari. Sed libertate mihi opus est paullo majori, quam non ex mea cupidine, sed usu sumam Velleii. Ergo ita ausus fuerim: *Qua ætate quam Cæsari prospera in Lepidum in Sicilia, tam scæva fortuna in Cæsarem et Remp. militavit ad Orientem:* quomodo conficitur idonea maxime et aperta sententia. Verum enim vero alios etiam medicos desiderare videtur hic locus, et non nisi scriptos codices: sine quibus, qui conabitur, quidquid erit quod præstiterit, itidem incertum erit, ut quod vel ego vel ceteri omnes attulimus. *Acidal.*

Cum XIII. *legionibus*] XVI. pro XIII. reponi debere, rectissime monuit Cl. Noster Freinshemius ad Flor. IV. 10, 10. E quo capite petes historiam hanc, tum ex annotatis a Camerte scriptoribus: quibus Dio præsertim addendus, XLIX. *Boecler.*

Et Statiano legato] Oppidum Statianum nominat Dio lib. XLIX. In Plutarchi Antonio corrupte est, Τατιανὸς, pro Στρατιανός. Hoc eo magis moneo, ut appareat, falsam esse Sylburgii suspicionem; qui putabat, eundem hunc esse, quem Florus Saxam nominat. Id vero eo etiam refellitur, quod Saxa jam esset interemptus; ut ex Dione et aliis jam supra ostendimus. *Vossius.*

Atque illis legionibus] Ita legendum, non *octo*, arguunt præcedentia, et Florus, apud quem 'XVI. legiones.' Statim male vir doctus τὸ *tertia* omisit. *Schegkius. Atque illis legionibus*] Ita enim, (vel *ac tot illis l.*) potius legerim, quam *Hoc M. Antonio acto*, quod in libris repertum, licet sensum aliquem sustinere possit, valde tamen a Velleiana elegantia videtur abesse. *Boecler.*

Tertia] *Tertia*, in Rhenani edit. expressa, non omitti ab aliis debuit. *Idem.*

Victoriam vecabat] Geminum pene dictum de eodem L. Flori, lib. IV. 10, 'Egregius Imperator tandem profugit in Syriam: ibique incredibili quadam mentis væcordia, ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui evaserat:' ubi Philosophice tamen magis Annæus loquitur quam Ethice aut Grammatice: ita enim solent homines, præter spem vivi. Sallustius bello Jugurthino cap. 98. 'et ipsi duces feroces; ac quod sui non fugerant pro victoribus sese agere.' Annibal apud Horatium lib. IV. Oda 4. 'Cervi, luporum præda rapacium, Sectamur ultro; quos opimus Fallere et effugere est triumphus.' Syrus apud Terentium Heautontimor. Actu IV. Sc. 1. 'triumpho si licet me latere tecto abscedere.' *Gruter.*

Ne quid honori] Forsan legendum, *ne quid oneri deesset, &c.* non *honori*, quod verbum videtur substitutum ab eo, qui non animadvertit, Velleium jocari voluisse in voce *aureis*, quod constet, aurum ceteris metallis gravius esse. *Ursin. Ne quid honori*] Ursinus, *oneri:* ut in eo ludat Velleius, quod aurum gravius sit cæteris metallis. Quasi vero reges oneris, non honoris causa, aureis aut argenteis catenis vinciri soleant. *Vossius.*

Aureis vinxit] Curtius de Dario; 'Agmen eorum tertio assecuti die; ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, nova ludibria subinde excogitante fortuna.' Moris antiquitus pro dignitate captivum nunc aureis, nunc argenteis, nunc ferreis vincire catenis. De Aureis Clemens in Pædagogo lib. II. 'Istæ vero veram pulchritudinem obscurant, auro eam adumbrantes, nec intelligunt quantum in se delictum admittunt, se innumerabilibus vinculis alligantes, quemadmodum dicant apud Barbaros scelestos et maleficos homines auro vinciri. Captivos hos vinctosque divites videntur esse æmulatæ mulieres.' Ausonius de Cræso, 'Cræsum in amicis habet, Vinctumque pedicis aureis, secum jubet, Reliquum quod esset vitæ, totum degeret.' Propert. lib. II. 'Aut regum auratis circumdata colla catenis, Actiaque in sacra currere rostra via.' Et Silius l. XVII. 'Ante Syphax feretro residens captiva premebat Lumina, et auratæ servabant colla catenæ.' Hinc in Panegr. Maximiano dicto: 'Xerxes Persarum Rex potentissimus, pedicas jecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare.' De argenteis Dio l. XLIX 'postquam custodes gazæ non obtemperarunt, et qui in armis erant, Artaxam maximum natu inter filios, regem ejus loco constituerunt, argenteis Artabazum catenis vinxit, quia nimirum turpe erat, regem ferreis in catenis haberi.' Ammianus de Arsace, a Sapore capto: 'Eumque effossis oculis catenis argenteis, quod apud eos vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminavit ad castellum Agabanum nomine.' *Scheglkius.*

Bellum patriæ inferre constituit] Ovidius Metamorph. lib. XV. 'Romaniqne ducis conjux Ægyptia tedæ Non bene fisa cadet, frustraqne erit illa minata Servitura suo Capitolia nostra Canopo.' De amore Antonii in Cleopatram Horat. lib. Epodon. *Idem.*

Liberum patrem] Sed etiam Athenis. Athenæus e quarto Socratis Rhodii. Seneca Suasoriar. I. Dissensionem Senecæ et Dionis in dote notarunt Junius Animad. v. 1. et Lipsius: Eandem insaniam insanierunt Antigonus et Caligula. Athenæus IV. Herodian. alii. *Idem. Liberum patrem*] Unde et Διόνυσος νέος cognominatus est, teste Plutarcho. Alii aliorum Deorum æmulati sunt habitum et cærimoniam; Bacchum autem pluribus imitari placuit, præsertim Mithridati, Antigono, C. Mario, Alexandro M. Vide Schotti observat. hist. III. 9. et Cl. Freinshemii not. ad Curt. IX. 10. 24. *Boecler.*

Cum redimitus hederis] Eodem habitu Messallina apud Tacitum lib. II. 'Simulacrum auctumni celebraus: ipse crine fluxo thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos.' Plura in Commentario Lipsius. Addi velim de crinibus fluxis, et hoc Catulli in nuptiis Pelei: 'Sæpe vagus Liber Parnassi e vertice summo Thyadas effusis euntes crinibus egit.' Et Macrob. Saturnal. lib. I. *Schegk.*

Thyrsum] Thyrsus erat hasta aculeata hederis tecta, in orgiis Bacchi gestari solita.

CAP. 83. *Et omnibus*] Vulgo, *in omnibus. Et omnibus*] Nonne æquivalent, *in omnia vænalem esse*, et, *in omnibus?* Ego discrimen non video. Puto delendum posterius τὸ in, faciendumque, *in omnia, et omnibus.* Duo objicit, vænalem ad omne facinus ac flagitium fuisse, et sine discrimine omnibus vænalem breviter: ad quovis a quovis trahi auro potuisse. *Lipsius.*

Cæruleatus et nudus, &c.] Di enim Marini antiquitus cæruleo habitu. Apuleius Milet. de comitatu Veneris IV. 'Adsunt,' ait, 'Nerei filiæ chorum canentes, et Portumnus cærulis

barbis hispidus.' et lib. x. 'Ipse autem color Deæ divisus in speciem, corpus candidum, quod cælo demeat: amictus cærulus, quod mari remeat.' Et capite tecto arundine, Virgil. VIII. 'cum glauco tenuis velabat amictu Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.' Immo et Neptuno glauci oculi, teste Minutio in Octav. De Glauco posce Servium ad illud Poëtæ: 'Et senior Glauci chorus Inousque Palæmon.' *Schegk.*

Glaucum saltasset] De Glauco vide Natal. Comit. mythol. VIII. 4. *Boecler.*

In convivio refrigeratus ab Antonio] Moneo distinctiunculam mutandam: *saltasset in convivio, refrigeratus ab Antonio.* Saltasse enim eum vult in convivio, non illic refrigeratum. Sed quid hoc verbi? significat intepuisse gratiam ejus apud Antonium, et calorem illum amoris mutasse in fastidii frigus. Utebantur et in re actionis sive recitationis hoc verbo, ut Suetonii Claudio scriptum, cap. 41. 'Cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso.' Id est, frigore et fastidio sæpe affectus a sese. Rem enim ipsam, et teporem illum gratiæ sive amicitiæ, vocabant Frigus. Plinius lib. VIII. epist. 14. 'Interim Paullo' (recitanti) 'aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.' Fabius: 'Rusticitas, et rigor, et deformitas adferunt interim frigus.' Sed propius ad Velleii mentem Seneca epist. CXXIII. 'Votienus Montanus et amicitia Tiberii notus et frigore.' Quem scilicet Tiberius et ardenter amavit, et subito fastidivit. Nec peccet, qui Horatium sic explicet: 'majorum ne quis amicus Frigore te feriat:' nisi alio quoque hoc commode duci haud negem. Suetonii locum noviter corrigo, Aug. cap. 66. 'Desideravit et M. Agrippæ patientiam et Mæcenatis taciturnitatem: cum ille ex levi rigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se contulisset.' Nam quis rigori hic locus? nec suspicio de eo esse potest, sed sensus. Scripsit vero *frigoris:* hac ista nostra mente: eoque, inquit, secessit Agrippa, quod alieniorem sibi Augustum suspicaretur, et præferri atque in gratia esse Marcellum. Terentii illud huc quoque fecerit: 'Nimirum hice homines frigent.' Atque omnino amor, ardor est: fastidium aut defantio, frigus. *Lips.* *In convivio refrigeratus ab Antonio*] Ni fallor, est heic *refrigerare*, quod Plautus dicit 'frigidam suffundere.' *Acidal.*

Transfugit ad Cæsarem] Qui peccarunt in leges, statim etiam metuunt, et per consequens, oderunt legum custodes. Itaque viderit Princeps, ut semper administrorum suorum delicta graviora puniat. Etsi enim forte peccantibus ex animo ignoscat, ii tamen non tam putant sibi indulgeri quam tempori. Sic apud Cæsarem Civ. bell. III. 40. transfugiunt tandem nobiles duo Allobroges, 'fortasse non se liberari, sed in aliud tempus reservari arbitrati;' ut ibi loquitur Julius; et nos exemplis selectis ostendimus ad Tacitum Histor. l. I. capitis vigesimi extremo. *Gruter.*

Id probatum a Cæsare] Principes non omnia puniunt, sed non ideo eadem probant. Valet enim ibi illud Curtianum lib. VII. 'Lyncestes Alexander, quia primus Alexandrum, regem salutaverat, supplicio magis quam crimini fuerat exemptus.' Egregie Livius de Epirotarum legatis, petentibus a Senatu, ut in amicitia pristina esse liceret, lib. XXXVI. cap. 35. 'responsum datum est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse videri possent.' *Idem.*

Vir prætorius, &c.] Vir doctus et Rhen. *vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer.* Est ille Silius qui postea Consul; cujus præter Dionem et

Appianum Suetonius meminit. Burr. *vir e præterius*: forte, *vir e prætoriis*. Schegkius.

P. Silii] Habet editio Rhenani. Alii emendarunt, *gravissimus P. Silii socer*. Quid si tentemus? *gravissimus patris Silii socer*. Sane non leviter hanc conjecturam firment verba Augusti apud Suetonium in vita ejus: 'Accesserunt convivæ, Vinicius, ac Silius pater.' Sic enim Mss. auctoritate legere malim, quam *Silvius*, ut vulgo editum. *Vossius*.

Ac nefanda] Alii, *miranda*.

CAP. 84. *Cæsare deinde et Messalla Corvino Cos.*] Quæ in hoc et sequentibus duobus capitibus habentur, scripsere Florus IV. 11. quosque ibi Camers ac Freinshemius nominaverunt: quibus adde Propert. lib. IV. Eleg. 6. tot. et Paneg. Theodos. Lat. Pacat. c. 33. tot. *Boecler*.

Apud Actium] Luculenter describit doctissimus Poëta VIII. libro sui operis. *Schegkius*.

Remiges] [Vulgo, *reges*: contra quam lectionem ita Lipsius.] Torsit me olim, cum publice legerem, hic locus: credo et illum, quisquis intente leget. An reges a Cæsare firmissimi, ab Antonio inopes et imbecilli? Planissime contra est: nec dicam plurimi aut potentissimi, sed pæne omnes reges ab isto steterunt. Palam et vere ita Dio, Συνεμάχησαν, inquit, τῷ Ἀντωνίῳ οἵ τε βασιλεῖς καὶ οἱ δυνάσται πάντες, ὡς εἰπεῖν, οἱ τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ τότε ὑπ' ἐκείνων οὔσῃ γειτνιῶντες, οἱ μὲν αὐτοὶ, οἱ δὲ δι' ἑτέρων: *Commilitabant et auxiliabantur Antonio reges dynastæque omnes, ut breviter dicam, quicumque Romanum imperium, quod duobus iis tunc parebat, attingerent; alii ipsi coram, alii per alios et submissos*. Quinetiam in Plutarcho index, in quo nominatim reges Antonio adhærentes recensentur, non solum Orientales pleriqne omnes, sed transmarini. Si voles, vide. At apud Cæsarem contra qui? Neminem reperio: imo vix esse potuerunt, quia in illius partibus dumtaxat Italia, Illyricum, Gallia, Hispania, Africa, et insulæ interjectæ. In iis autem omnibus regionibus, qui tunc reges, nisi si forte in Africa? Ex ea ipsa Bocchum eripit nobis, et transfert ad Antonium Plutarchus: Jure ergo, ut dixi, hærebam. Quid autem est in re? Velleiane adulatio, uti tunc censebam? Minime: nec in scriptore, sed in scripto culpa, quam detectam nunc tollo. Scripsit Velleius *hinc remiges*. Vide μεταβολήν! a sceptris venimus ad remos. Sic oportet; et docebunt te Plutarchus et Dio, Antonium hac parte maxime peccasse, quod hiemem cœptis suis interposuerit: atque ita classis, quam paratam habuerat, valde viribus imminuerit: quoniam plerique remigum vel inopia aufugiebant, vel morbo peribant. Ita necessum habuit 'ex afflictissima Græcia,' ait Plutarchus, 'corripere viatores, agasones, messores, adolescentulos; iisque ægre etiam implevit naves.' Ergo vere hic scriptum *remiges* fuisse *inopia affectissimos* (quæ ipsa phrasis non apte cadit in reges): contra *firmissimos* Cæsar, recentes videlicet et bellis Siculis probe exercitatos. *Lipsius*.

Remiges] Vulgo, *reges*. Philadelphum Paphlagoniæ, et Amyntam Galatiæ reges, forsan intelligit Velleius. Hi enim ad Cæsarem transfugerunt; ut Dioni et Zonaræ traditum. Sed hoc paullo post evenisse, liquet ex Velleio, qui Amyntæ etiam meminit. Stabilis itaque manet emendatio Lipsii, *hinc remiges firmissimi*. Vide ejus Animadversiones. *Vossius*.

Navium hinc magnitudo] Aldus, *Nav. hinc* (vel *hic*) *magnitudo modica, cum celeritate*. Ut est in editione Wech. Alii *Nav. hinc magnitudo modica, sed celerior*.

Specie terribilior] In exemplari vetusto, *specie et terribilior*, unde Rhe-

nemus legit *specie erat terribilior*. Burserius, *specie terribilior. Specie terribilior*] Lips. putat legi hic etiam posse *terribiliora*. Schegkius edidit *ex adverso illa specie terribilior*. Alii, *ex adversa illa specie terribilior. Specie terribilior*] De Antonii navibus Dio lib. LIV. ait, eas ædificasse Antonium multo hostilibus majores; paucas triremes, reliquas omnes a quaternis usque ad denos ordines remorum capaces. Vide Florum lib. IV. *Schegk.*

Leucas] Oppidum in Leucadia peninsula.

Patræ] Civitas in Achaia prope Olenum. Vide Thucydidem lib. VI.

Rex Amyntas] Cum Beato vir doctus: *nam de illis exemplis vitæ natura Dolabella*, nullo sensu. Matthæus Klock acutissimi ingenii juvenis ex Rhenani, non male emendat, *inde illius exemplo mature Dolabella ad Cæsarem*. Schegk. *Rex Amyntas*] Atrox et aperta plaga: cui leve adhuc fomentum. Est qui legat, *Inde illius exemplo vir audax Dolabella*: alius, *inde illius exemplo mature Dolabella*. Uno verbo, nihil ad Bacchum. In autographo fuit (certe editio prima sic refert), *nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella*. Vide nostram medicinam: *Nam Deillius exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cassium*. Nihil juveniliter jactamus, sed prima illa sagaciter et vere eruimus de Q. Deillio, sive, ut alii, Dellio: qui natura transfuga, et irrisus palam illo ævo. In hac re et historia, transfugisse, aperte scribit Plutarchus 'Q. Dellium historicum.' Dio hoc amplius ostendit, cum Amynta illum fuisse: et paullo post de transfugio addit. Quod si est: nonne apposite hic quoque Amyntæ Velleius eum subjungit? Sed cur alterum *exempli sui tenacem*? Ludit, et merito in hominem nusquam et nunquam fidum, et cujus jam ante nobilia aliquot transfugia. Ecce Senecæ patris verba: e quibus hoc quoque, quod emendavimus, *a Dolabella ad Cassium*, liquebit. Ille in Suasoriis: 'Bellissimam tamen rem dixit Deillius, Messala Corvinus desertorem' (melius et venustius scripti libri, *desultorem*) 'bellorum civilium vocat: quia a Dolabella ad Cassium, a Cassio dein transmisit ad Antonium, ab Antonio ad Cæsarem.' Et de Deillio quidem certum est: hoc de Dolabella si cui displicet, is legito: *exemplo sui tenax fuit et illo bello*. Quod certe haud sperno, nam et editionibus quibusdam absunt verba, *ad Cæsarem*; et videntur omnino huc translata e tertia abhinc linea, *transmisit ad Cæsarem*. Ceterum utro modo cumque leges, distinctiuncula et parenthesi sic juvabis: *Rex Amyntas meliora et utiliora secutus (nam Deillius exempli sui tenax fuit et illo bello) virque clarissimus Cn. Domitius*, &c. Nota amplius, videri in fine periodi legendum, *transmisere ad Cæsarem*, quia textus omnino sermonis exigit Amyntam quoque comprehendi. *Lipsius.*

Deillius] Melius reposueris *Delius*. Nam Plutarcho, Dioni, et aliis, dicitur Δέλλιος. *Vossius.*

Nisi nomine] Ita cum Antonius Cleopatræ Artauasden Armeniæ regem captum vinctumque, cum suis, ostenderet; barbari neque alia humilitatis indicia edidere, ad quæ minis promissisque stimulabantur, neque aliter quam nomine compellavere, Cleopatram, non reginam vocantes. Dio auctor XLIX. p. 475. *Boecler.*

Transmisit ad Cæsarem] Lipsius mallet *transmisere*, cum ad plures referatur: potest tamen vulgata lectio tolerari. *Idem.*

CAP. 85. *Pro salute alter*] Ita Pacatus paneg. XII. c. 33. 'Tanta erat dissimilitudo caussarum, ut ab illis' (Antonianos intellige) 'fuerit Romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas.' *Idem.*

M. Lario] Legendum putamus, *M. Lurio*, non *M. Lario*: et gentilis fortasse ejus est, qui in æreis Augusti

numismatibus dicitur P. LVRIVS. AGRIPPA. III. VIR. A. A. A. F. F. *Ursinus. M. Lario*] *Lario* est in Dione, et recte. *Lipsius.*

Sosioque commissum] Verum, *Sossio.* Plutarchus hæc omnia longe aliter, nec Sossium inter duces agnoscit. Dio vero etiam mortuum illum facit in levi pugna contra L. Tauresium: in qua, superventu Agrippæ, ipse et Tarcondimotus sint cæsi. Hoc paullo ante Actiacam pugnam. At ecce vivum eum iterum facit initio libri sequentis, et inter eos ponit, quibus ignoverit Cæsar. Quid dicam nescio, nisi haud unum Sossium fuisse. *Idem. Sosioque commissum*] Lipsius, *Sossio.* Et ita Græci. Sed Latini omnes cum Velleio Sosium vocant. Extant etiam numismata Antonii, in quorum adversa parte legitur, C. SOSIVS ZA. Cæterum, ne cum aliis erres, duo fuere Sosii in castris Antonii. Alter ante victoriam Actiacam in levi pugna contra L. Arruntium periit, teste Dione lib. L. alter post victoriam incolumitatem ab Augusto impetravit; teste eodem, libro sequenti. L. Arruntium dixi, non Tauresium, ut alii afferunt, corrupta Dionis scriptura inducti. Nam ubi vulgo legitur, *Λουκίου Ταυρησίου ναυσὶν ὀλίγαις ἐφορμοῦντος*, non dubito, quin reponendum sit, *Λουκίου Ἀρρουντίου*. Huic enim lævum Julianarum navium cornu commissum fuisse, ex Velleio nostro constat. *Vossius.*

Ut dubites] Cur Rhenanum non audiverunt verissime emendantem, *Viderit e suone?* Nam in autographo erat, *Videbit e suone.* Phrasis nota, et crebra veteribus in rejectione aut contemptu. *Lipsius.*

Fuerat] Melius, *fuerit.*

CAP. 86. *Ex quo*] Aldus Manutius legit, *ex eoque in quem. Ex quo in quem statum*] Notanter ita loquitur Noster, quippe designans initium veræ Monarchiæ. Qua diligentia etiam Dio LI. pr. dum diem Actiaci prælii (IV. Non. VIIbr.) annotasset, ideo se istud præter consuetudinem suam fecisse, monet, *ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν, ὥστε καὶ τὴν ἀναρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι: Quod ab ea die primum Cæsar Octavius rerum potitus est solus, imperiique ejus recensio præcise sumatur ab hac die.* Nec dissentire putandi sunt, qui a reditu Augusti in urbem Monarchiæ initium numerant. Vide Hist. misc. VII. 12. nam cetera nihil aliud, quam consummatio hujus victoriæ fuere. Hoc prælio nactus est eam potestatem, quam postea cœpit Romæ exercere ac usurpare. Unde Dio ipse principio lib. LII. de hoc tempore: *ταῦτα μὲν ἔν τε τῇ βασιλείᾳ, καὶ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ, ταῖς δὲ δυναστείαις, πέντε τε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, καὶ ἔπραξαν οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ἔπαθον. Ἐκ δὲ τούτου μοναρχεῖσθαι αὐθις ἀρξάμενοι ἤρξαντο: Hæc itaque Romani primo sub Regibus, postea in Libertate, denique in principatibus certorum hominum, et gessérunt et experti sunt, annis* DCCXXV. *Ex hoc autem tempore rursum penitus sub unius imperio capit esse Respublica.* Quem locum eo lubentius attuli, ut eos refutaret, qui a Julio potius Cæsare, quam ab Augusto initia Romanæ monarchiæ numerant. Dio enim, ut par erat, ante hoc tempus, et post Libertatem, tantum *δυναστείας* sive *dominationes* agnoscit, iisque Julii etiam principatum accenset, qui neque diuturnus fuit, et mox repetita quamvis improspere libertate sublatus est. Itaque et Herodianus diligentissimi calami scriptor, ab Augusti tempore Principatus initia numerans in præfat. sui operis, hanc veluti causam subjicit: *ἐξ οὗπερ ἡ Ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν: nam ex eo tempore Romanorum potentia ad unius est arbitrium devoluta.* Consentit Aurelius Victor, qui in Cæsarib. et Epit. I. observat Augusti tempore, et quidem post prælium Actiacum 'repetitum Romæ morem, uni pare-

sus parendi.' Non tamen invideri debet Julio Cæsari honor primi inter Roman. Imperatores loci. Accurate enim loquendo, de Julio et Octavio dici potest, quod Justinus de Philippo Maced. et Alexandro judicat, IX. 8. 21. 'Orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.' *Boecler.*

Philippiis] Vulgo, *Philippis. Philippiis*] Non ausim V. C. lectionem mutare, quæ est, *In campis Philippiis, si sic licuisset.* Sane *Philippiis* constanter etiam legitur in codicibus Mss. Aurelii Victoris. *In campis Philippiis*, est, *ἐν πεδίοις Φιλιππείοις. Voss.*

Facturus fuerit] Videtur deesse *modum.* Mox quoque, ut videtur, multa desunt. *Rhenan. Facturus fuerit*] Inepte, *triumphum.* Idem autographum, *modum.* At quæ sequuntur hiulca et mutila sunt: nec ullum ingenium expleverit. *Vossius.*

At Sosium] Vulgo, *Ad solium alarunt in prisca gravitate celeberrimi fidei, mox dum clementia luctatus sua Cæsar servavit incolumem.* Divina plane conjectura Cl. Puteani, ita hunc locum restituentis: *At Sosium L. Aruntii prisca gravitate celeberrimi fidei, mox, &c.* Hoc sensu: vel quod L. Aruntius, seu potius, Arruntius, Sosium unum ex Antonianis ducibus occultarit: vel quod ei incolumitatem a Cæsare exoraverit. Cui rei egregie inservit Dionis locus ex lib. LI. ubi Sosium post fugam occultatum, et latentem, ab Augusto incolumem servatum scribit. *Idem.*

Clementia] Velim *cum clementia.* Lipsius.

Mea in Antonium majora merita sunt] Inter eximia hominum per civilia bella quietorum, sive mediorum ac neutrius partis, Lipsius polit. VI. 6. 7. ubi de hoc argumento agit, hujus quoque Pollionis consilium dictumque laudat. Congruit Attici verbum, cujus exemplum in hoc genere sine exemplo est. Cum Sulla, qui plurimum amaret Atticum, Athenis secum cuperet deducere adolescentem, 'Noli, oro te,' inquit, 'adversum eos me velle ducere, cum quibus, ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.' Corn. Nep. in vita Attici, IV. 3. *Boeclerus.*

Discrimine vestro] Legendum fuerat, aut *e discrimine*, aut *discrimini.* Sane multoties in Velleio *e* pro *i* scriptum offendimus, et quibusdam locis emendavimus. Cujus erroris fons, ut arbitror, vetus scriptura, qua *i* finale etiam, plerumque per *ei* diphthongum exarabatur. *Acidal.*

CAP. 87. *Non segniter interemit*] Erat Antonio servus, nomine Eros, quem jampridem hortatus fuerat, ut jussus ipsum interficeret. Is cum id, quod olim in se receperat, tum præstare juberetur, stricto gladio, cum Antonium videretur icturus, averso vultu seipsum confodit, et ad heri pedes accidit. Tum Antonius, Bene, inquit, o Eros, qui, quod facere non poteras, mihi, quomodo faciendum esset, ostendisti: simulque vulnus sibi in ventrem ingessit, et in lectum se dimisit. Paullo post, Cleopatram vivere cognito, statim tollendum se famulis præbuit: manibusque eorum ad fores usque domicilii, in quo ea erat, portatus est. Cleopatra foribus non apertis de fenestra se conspiciendam præbuit; catenisque et funibus demissis, iis implicatum ipsa, et duæ, quas solas secum in munimentum receperat, mulieres attraxerunt. Qui interfuerunt, nullum eo miserabilius spectaculum exstitisse asserunt. Plutarchus.

Morte redimeret] Tali sententia Tacitus de Sempronio Graccho A. I. 53. 7. 'Constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat.' Contra de Juventio Laterensi Noster supra: quem 'vita et morte consentaneum' dixit. *Boecler.*

Illata aspide] Verba sunt partim

luxata, partim corrupta; quæ ita restituenda putamus: *At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide sinui, morsu ejus, expers muliebris metus, spiritum reddidit.* Ursinus. *Aspide*] Tres aspidum species facit Galenus, et ex eo Aëtius, χερσαίας, χελιδονίας, et ἁπτύδας. Χερσαῖαι dictæ, quæ in mediterraneis degebant, cum Chelidoniæ circa ripas fluminum colerent, et præcipue Nili. Ἁπτὰς dicta quia inspuendo perimit, non morsu, sed et tardius conficit. Omnium commune σύμπτωμα, somnus, et dormiendi libido, ac sine sensu aut dolore mors. Chelidonia cum Sistro et Osiride inter mysteria et initia Isiaca semper pingitur. Ovidius: 'Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris, Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.' Serpentem *peregrinam* vocat aspidem, id est, Ægyptiam, quia in Europa non viseretur. Errore igitur communi ductus Strabo, vel aliud agens, aspidas in aliis regionibus ponit. Quas enim vulgo vocamus Aspides, nullam habent fere communem notam cum illis quas veteres describunt. *Salmasius.*

Morsu sane ejus] Alii, *in morsu sane ejus.* Acidalius non citra rationem transponit, *morsu ejus, sane expers muliebris metus.* Boecler.

Spiritum reddidit] Anno ætatis 39. Vise Horatii Odam 37. Carmin. I. *Schegkius.*

Parmensis Cassius] Hist. miscell. VII. 10. 'Interea jussu Cæsaris occisi sunt, major Antonii filius, et P. Canidius, infestissimus quidem Cæsari, sed et Antonio infidus, et Cassius Parmensis, ultima violati patris victima, et Q. Ovinius,' &c. Omnino autem non videtur repudianda admonitio Acidi, qui pro vulgato (*ut dederat Trebonius*) legit, *ut dederat primus Trebonius.* Certe particula συγκριτική frigide usurpata videbitur, si ad necem potius quam ad aliquam necis περιστασιν referatur. *Boeclerus.*

Ut dederat Trebonius] Legit ex Ciceronis Philippicis, et ex Latini sermonis observatione: *ut dederat primus Trebonius.* Manut.

CAP. 88. *M. Lepidus*] Conjurationis Lepidi, meminere Sueton. Aug. 19. Liv. Epit. CXXXIII. Dio LIV. p. 667. Seneca de clem. I. 9. *Boeclerus.*

C. Mæcenas] A taciturnitate commendatus Horat. lib. II. Sermon. 6. 'Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.' Adi Suetonii cap. 66. [Nuper vita Mæcenatis a Meibomio edita.] *Schegk.*

Equestri] Fuit equestri tantum genere, inquit, sed illo præ ceteris claro et illustri. Nota ejus prosapia Hetrusca præconiis Horatianis, Propertianis, atque aliorum. *Acidal.*

Non minus Agrippa, &c.] Inter præcipuos Augusti amicos, imo principes amicorum fuit Mæcenas, cum exceptione tamen ultimi temporis, quam Tacitus suppeditat A. VII. 30. 6. 'Provecta enim ætate' (quod et Sallustio Crispo acciderat) 'speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit: fato potentiæ, raro sempiternæ; an satias capit, aut illos cum omnia tribuerunt, aut hos cum jam nihil reliquum est quod capiant.' Adi Lips. polit. III. 11. 20. et 21. ubi egregia quædam annotata. Scip. Amirat. dissert. polit. ad Tac. lib. III. 4. Enenckelium in Seiano. *Boecler.*

Angusto clavo] Vulgo, *angusti clavi.* *Angusto clavo*] Ita recte. Sed τὸ *pene* an convenit? Ille vero planissime contentus vixit, nec opus vocula hac imminuente vel ambigente. Magis ad Mæcenatis ingenium: *bene contentus*, vel *plane*. Lips. *Angusto clavo*] Equestri ordine: nam clavo equites et senatores discreti. Lampridius in Severo: 'Tum satis esse constituit, ut equites Rom. a senatoribus clavo discernerentur.' Quid fuerit, erudite disserit Cujac. Observat. lib. XII. cap. 39. *Schegkius.* *Angusto clavo*] Tunicarum duo genera reperio, cum clavis

unum, alterum simplex: clavi autem vel lati, vel anguſti: lati omnium, qui vel patre senatore, vel equites nati essent, non a primis annis per omnem ætatem, sed ab anno XVII. quo etiam virilis toga sumebatur, ad annum ætatis senatoriæ, quo anno curiam ingredientibus remanebat ejusdem tunicæ jus: sin autem senatoriam dignitatem non assequerentur, vel, quia nollent, otiosam ac tranquillam vitam honoribus anteponentes; vel, quia non possent, gratia destituti, lato clavo deposito, angustum sumebant. *A. Manutius.*

Nec minora consequi potuit] Forte legendum, *nec majora consequi non potuit*. Rhenan. *Nec minora consequi potuit*] Profecto verius Rhenani, *nec majora consequi non potuit*; cui argumenta dicerem, et vitii occasionem adderem, si requirere quemquam putarem. De Mæcenate, in Elegia, etsi non nimis eleganti, super obitu ejus: 'Major erat potuisse, tamen nec velle triumphos. Major res, magnis abstinuisse, fuit.' E qua et alia multa, de Urbis custodiis, de mollitie, de otio, de fide in Augustum, huc referri queunt. Sed Propertius insigniter, lib. III. Eleg. ad ipsum Mæcen. 'Mæcenas, eques Hetrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam.' Et deinceps ibidem: 'Quum tibi Romano dominas in honore secures, Et liceat medio ponere jura foro: Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes, Atque onerare tuam fixa per arma domum: Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni Tempore tam faciles insinuentur opes: Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras, Velorum plenos subtrahis ipse sinus. Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos Judicia, et venies tu quoque in ora virum: Cæsaris et famæ vestigia juncta tenebis. Mæcenatis erunt vera tropæa fides.' Quæ ideo prolixius adscripsi, ut sapersuacuam ab iis defenderem correctionem. Negat quidam recte dici, *vestigium famæ*: negat, *vestigium tenere*. O Dii! quam multi ergo latine nescierunt homines latinissimi, et e quorum ipse scriptis latinitatem nobiscum hausit? Nam exempla quid afferam? Sed reponit, *famæ fastigia juncta tenebis*: quod quidem non magis convenit, quam quod minime. Hoc dicit enim Propertius: Quocunque vestigia fama Cæsaris porriget, eodem fama etiam tua: quo fama Cæsar penetrabit, eo tu junctim; ita juncta famæ vestigia tenebis. Tantum quippe fide tua in Cæsarem meruisti, tantum modestia: quæ in veris trophæis numeranda, nec magnis aliorum triumphis inferior habenda. Qua in explicatione sequor veteriorum codicum lectionem, *magnos æquabunt ista triumphos*: quæ res visa nobis accommodatior, cum aliis argumentis, tum quia de trophæis statim subjicitur. *Acidal. Nec minora consequi potuit*] Merito suspectum fuit Lipsio illud *pæne*. Utique vixit non *pæne*, sed *plane* contentus angusto clavo; nisi tamen ita velis interpretari, Mæcenatem pæne nihil supra equestris dignitatis modum optavisse: mansit quidem in illo ordine, sed non una ratione supra equitum dignitatem honoratus est. Quod autem idem vir doctissimus sequentia verba in aliam faciem reformat et rescribit; *nec majora consequi non potuit, sed nunquam concupit*: minime id quidem ferendum autumo, cum haud dubie sensus optimus in vulgata sit: *potuisse Mæcenatem non minora consequi, sed non tam concupivisse*. Boecler.

Sed non tam] *Tam* pro *valde*, ut Plaut. 'Ferocem facis, quia te herus tam amat.' Et Plinius, notante Amplissimo Brissonio; 'Oratores quidem ambo, sed tam dispari ingenio.' *Schegk.*

Per summam quietem] Quod sæpius monere poteram, semel notabo, quam sit in sua expositione Velleius πολύτροπος

καὶ ἀθικός. Ecce quam paucis verbis quantum politicæ artis hic incluserit! Nonne enim omne et consilium et encomium opprimendarum conspirationum in eo versatur, ut dissimulata speculatione veluti aliud agendo, et per speciem otii, consilia scelerata observentur, et in ipsa temeritatis molitione deprehendantur? deprehensa autem celeriter et absque omni περιεργίᾳ vindicentur, prius quam tumultus aliquis exoriri, rerumque aut hominum perturbatio intervenire possit, quæ plerumque difficilem eam medicinam reddit? *Boeclerus.*

Servilia Lepidi uxor] Atqui nupta juniori Lepido fuit Antonia, M. Antonii Triumviri filia: quod ita in Dionis XLIV. extremo libro leges. Scire licet igitur, illa spreta aut mortua, alteram superduxisse. *Lipsius.* *Servilia Lepidi uxor*] Fidem vix mereri videtur, quod de Servilia narrat Paterculus. Sane omnes antiqui id uno ore Porciæ, Bruti conjugi, adsignant. Altumque de Servilia silentium apud Valerium Maximum, diligentem rerum talium notatorem, quique iisdem temporibus vixerit. Ut hæc mittam, nemo historicorum Serviliam Lepidi uxorem dixit; sed Antoniam, triumviri filiam: ut apud Dionem l. XLIV. legas. Quæ etsi satis verisimilia videantur, tamen Velleio non ausim fidem detrahere. Nam factum illud Serviliæ etiam respicere videtur Ælianus lib. XIV. cap. 45. Variæ Hist. Γυναῖκας τῶν Ῥωμαίων ἐπαινοῦμεν, Κορνηλίαν, καὶ Πορκίαν, καὶ Κεστιλίαν. Quæ enim fuerit illa *Cestilia?* Censuerim Σερβίλιαν reponi debere. Potuit enim eam Lepidus, Antonia spreta vel mortua, superducere. *Vossius.*

Vivo igni] Id est, ardenti. *Vivo igni*] Hinc Aristoph. πῦρ ζῷῃ: et 'vivæ lucernæ,' apud Horatium. Imo et passim ab auctoribus vita igni adscribitur. Alio plane modo 'vivum sulphur' vocant Latini, quod Græci ἄπυρον, hoc est, *ignem non expertum.* Vide Plinium lib. XXXV. 15. *Vossius.*

CAP. 89. *Quo occursu*] Notat Dio ad hanc rem, 'Decretum a Senatu, ut si urbem ingredienti virgines Vestæ, Senatus populusque cum conjugibus ac liberis occurreret.' Libro LI. *Lipsius.* *Quo occursu*] Haud opus erit huic loco emendationibus, si ejiciatur vocula *occursu*, nata e glossa marginali, mea quidem sententia. *Gruter.*

Repræsentavit] Lipsius malit *repræsentarit.*

Vicesimo anno] Nam a Lentulo et Marcello coss. quibus civilia arma primum sumta, usque ad Cæsarem V. et Sex. Apuleium coss. quibus posita sunt, tot anni numerantur. Quæ deinceps Augustus gesserit, habes quoque apud Virg. Æn. VIII. et Ovid. Met. XV. *Schegk.*

Allecti duo] An ergo jam octo prætores? Certe illis 'octo prætoribus,' qui antea erant, jam Julius Cæsar duos primo, mox plures adjecerat. Sed Velleius noster Julianum numerum, quippe extra ordinem et ad tempus usurpatum, negligere, ac de octonario ordinario, cujus passim apud Ciceronem mentio, loqui videtur. Ceterum de numero prætorum varie aucto imminutoque egit Lipsius in excurs. ad Tac. A. I. 14, 4. *Boecler.*

Antiqua Reip. forma] Quæ illa forma? an libertas? Adulatur hic Velleius. Quanquam de simulatione Augusti verissime equidem dicitur. Nihil magis Augusto inter initia curæ, quam, simulacro Libertatis et Reip. improvidis populi animis objecto, vim principatus interim complecti et intendere. Est enim omnis dominationis novæ arcanum primarium, simulatio antiquæ, quod nec Tiberius postea omisit usurpare. *Idem.*

Revocata] Scribo *renovata*: cum et venustius ita sit, et paullo ante vox eadem *revocata* fuerit: cujus iteratio per se est invenusta. *Acidal.*

Leges emendatæ utiliter, &c.] Suet. Aug. 34. 'Leges retractavit, et

quaedam ex integro sanxit.' Hist. miscell. VII. 19. ' Clausis Jani portis, Remp. quam bello quæsierat, pace nutrire et amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverentia disciplinæ morem gereret.' Aurel. Vict. Epit. I. ' Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine.' An illa, *suo nomine*, a glossatoris manu sunt, qui in margine forte explicandæ vocis, *protulit*, adscripserat? Flor. IV. 12. 65. ' Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala et in luxuriam fluens sæculum gravibus severisque legibus multis coërcuit.' Addendus Dio LIV. et alibi, et Tac. III. 28. 3. ' Sexto demum consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat abolevit; deditque jura, quis pace et principe uteremur.' Quæ postrema verba Clapmarius ex ratione arcani politici, qua præsenti statui semper accommodari leges solent, explicat: alias enim Regno, alias Aristocratiæ, alias Democratiæ convenire. Itaque Augustum suas leges rationibus Monarchicis accommodasse. Arcan. II. 10. Fortasse tamen, consideratis omnibus, quæ meditationem hujus loci juvare possunt, potius audienda est Freinshemiana paraphrasis: ' jura constituit ita comparata, ut eorum beneficio certa restitutæ tranquillitatis bonique principis utilitas ad civitatem pertingeret.' *Boecler.*

Sine asperitate] Suet. Aug. 35.

Principes viri, &c.] Suet. Aug. 29. ' sed et ceteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis, vel novis, vel refectis et excultis, urbem adornarent.' Tacitus ita de hoc more loquitur A. III. 72. 1. ' Erat etiam tum in more publica munificentia; nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias et exundantes opes ornatum ad urbis et posterorum gloriam conferre.' Quæ verba magnam *μείωσιν* habent, monente Casaubono, si cum Velleio et Suetonio conferas. Sed Tacito Monarchici auspicii consuetudo in mente fuit, quasi diceret: Etiamsi alias monarchæ et Principes, ut alia publice gloriosa, ita publicorum operum magnificentiam sibi debebant aut poterant vindicare, tamen Augustus non obstitit, imo (quod Noster jam addit) stimulum adjecit Principibus viris, ut publicis operibus struendis aut instaurandis suas opes collocarent. Non erraverit forte, qui in adjecta Taciti voce, *exundantes* opes, arcani latentis rationem sibi patefieri insinuari. Timentur, in novo præsertim Principatu, magnæ opes, virique tum alia claritudine, tum exundantibus divitiis nobiles: unde callidum istud, ab impio ore apud Tacitum A. XI. 1. 2. ' auri vim atque opes Principibus infensas,' in exitium egregii hominis valuit. Sed et Aristoteles Pol. V. 8. inter provisiones conservandæ reip. ponit, ' ne quis sinatur nimium opibus abundare.' Unde magistri dominationis variis artibus locupletissimum quemque in prædam corripiunt. Verum id improbum est et nullo modo ferendum; sicut et Aristotelicum illud *ἀκόντιον*, quo alibi et docere et velare remedium ejus rei voluit, magnæ multæque cautionis est. Quanto melius Augustus in sumtus publice decoros et utiles, specie honoris et gloriæ, illexit (ita enim signanter loquitur Noster) viros principes! Hoc ego pro omnibus arcanis Regibus commendandum duxerim': cum præsertim omnis ea laus judicio posteritatis ad ipsos redundatura sit, neque unquam deerunt occasiones, quibus inducti volentes possint ad ærarium sublevandum et magnificentiam publicam augendam. *Boecler.*

Usque ad undecimum] Accurate Suetonius Aug. 26. *Idem.*

Nam dictaturam, &c.] Sueton. Aug. 52. ' Dictaturam magna vi offerente

populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.' Item Dio tradit principio lib. LIV. veraque ἀνατρίσεως consilium Augusti declarat: τήν τε γὰρ ἐξουσίαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτορας ἔχων, ὀρθῶς τό τε ἐπίφθονον καὶ τὸ μισητὸν τῆς ἐπωνυμίας αὐτῶν ἐφυλάξατο: *Recte*, inquit, *declinavit invidiam et odium hujus, quam efferebant, appellationis: quippe qui et honorem et potestatem dictatoria majorem jam haberet.* Quippe ut olim Regnum, propter tyrannidem Tarquiniorum, ita Dictatura propter odium dominationis Sullanæ Julianæque sub titulo hujus potestatis exercitæ, in flagrantissimam omnium detestationem venerat. Atque sicut Regnum, instituto Valerii, ita Dictatura, lege Antonia, ex rep. jam in perpetuum quasi exilium erant relegata. Itaque singulare arcanum prudentiæ Augustæ latet in istis apud Tacit. A. I. 9. 5. 'non regno tamen, neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam rempub.' Licet enim haud dubie Regis nomen in terris augustissimum sit (sicut amplius dicetur in libro de Auspicio Regio, quem adornamus) tamen Augustus, merito tempori serviens, re ipsa contentus fuit; nomen, quod ex superbia in invidiam venerat, remisit; cum præsertim vellet videri libertatis restaurator, sicut paullo ante dictum est, ergo non expediebant huic simulationi dominantia nomina, aut eorum quidquam quæ libertatis eversores usurpaverant. Florus IV. 12. 66. obscure potius et de oblato tantum dictatorio nomine loqui, quam in re tam nota prorsus errare, existimandus forte fuerit, cum scribit: 'Ob hæc tot facta ingentia, Dictator perpetuus, et Pater Patriæ dictus est.' Dictus sane est ab offerentibus Dictaturam, sed deprecatus est honorem. *Idem. Nam dictaturam, &c.*] Eutropius ad lib. I. sub dictaturæ nomine et honore regnasse docet. *Schegk.*

Tum constanter repulit] Valde erraut Brissonius et Popma: qui τὸ *tum*, pro *valde*, poni asserunt. Num quam hoc non pronomen, sed adverbium, eique τὸ *tum* opponitur. Neque unquam absolute *tum* pro *valde* locatum reperias: non magis sane quam *adeo*. Quæ particulæ plerumque præ admiratione, aliave causa, reticeri quiddam indicant. Et ita capi possit illud Plinii Nat. Hist. lib. VII. cap. 49. a Popma firmandæ sententiæ adductum: 'M. Cælius Rufus' (sic lego) 'et C. Licinius Calvus, eodem die geniti sunt; Oratores quidem ambo, sed tam dispari eventu.' Vix tamen dubito, quin *tamen* ibi sit reponendum: quomodo reperio in Mss. et veteri editione Parmensi. *Vossius.*

Pacatusque] Nec incommode, *peregrutusque*. Lipsius.

Fatigent] Legebatur *fatigans*. Porro, quod Lipsius, pro *subjecimus*, mox legit *subjicimus*, ea mutatione non videtur opus esse. *Boeclerus. Fatigans*] Hæc cum præcedentibus nullam efficiunt sententiam; ni scribas *fatigant*, aut potius *fatigent*. Si paullo quid amplius tibi indulgeas, possis non minus apposite *fugitant*, hocque, ut fatear, vix me teneo quin reponam. *Acidalius.*

CAP. 90. *Coalescentibusque Reipublicæ membris*] Tria hæc verba quæ vulgo adduntur, *et eorum altero*, Aldus tollit, atque alii illo duce. Nec nego sententiam absque iis probam esse: unde tamen sic frustra irrepserint? Mutari melius videatur, *et curante eo quæ tam longa*: nempe Augusto salutarem curam et medicinam adhibente reipub. laceratæ. *Lipsius. Coalescentibus, &c.*] Vulgo, *coalescentibusque reip. membris, et eorum altero, quæ tam longa armorum series laceraverat.* Tres voces, *et eorum altero*, quidam tollunt. Mihi eam audaciam assumere non ausim, præsertim cum vulgaris lectio Ms. auctoritate suffulta sit, nisi quod in eo fuerit *altero*. Ego legendum arbitror: *eo curante serie, quæ tam*

longa, &c. Ut dicat Paterculus, serio Augustum curam medicam contulisse membris reip. laceris. Lipsium tentasse video: *et curante eo, quæ, &c.* Sed verborum nexus nostræ conjecturæ plus videtur favere. *Vossius.*

XX. *et* CC.] Obscurum sive mutilum est: et intellige *annos*, aut adde. Hoc sane vult, annos CCXX. medios esse, a quo tempore vinci Dalmatia cœpit ad nunc victam. Primum autem bellum in Illurios et Dalmatas fuit sub Teuta eorum regina: anno DXXIX. Postremum nunc cum victi et domiti ductu Tiberii, auspiciis Augusti, anno DCCXLIII. Facilis supputatio. *Lips.* XX. *et* CC.] Omnino videntur esse addendi *anni*: nam subintelligere durum fuerit. Vide de his et Alpinis nationibus Flor. IV. 12. quæque Freinshemiana industria ibi annotantur. *Boeclerus.*

Ad certam confessionem] Ita fere supra in recensione provinciarum: 'Certam Hispanis parendi confessionem extorserat.' *Acidal.*

Hispaniæ] Justinus XLIV. 2. 7. et XLIV. 5. 7. et 8. Jo. Gerundens. Paralip. a lib. IV. usque ad fin. Thuan. Hist. I. *Boecl.*

Quem usque, &c. exercerat] Hæc omnia parenthesi comprehendenda censet Lipsius.

Imperatoribus] Nonne odiosa, imo falsa vox, *imperatoribus*, cum mox, ut novum quid, subjiciat Velleius, 'illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces?' Certe vel V. C. lectio id doceat, quæ est, *ut amissis prætor imperatoribus exercitibusque.* Unde scribendum arbitror: *Ut amissis prætoriis et imperatoriis exercitibus:* aut *prætoriis imperatoriisque exercitibus.* Sane hæc duo supra etiam junxit Velleius, ubi de Statio Murco et Crispo Marcio dixit, 'prætoriis viris imperatoribusque.' *Vossius.*

XX. *annorum*] Qui plurimum numerarunt, annos fecerunt XIV. belli Viriathini: ut Livii Epitoma, et Florus. Appianus, 'annis' duntaxat 'octo id bellum gestum' aperte scribit. Aperte, inquam, atque etiam exacte. Nam ille numerat ab anno DCVI. quo proprie id cœpit: Livius et Florus ab anno DCI. quo Lusitani rebellarunt, non tamen Viriatho duce. Sed quia connexa bella fuerunt, confundunt. Quorsum hæc? ut prælargum falsumque esse Velleianum numerum constet, et parte altera truncandum: *Contumelioso* X. *annorum bello*, legito; et Justinum auctorem habeto: 'In tanta seculorum serie nullas illis dux magnus, præter Viriathum, fuit: qui annos decem Romanos varia victoria fatigavit.' *Lipsius.*

XX. *annorum*] Puto XV. Tot enim annis circiter duravit bellum, quod Viriatho potissimum duce gestum. Lipsio placuit, X. *annorum*. Cui hac in re non faveo. Scio quidem Viriathi imperium non ultra patere; sed videtur Velleius de duratione belli potius, quam annis imperii Viriathi loqui. Et hac ratione etiam defendi possint Epitomator Livii lib. XIV. et Florus lib. II. 17., qui Viriathum XIV. annos cum Romanis bellasse scribunt. *Vossius.*

Numantini belli] Vide Florum lib. II. cap. 17. et 18. ubi tota Historia narratur.

Per quinquennium] Atqui octo annos bellum hoc Sertorio duce gestum, et octavo ipso cæsus. An ergo *octennium* hic legimus? an vult priores quinque annos ambignos, reliquos non sic fuisse? *Lipsius.*

CAP. 91. *Phraates*] Dio et ceteri scriptores Orodis filium Pacorum, non Phraatem, edunt, ut fortasse hic quoque *Pacorus*, pro *Phraates*, reponendum sit. *Ursinus. Phruates*] Desidero hoc loco majorem in Ursino curam, qui, pro *Phruates*, substitui rectius posse putat *Pacorus*. Nam hunc, ait, historicorum consensus Orodis filium facit. Quasi vero Orodes plures habere filios non potuerit. Imo ex Justino, Dione, Zonara, ac aliis, triginta eum filios habuisse constat, interque eos

Pacorum et Phraatem. Præterea temporum quoque ratio Ursini conjecturam respuit. Nam ex iisdem auctoribus, imo et Velleio, constat, Pacorum ante fugam Antonii a Ventidio jam fuisse occisum. *Vossius.*

Remissa sunt] Florus IV. 12. 68. cum declamatoria προσθήκη: 'Parthi quoque, quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana ultro signa retulere.' *Boecl.* *Remissa sunt*] Recepta a Tiberio. Sueton. August. 21. Tiber. 9. *Schegk.*

Quod cognomen] Illi Planci sententia senatus indidit, ex ante diem 16. Kal. Februar. Censorinus c. 21. Contra Ovidius Idibus Januariis, Fast. I. 'Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis. Redditaque est omnis populo provincia nostro, Et tuus Augusto nomine dictus avus.' De vocis significatione idem, Suetonius, Dio, Eutropius. *Idem.*

Consensus] Melius quam vulgatum *consensu.*

L. Murena et Fannius Cæpio] Recte Velleius jungit hos duos, tanquam unius conjurationis populares, sive principes. Ita enim Dio LIV. p. 598. et Sueton. Tib. 8. *Boecler.*

Rufus Egnatius] Suet. Aug. 19. Dio. LIII. p. 587. et seq. Senec. de clem. I. 9. Tac. A. I. 10. 8. *Idem.*

Ut ei præturam continuaret] Non quia bis Prætor: sed hoc modo vult, continuasse eum et junxisse Præturam Ædilitati. Opus enim intervallo annorum erat a magistratu ad magistratum: Egnatius id neglexit. Ipse Velleius ita interpretatur pagina seq. dum ait, 'Præturam Ædilitati junxisse.' Dio idem indicat lib. LIII. *Lipsius.* *Ut ei præturam continuaret*] Τὸ *ei* refer ad ædilitatem. Errat vero Acidalius, qui, pro *ei*, mallet *et* rescribi. Docet hoc ipse Velleius paulo post, his verbis: 'C. Sentius Saturninus, &c. Egnatium florentem favore publico, sperantemque ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit.' Liquet ergo, *continuare* Velleio nihil aliud esse, quam, *continuo jungere.* Vossius.

Abditusque carceri] Verius arbitror *addictusque.* Acidal.

CAP. 92. *Protraxisset*] In lucem protulisset.

In campum] Martium.

Præturæ] *Præturam* videtur vocare *propræturam.* Nam Egnatius, cum se candidatum profiteretur, propræturam gerebat. Prætor autem fuerat ante septennium, ut apparet ex Dione lib. LIII. ubi tamen pro Μάρκος Ἐγνάτιος Ῥοῦφος, perperam perscriptum, Μάρκος ὁ Γνάτιος Ῥοῦφος. *Voss.*

Audita vinis, &c.] Sententiam etiam aliis bene dictam cum expolitione et interpretatione rationis, quæ subest, effert Velleius. Valde enim subtile est illud: 'præsentibus nos obrui, veteribus instrui credimus.' *Boecler.*

CAP. 93. *Marcellus*] Servius in Virgilii vita ita loquitur: 'Cui' (scilicet Augusto) 'tamen multo post perfecta demum materia, treis omnino libros recitavit, secundum videlicet, quartum, et sextum; sed hunc præcipue ob Octaviam, quæ cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, TU MARCELLUS ERIS, defecisse fertur, atque ægre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari jussit.'

Per M. Agrippam] Agrippa enim summopere a populo diligebatur, neque parum meritis suis in rempubl. et Augustum fidebat: ideo nec Augustus ausus est Marcellum ei præferre. Unde prima offensionum inter Marcellum et Agrippam semina; quæ ne erumperent, Augustus sub specie ministeriorum principalium Agrippam ablegavit. Dio LIII. p. 593. ubi etiam de magnificentissimo Marcelli munere. Adde Sueton. Aug. 66. *Boecler.*

Secure] Vet. editio *securos.* Ex quo legendum conjicit Lipsius *securo.*

Decessit] An in Stabiano? Vitium numquam satis laudato Scaligero ad

Propertium; non Lipsio, cui, Baiis; quem adi ad Tacitum. *Schegk.*

Filiam Cæsaris Juliam] Coactus repudiare priorem uxorem, quamvis esset sororis Augusti filia. Matrimonii hujus caussa duplex: altera e temporibus et negotiis petita: (volebat enim Augustus, cum abesse Roma cogeretur, ad coërcendas subnascentes turbas præficere urbi Agrippam: qui prudentia tantæ rei par, etiam dignitate principalis matrimonii ad venerationem publicam provehendus videbatur:) altera e profunda ratione status, quam vocant, sive potius e consiliis dominationis; dum callidissimus Mæcenas in aurem Principi insusurrat, 'Agrippam jam tantum fecisti, ut vel gener tibi asciscendus vel occidendus sit.' Heu! quantus ab extremo in extremum saltus! nimium ille quidem, nimium magnis aulis familiaris. Adeo inter summa et ima apud *Statistas*, si volunt ita appellari, nihil medium est. Adi Dionem Liv. p. 600. *Boecler.*

Cap. 94. *Quo bimo nato*] Nemo non videt, legendum esse *trimo*: ex loco superiore cap. 75. Nam etsi bimum nominavit, tamen ab eo tempore ad nuptias annus fere intercessit. *Manutius.* *Quo bimo nato*] Schegkius ediderat, *Quo primo nato.* Legebatur, *quo primo*, unde Aldus fecerat, *quo trimo.* In variantibus Lect. a Raphelingio editis, *quo bimo*: utrumque (*trimo* et *bimo*) habet, quo se tueatur. *Boecler.*

Visuque prætulerit principem] Id videtur ita emendandum: *visuque prætulerat principem, &c.* nam præcedit, *sperari potuerat, &c.* Sententia vero respicit Euripideum illud, Εἶδος ἄξιον τυραννίδος. *Ursin.*

Maximamque difficultatem annonæ] Suetonius etiam in Tiberio c. 8. testatur: 'eam curam administravisse annonæ, quæ arctior inciderat.' Crebra ea difficultas Romæ: indeque magna laus aut odium recte secusve administrantibus. 'Sane annonæ cura aliquando Pompeio non minus addidit gloriæ, quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidensque lustratus:' teste Plinio in Panegyr. 29. vide Dion. Liv. pr. Lips. elect. 1. 8. Ceterum quæ illa, et cujus tam sollers cura, sufficere potuit rei annonariæ Romanorum ac in longum satis providere? Non immerito aliquis miretur tanti imperii tam periculosum et anceps vitium. Ut ali posset populus Romanus, peregre et longinquis e locis advehenda erat annona; adeo quidem, ut horreum Romanorum, Ægyptus, vel armis occupata vel sterilitate depleta, fame potuerit Italiam urgere. Tac. A. 1. 59. 4. Igitur hæc inter intimas et secretissimas Principum solicitudines non postrema fuit: sicut Tiberius fateri opus habuit, apud Tacit. A. III. 54. 6. in gravissima illa ad Senatum epistola: 'At, Hercule, nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur; ac, nisi provinciarum copiæ et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur? Hanc P. C. curam sustinet Princeps: hæc omissa funditus remp. trahet.' Neque tamen potuit ille ipse, qui de hac cura gloriatur hoc loco, providere, quin subinde 'gravitate annonæ juxta seditionem veniretur.' Tac. A. 6. 13. 1. Caussa hujus mali primo ex divitiis et affluentia, quam tot victoriæ pepererant: hinc a labore et studio agriculturæ in otium et voluptates versa plebs, annonam accipere potius quam parare assuevit. Altera caussa latet in visceribus degenerantis reip. dum magistratus quidam affectatione popularitatis largitioni frumentariæ studebant; et mox perturbata assiduis novis molitionibus republica, quicunque dominationem cupiebant, annona populum inescabant; sive, quod Tacitus etiam inter arcanas

Augusti artes refert A. 1. 2. 2. pelliciebant. Quid hoc erat aliud, quam ad otium et cessationem ab agricultura, veluti signum omnibus sustollere? Scilicet ita obnoxiam sibi fidamque plebem reddebant, si ejus vitam et necessitates, copiam inopiamque veluti in manu haberent. Testatus quidem est ipse Augustus, prodente Suetonio Aug. 42. 'se' aliquando 'impetum cepisse, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseverasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.' Vide, quæ ad hoc argumentum pertinentia P. Cunæus commentatus est de rep. Heb. lib. 1. c. 3. *Boecler.*

Ostiæ] Urbs sita in Tyberinis ostiis.

Artauasdi] De Artauasde legere non memini: de Tigrane monet Dio; Suetonius Tiberio 9. 'Deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit.' Tacitus Annal. II. 'Datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis, more externo, in matrimonium regnumque. Dein jussu Augusti impositus Artauasdes, et non sine clade nostra dejectus.' Patet dissensio, non conciliatio; nisi si forte dixeris cum Velleio, et istum a Tiberio deductum: nam errori Velleium, qui ejus ævi, arguere haut ausim temere. *Scheglius.* *Artauasdi*] Consensu aliter Romani exterique scriptores. Omnes 'Tigrani' regnum datum a Tiberio asserunt, non Artauasdi: Tacitus, Suetonius, Dio, Josephus. Nostra, si vis, ad II. Annal. vide. Ergo Velleius solus hoc nescivit, aut melius scivit? Durum dicere; et certe in rebus Tiberii sui, tam recenti memoria, fæde errasse Velleium piacularis sit culpa. Mihi sedet mutilum defectumque locum esse (nonne multa in hoc libello?) et fuisse antea: *regnum ejus Artauasdi creptum, Tigrani tradidit*, aut tale in hunc sensum. Nam etsi Tacitus et Josephus Artaxiam regno dejectum volunt, non Artauasdem; tamen pro Velleii hac scriptione etiam Dio sit, qui lib. LIV. in actis anni DCCXXXIV. diserte scribit, 'Tiberium missum ut Artabazen' (idem ille cum Artauasde) 'regno pelleret, et Tigranem ei imponeret.' *Lips.* *Artauasdi dedit*] Vulgo *tradidit*. Et cur hic quoque non maluerunt, *Artauasdi dedit*, cum in Ms. fuerit, *Artauzdi dedit*? Cæterum vehementer hic vapulat Velleius, quod Artauasdi a Tiberio regnum datum scribat, cum alii Tigranem substituant. Non excutiam aliorum conatus. Ego vulgatam lectionem satis ferri posse censeo. Movet locus ille Taciti Annal. II. 'Datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Ti. Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit,' &c. [vide supra] 'Dein jussu Augusti impositus Artauasdes, et non sine clade nostra dejectus.' Videtur igitur Velleius Tigranem omisisse, quod, ut ait Tacitus, brevi tantum spatio imperarit. Nec est, quod quis Artauasdem jussu Augusti deductum dicat. Nam et idem de Tigrane ex Tacito cognoscas. Sufficit, si a Tiberio, jussu Augusti, regno impositum statuamus. *Vossius.*

Cujus rex, &c.] Puto, *Cum rex.* Lipsius.

CAP. 95. *Quippe uterque*] Sueton. Tib. 9. Liv. Epit. CXXXVI. et seqq. Flor. IV. 12. 22. &c. Histor. Miscell. VII. 14. Oros. VI. 21. Horat. Carm. IV. 4. ubi Interpretes. Dio LIV. p. 613. et 654. Strabo VII. pr. *Boecler.*

Rætos] *Rhæti*, Ῥαῖτοι, populi Cisalpini et Transalpini, apud Strabonem et Plinium. Sine afflatu ubique in marmoribus, *Ræti*, item *Rati*, si Smetio et Goltzio fides. Ptolemæus Rhætiam circumscribit linea, quæ est inter capita Rheni et Danubii, parte

Danubii a capite ad Æni ostia, Æno fluvio, et montibus supra Italiam extensis. Hi limites Rhætiam Majorem (ut mihi fide dignissimus testis M. Velserus) id est, Rhætiam propriam, quæ postea Rhætia Prima; et Vindelicorum, quæ Rhætia Secunda dicta, complectuntur. Inde est quod Tacitus et Arrianus Ænum inter Rhætos et Noricos fluere scripserunt. Rhæti autem proprii ad Lycum, uti Ptolemæus prodidit; sive verius ad lacum Brigantinum, ut Strabo significat, a Vindelicis dividebantur, et hi fere sunt qui hodie *Churwalen*, et *Graupuntner* Germanice, *Grisoni* Rhætice vocantur, Scudo auctore. *Ortel.*

Vindelicosque] *Vindelicia*, Οὐινδελικία Ptolemæo, regio quæ Lyco, Danubio, Æno, et Alpibus circumscribitur: idque verissime. 'Postremis Romanor. temporibus Rhætia Secunda dicta: sic enim in Lib. Notitiar. Præpositus thesaurorum Augustæ Vindelicensis Rhætiæ Secundæ. Aventinus et Philip. Appianus *Baiern* interpretantur. *Lintzgow* Scudus. Verum ad Strabonis mentem, quæ Ptolemæo multis argumentis præferenda, magnam tum Boiorum Suevorum, tum, qui nunc sunt, partem complectitur.' Hæc ad me suis litteris Clariss. doctissimusque M. Velserus Augustanus Vindelicus, fide dignus. *Idem.*

Plurimo cum earum sanguine] Florus lib. IV. Strabo in fine IV. Horat. lib. IV. Carm. Od. 4. et 14. 'milite nam tuo Drusus Genaunos, implacidum genus, Brennosque veloceis, et arceis Alpibus impositas tremendis Dejecit acer plus vice simplici. Major Neronum mox grave prœlium Commisit, immaneisque Rhætos Auspiciis pepulit secundis.' Ad quod vir doctus, hic Velleium adulari opinatur Tiberio, quia constet ex Suetonii Augusto tantum coërcuisse. Non recte. Deceptus fuit mendosa Suetonii scriptura: nam ita in eo, ut in plerisque vulg. legendum: 'Domuit Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhætiam et Vindelicos ac Salassos inalpinos: coërcuit et Daconum incursiones, tribus eorum ducibus cæsis.' Et vero aperte adstruit Strabo dicto loco. *Schegkius.*

Censura Planci] Dio LIV. pr. Sigon. comment. in fast. et triumph. R. ad ann. U. C. DCCXXXI. *Boecler.*

Implere censorem] Velleius elegantissime, *censorem* pro *censura:* ut Apuleius noster *ædilem* pro *ædilitate*. Lib. I. Metam. 'Annonam curamus ait, et ædilem gerimus; et si quid obsonare cupis, utique commodabimus.' Nec aliter Propertium audio in Vertumno lib. IV. 'Pastorem ad baculum possum curare, vel idem Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.' Nam *pastorem curare* nil aliud, quam pastoris munus obire, pastorem esse. *Acidalius.*

Timere deberet] Argutius et verius, *timere deberet: nec quidquam.* Periodum totam vide. *Lipsius. Timere deberet*] Prorsus restituit hunc locum Lipsius distinctione ac emendatione: *Paullus vix posset implere censorem, Plancus timere deberet: nec quidquam objicere posset adolescentibus aut objicientes audire, quod non agnosceret Senex.* Egregie, *timere censorem* dicitur *debere*, qui probrorum sibi et inquinati moris conscius est. Cur ergo Augustus tales constituit censores, cum hoc magistratu nihil debeat esse gravius sanctiusque? An voluit hac ratione causam struere et magnificam in publicum speciem quærere, cur in posterum censuram perpetuam, quam hactenus per accismum recusaverat, Princeps deberet suscipere? Ita enim nec discordiis locum, et officio dignitatem dari, vitiis hujus censuræ moniti, crediturі erant cives. Certe non abhorret talis calliditas ab illa Augusti arte, qua paulatim, per occasiones et machinamenta, munia magistratuum legumque ita in se traxit,

ut sponte et merito concessa viderentur. *Boecler.*

Cap. 96. *Caii ac Lucii nominibus adoptaverat*] Emtos a patre Agrippa per æs et libram. Sueton. Aug. cap. 6. Tacit. Annal. I. *Schegk.*

Quod inchoatum Agrippa] Verba et notatio, quæ viros doctos late induxit in errorem. Nam censent li, qui Fastos nobis industrie et perite collegerunt (Sigonium et Onuphrium me dicere palam est;) censent, inquam, Agrippam Vipsanium quartum fuisse consulem; atque ita adnotant, alter in anno DCCXXXIIII. alter DCCXXXV. Quinetiam mirantur in Lapide Colotiano, ubi accurata recensio suffectorum Consulum, Vinicium poni, negligi aut non exprimi Agrippam. Ego illos ab errore non revoco (abierunt in communem locum) sed lectori caveo et inclamo, ne cum iis erret. Non fuit hoc anno aut alio M. Agrippa quartum Consul. Tertium ille consulatum non transcendit. Quo teste? ipso Velleio supra, ubi de Agrippæ laudibus: 'Quem usque in tertium Consulatum amicitia Principis evexerat.' Nonne majus aliquid esset, si in quartum: et Velleius hoc negligat aut omittat? Quin testes Fastos veteres et memorias omnes advoco: nusquam Agrippa nisi tertium consul. Ita et Martialis aperte, libro VIII. Epigr. 66. 'Felix purpura, tertiusque Cousul, Pompeio dederit licet Senatus, Et Cæsar genero sacros honores, Quorum pacificus ter ampliavit Janus nomina.' Quæ ad ternos Agrippæ consulatus spectant; et licet interpretes non ultra errent. Tertium igitur Consul, non quartum. Atqui Velleius hic clare. Numquam ipse, numquam. Librarius erravit, cum ille scripserit, *quod inchoatum ab Agrippa, Marco Vinicio avo tuo Consule.* [Possis et legere, *inchoatum Agrippæ.*] Hoc dicit, Agrippam missum ad hoc bellum, eumque id primum administrasse, illo anno quo Vinicii avus Consul. Ita etiam infra unicum Consulem citat: 'Patre tuo P. Vinicio Consule Tib. Nero reversus.' Nonne hæc clara, et, quod dicitur, Solis radio scripta? Ite, nebulæ, et locum date huic luci. Colotianum marmor, quod fallere non potest, Consules hos ita digerit: C. Sentivs Saturninvs, Q. Lvcretivs Vespillo svf. M. Vinvcivs. P. F. nec collegam ullum Vinucio adjungit: quiane solus fuit? an potius, quia cum Q. Lucretio Vespillone? quem ex Dione in actis hujus anni DXXXV. disco serius paullo electum, et cum Saturninus aliquantisper solus in Consulatu fuisset. Merito igitur dintius etiam eundem gessit. Sed quidquid hujus rei sit, (nec est tanti,) credetne aliquis M. Agrippam, illum generum Augusti, illum Tribunitia potestate præditum, inter suffectos consules fuisse, et quidem post Sentium et Vinucium? Non qui res moresque antiquos noverit. *Lipsius.* *Quod inchoatum Agrippa*] Male Fastorum scriptorum concinnatores, qui ex isto loco adstruunt Agrippæ consulatum quartum: sed nec bene illi, qui emendationibus incumbunt, voluntque ad bellum istud missum Agrippam: non, non. Auctor duos annos heic ponit, primum, quo natum est bellum Pannonicum, nempe Consulatu Agrippæ: secundum quo adolevit, nimirum Vinicio Consule. Certe totum istud bellum administravit Tiberius. De Vinicio, de Agrippa, eos ad id missos; ne gry quidem historiarum auctores; si modo non fallit memoria. *Gruter.*

Pannoniorum] Pannonia Ptolemæo Europæ regio; quam in Superiorem et Inferiorem dividit. Pannonias tres habet Optatus Afer, contra omnes scriptores et nummos veteres. Has Pannoniæ sub Impp. Romanis, Arcadio, Honorio, et sequentibus, (uti ex Rufo, Marcellino, et Libro Notitiarum patet,) pluribus vocabulis distinctæ fuere: uti sunt Pannonia Pri-

ma, eadem forte cum Superiore: Secunda eadem cum Inferiore. Savia, sive Ripensis, Ripariensis habet lib. Notitiarum, et Valeria. Pannoniæ Rubaliæ, item Sabariæ meminit Aurel. Victor, in vita Decii et Didii Juliani Imp. Hanc eandem cum Savia, a Savo flumine, illam a Bubali civitate sic nominatam puto. Pannoniam Cibaliensem, a Cibali urbe, (quam Ptolemæus in Inferiore Pannonia ponit,) habet Diaconus. Pannoniam Sirmiensem quondam Gothorum sedem, nominat Cassiodorus, lib. III. Variarum, ad Colosseum. Amantina Pannonia est etiam, apud Lazium; ex Ptolemæo et Plinio. Superior Pannonia hodie ab Austria, Carinthia, et Carniola occupatur. Inferior tota nostro tempore sub Hungaria est, quæ Slavonice *Wigierska* nomen habet. Savia Pannonia, a Lazio Slavonia indigitatur. Valeriam, Rhenanus *Krabaten* vocat. *Ortelius.*

Dalmatarum] Dalmatia, Illyridis pars, versus Macedoniam. Ptolemæus cum Strabone et Plinio. Scribit Petrus Ranzanus in sua Hungaria universam Dalmatiam, cum sibi conterminis Illyride atque Liburnia, uno vocabulo, ab omnibus fere orbis nationibus 'Sclavoniam' vulgo vocari. Et quicquid est agrorum trans Savum, per quos sit iter Italiam versus, 'Croatiam' nominari: *Krabaten* Germani pronuntiant. *Idem.*

Ovans triumphavit] Suo more Noster ovare et triumphare jungit. Infra de triumphis Tiberii: 'ordinatisque rebus Orientis ovans triumphare debuerit.' *Acidal.* *Ovans triumphavit*] Fallitur Barthius; qui hinc adstruere conatur, ovationem triumpho aliquando fuisse conjunctam. Nam et ovatio est triumphus, sed minor. Servius ad IV. Æneid. 'Proprie ovatio est minor triumphus.' Constat autem eam a triumpho, *κατ' ἐξοχὴν* dicto, hoc potissimum distare, quod triumphantes curru, ovantes equo, aut pedibus urbem ingrederentur. Hinc Dionysio Halicarnassæo sub finem l. IX. item Eusebio in Chronico, ad numerum MDCCCCLXXXV. *θρίαμβος πεζὸς*, sive *pedestris triumphus*, vocatur. Quid quod Velleius infra similiter, et nulla quidem necessitate cogente, dixerit? 'Quis enim dubitat, quin ex Armenia recepta, et rege ei præposito, ovans triumphare debuerit?' Valerii quoque Maximi est libro II. cap. 7. 'Quamvis qui præclaras res, maximeque reip. utiles, civili bello gessisset: Imperator tamen eo nomine appellatus non est, neque aut ovans, aut curru triumphavit.' Nemini igitur posthac dubium fore arbitror, quin ovatio *ἀπλῶς* intelligi debeat. *Vossius.*

CAP. 97. *Accepta in Germania clades*] Majoris infamiæ quam detrimenti. Suetonius historiam, Dio LIV. et Eusebius. *Schegk.* *Accepta in Germania clades*] Hic antequam clade a Germanis afficeretur, eosdem devicerat; si fides sit Obsequenti. Ait enim: 'Insidiis Romanorum Germani circumventi: sub M. Lollio legato graviter vexati.' Et, ne quid mutes, idem in Chronico prodidit Eusebius. Mirum tamen de Germanis devictis silere Dionem lib. LIV. ubi solum a Lollio Bessos fuisse debellatos, scribit. *Ἔν τε τῇ Θράκῃ πρότερον μὲν Μάρκελλος Δόλλιος Ῥυμητάλκῃ, θείῳ τῶν τοῦ Κόττυος παίδων, βοηθῶν Βησσοὺς κατεστρέψατο.* Ubi rescribe, *Μάρκος Λόλλιος.* Pighius, corrupta Dionis lectione deceptus, a Claudio Marcello Bessos victos putabat. Etiam, pro *Κόττυος*, repone *Κότυος*. Hoc enim Thracium nomen esse constat. Emendemus hac occasione locum corruptum in epistola Chionis ad Matridem: *ἐπ' ἐμὲ δὲ ἦκέ τις Θρᾷξ δορυφόρος αὐτοῦ γενόμενος.* Omnino scribendum est, ut in Ms. nostro legitur: *ἐπ' ἐμὲ δὲ ἦκε Κότυς Θρᾷξ*, &c. *Vossius.* *Accepta in Germania clades*] Dio LIV. pag. 612. Sueton. Aug. 23. ad quem locum notat

Casaubonus, unum esse Eusebium, qui Lollii hujus non cladem sed victoriam memoret. Verba hæc sunt, Chronic. libro priore: 'Germanos in arma versos M. Lollius superat.' Non putandus est autem pugnare cum ceteris Eusebius: acceperat quidem Lollius cladem aliquam, sed victus non erat plane: quin potius, cum mox hostes apparatum ejus audirent, in suam terram regressi, obsidibus datis pacem acceperunt, teste Dione. Sed et antea victos a Lollio, ex Obsequente probari potest. Meminit ejus cladis Tac. A. I. 10. 6. *Boeclerus.*

Druso Claudio] Periit lapsu equi, fracto crure, intra tricesimum diem, Livius. Conditum corpus in tumulum Cæsaris Augusti: Dio. Laudes ejus apud Horat. lib. IV. Carmin. et Albinovanum elegia ad Liviam matrem. *Schegkius.*

Perficit] Vulgo *percipit.* Ego omnino mavelim, *industria perficit.* Nam semina quædam et igniculi virtutum in nobis sunt, quos elicit industria et ad frugem maturitatemque perducit. Quinctilian. eo sensu: 'Virtus etsi quosdam impetus a natura sumit, tamen perficienda doctrina est.' *Lips.* *Percipit*] Malo cum Lipsio, *perficit.* Sic supra de Graccho legitur: 'Tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta natura et industria mortalis conditio recipit.' *Vossius.*

CAP. 98. *Atrox in Thracia bellum*] Dio LIV. p. 624. Flor. IV. 12. 17. *Boecler.*

Vigore] Cl. Pnteanus, *rigore:* quod libens amplector. Pulchre in hanc rem Plinius lib. VII. epist. 20. 'Pulcherrimum et humanissimum existimo, in vita severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat.' Ejusdem sensus illud Catonis in Distichis lib. I. 'Constans et lenis, ut res expostulat, esto: Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.' Constantia enim pro rigore ponitur. *Vossius.* *Vigore*] In eam mentem et infra de Seiano: 'Priscam gravitatem semper humanitate temperans.' Et inferius de eodem: 'Virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ.' Apuleius II. Florid. pulcherrime, 'Gravitas jucunda, mitis austeritas, placida constantia, blandusque rigor animi.' Sic enim ibi lego cum Antiquitatis et doctrinæ omnis coryphæo J. Lipsio, et Veneris Gratiarumque e Lipsiana corte pullo Jano Dousa F. Anson. Parentalibus: 'Et gravitas comis lætaque serietas.' *Acidalius.*

CAP. 99. *Consortione*] Usi hac voce Cicero Offic. lib. III. 'Dissolvatur necesse est omnis humana consortio:' Lucilius lib. XIX. apud Nonium; 'Consortium.' *Schegk.*

Reip. lumen et caput] Scite admodum 'lumen' et 'caput' junxit: et supra de Cæsare et Pompeio: 'Collisa inter se duo Reip. capita, effossumque alterum Rom. imperii lumen.' *Acidal.*

Incredibili atque inenarrabili pietate] Adulatorie hæc de Tiberio Velleius, ut alia multa: calliditatem enim potius dixerit, qui Tiberium novit, quam pietatem. Suetonius diserte in Tib. 10. totam rem complectitur. 'Tot prosperis confluentibus, integra ætate et valetudine statuit repente secedere, seque e medio quam longissime amovere. Dubium uxorisne tædio, quam neque criminari aut dimittere anderet, neque ultra perferre posset; an ut vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Respubl. Quidam existimant, adultis jam Augusti liberis, loco et quasi possessione usurpati a se diu secundi gradus sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur, quam caussam et ipse, sed postea,' (v. Cap. 11.) 'reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum præ-

tendens commeatum petiit.' Adde Dionem l. LV. p. 635. Quis non videt, concurrisse omnes illas caussas, quarum prima, e necessitate domestica; altera, e consilio dominationis; tertia, e sollertia et institutis vitæ aulicæ exoriri putanda est. Meminit hujus secessus Tacitus A. I. 4. 4. *Boecler.*

Dissimulata causa consilii sui] Veram pete ex Suetonio et Dione: non illa quam monstrat mancipium istud Tiberianum. Intimam caussam Tacitus fuisse scribit Juliam. *Schegk.*

Qui pro consulibus] Illud unum monendum, me *pro consulibus* restituisse fide codicis Ms. Mutaverant illud alii in *proconsules*, quibus omnia pervertere moris, quæ se judicio eorum non statim probent. Atqui cur minus dicere liceat, *pro consulibus*, quam *pro consule?* Vossius.

Ad eum convenientes] Hoc pacto nulla, certe levi, licentia rescribo; cum antea, *visendi ejus gratia, ad quem convenientes semper privatos illa majestas p. u. fuit.* Hinc Rhenan. *ut omnes qui procoss. et legatis i. t. p. p. v. e. g. atque conveniendi (semper privatus ille, majestas pr. nunquam fuit) fasces suos.* Doctiss. vero Lipsius, *visendi ejus gratia atque conveniendi, semper privato (si illa majestas privata unquam fuit) fasces.* Verum sententia nimium pendet. *Schegk. Ad eum convenientes*] Nos olim restituimus, in Epistolicis l. III. c. 8. Aiunt pendulam sic sententiam esse: mihi non videtur, nec muto. *Lips.*

Si illa majestas privata unquam fuit] Ceterum adulationem Velleii arguet Suetonius Tib. 12. ubi specie legati exulem egisse memorans, addidit: ' Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque prætervigantium officia, quibus frequentabatur assidue: nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin diverteret Rhodum.' *Boecler.*

CAP. 100. *Se et Gallo Caninio Coss.*] Id fuit anno urbis DCCLII. Dio tamen Cassius valde ab hoc calculo abit, qui relegatam Juliam commemorat anno DCCXLVIII. C. Antistio Vetere, P. Lælio Balbo Coss. Sed moneo juventutem, manifestum illic hiatum defectumque historiæ esse. Postea quidem annotatur ab interprete: at hic debebat ante Frumentationes et Naumachiæ ludos. E Velleio discis: tum etiam e Macrobio, non fallaci argumento. Ille II. Saturn. indicat Juliam hanc pessimam simul et argutissimam feminarum, tunc cum pulsa a patre fuit, egisse annum circiter trigesimum octavum. Atqui nata ea (ex Dione didici) anno urbis DCCXV. Ergo ad hunc annum DCCLII. justi intercedunt, ut Macrobius voluit, anni XXXVIII. *Lips. Se et Gallo Caninio Coss.*] Errat ergo Josephus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis ad numerum MMXII. ubi Juliam relegatam ait D. Lælio Balbo et C. Antistio Vetere Coss. Cumque Eusebium accuset de unius anni prochronismo, peccat ipse prochronismo quadriennii. Virum summum in hunc errorem induxit Dio: apud quem hic aliquot annorum defectum esse, non attendit. *Vossius.*

Martis templo] Nunc S. Martinæ, in foro Augusti, unum ex maximis et sumptuosissimis, cum opere tum artificio; quod his versibus celebrat Ovid. Fast. v. 'Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores, Templaque in Augusto conspicienda foro. Digna Giganteis sunt hæc delubra trophæis: Hinc fera Gradivum bella movere decet. Prospicit armipotens operis fastigia summi, Et probat invictos illa tenere Deos. Perspicit in foribus diversæ tela figuræ, Armaque terrarum milite victa suo. Hinc videt Æneam oneratum pondere caro, Et tot Iulææ nobilitatis avos. Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem, Claraque dispositis acta subesse viris.' In aditu templi ante fores ab utroque latere, Martis et Veneris

statuæ erant, eodem testante Trist. II. 'Stat Venus Ultori jnncta viro, ante fores.' Circa idem Apellis tabulam posuit Augustus, in qua Alexander triumphans Belli imaginem vinctis ad tergum manibus quasi captivam ducit: quam rem in Augusti gratiam videtur notasse doctissimus Poëta: 'furor impius intus Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.' Nunc in eo templo picta cohors Romana, cujus vexillifer pro signo labrum habet. Fuerunt et alia Martis Ultoris templa: sed hoc nobilissimum. *Georg. Fabr.*

Quippe filia ejus Julia] Seneca libro VI. capite 32. de Benefic. 'D. Augustus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegavit, et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus urbem, forum ipsum ac rostra, quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum: cum ex adultera in quæstuariam versa, jus omnis luxuriæ sub ignoto adultero peteret.' De quo et illud, 'Quod nunquam nisi piena navi vectorem tollat.' Macrob. libro II. capite 5. *Schegkius. Quippe filia ejus Julia*] Quæ de Julia hic habentur vide apud Sueton. Aug. 65. Tib. 11. Tac. A. I. 53. 1. Dion. LV. p. 635. *Böecler.*

Vindicans] Aliter *judicans.*

Julius Antonius] Malim, *Iulus Antonius.* Horatius Carm. lib. IV. Od. 2. 'Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope Dædalea Nititur pennis.' Tacitus Annal. I. 'Lollianas Varianasque clades. interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos.' Diversus tamen Dio lib. LV. qui et 'Iulium' vocat, et non sibi ipsi necem conscivisse, verum morte multatum cum aliis tradit. *Schegkius. Iulus Antonius*] Tac. Annal. IV. 44. 4. et A. I. 10. 6. Idem de Sempron. Graccho A. I. 53. 4. *Boecler.*

Sempronius Gracchus] Tacitus Annal. libro I. 'Par causa sævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, solers ingenio, et prave facundus, eandem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeravit. Nec is libidini finis: traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accenderat: litteræque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinnam, Africi maris insulam, quatuordecim annis exilium toleravit. Tunc milites, ad cædem missi, invenere in prominenti littoris, nihil lætum operientem: quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Aliariæ per litteras daret; cervicemque percussoribus obtulit.' *Schegk.*

Quasi cujuslibet uxore violata] Non culpo: nempe relegati ipsi aut pulsi, quæ pœna Juliæ de adulteriis. Tamen Tacitus aliter longe adstruit Annal. III. 'Ut valida,' inquit, 'D. Augusto in remp. fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam inter viros ac fœminas vulgatam, gravi nomine læsarum religionum ac violatæ majestatis appellando, clementiam majorem suasque ipse leges egrediebatur.' Sed uterque adspectu aliquo verus. Velleius, si relegationem intueare istorum quos nominat; Tacitus, si mortem aut exsilium quorundam. *Lips. Quasi cujuslibet uxore violata*] Intellige, quos hic nominat, qui ex lege Julia in exilium pulsi: nomemo enim morte affectus est. Quod Lipsius notat ad conciliationem Velleii cum Tacito, A. III. 24. 2. [vide locum supra a Lipsio allegatum.] Quanquam Iulus Antonius, non tam ob adulterium, quam ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας, adeoque 'ob rerum novarum molitionem' interfectus memoratur Dioni LV. p. 635. sed quænam illæ 'religiones,' quas 'læsas' apud Tac.

Augustus dicit? Amicissimus Noster Freinshemius in doctissima et singularis exempli paraphrasi exponit de 'religionibus, quibus sacrata forent conjugia:' et quod de 'violata majestate' additur, ad spretas leges refert, quarum contemtus in majestatis injuriam redundaret. Mihi semper videbatur profundioris et vere Monarchici arcani ratio subesse: atque utrobique 'auspicia venerandæ sacratæque Majestatis' spectari: quæ cogitatio inde confirmabatur, quod non tam ipse Augustus has pœnas tanquam suis verbis judicioque, sed Senatus, quod Dio diserte memorat, in gratiam sc. venerationemque Augusti decrevit. Rationes deinde istas sequebar: cœperant jam 'crimine majestatis violatæ' notari viudicarique, quæ olim intra hoc nomen steterant: unde dato semel ejus in Principem reverentiæ exemplo, sponte jam et magna promtitudine Senatus; imo adulatione denique (quod de Tiberianis temporibus satis constat) huc ibatur. Jam vero crimen ipsum majestatis nonne maximam atrocitatem ex eo habet, quod violantur sacra imperii, auspiciaque summæ potestatis? quæ cum in unum translata est, omnis illa veneratio sponte sequebatur. Et quis nescit studium ac sollertiam aulicorum sub Augusto, imo ipsius Augusti, non potestatem modo et imperium sed imperii sanctitatem religionemque varie firmantium atque augentium? Existimet forte aliquis obstare huic opinationi Dionem, qui lib. LVII. p. 696. 'sub Tiberio demum, delicta in Imperatorem, impietatis nomine appellata' tradat: sed præterquam, quod præcise ex illis verbis non sequitur, sub Tiberio cœpisse id nomen, (cum locutio illa, ἤδη γὰρ ἐνόμαζον, &c. *cœperat jam ita appellari*, facile ad antecedentia tempora referri possit, quia præsertim de initiis Tiberii hic sermo est,) etiam illud animadvertendum est, Dionem hic de omnibus in Principem injuriis loqui, cum Augusti severitas in aliquibus et extra ordinem, ut sic loquar, apud Tacitum notetur. Verum hæc obiter, et prout sub acumen stili venere, hic appono: consideraturus eam rem amplius et disquisiturus in Comment. de Auspicio Regio. *Boecler.*

Voluntarii exilii] Lego *voluntaria.* Non enim ipsius Juliæ exsilium voluntarium; indictum plane et coactum: sed hujus Scribonia, quam pietas filiæ comitem dedit. *Lips.*

CAP. 101. *Ad sedandum*] Vulgo *adsidendum. Ad sedandum, &c.*] Lego *ad visendum obitis.* Lipsius. *Ad sedandum*] Ita loqui amat absolute; pro *ad sedandos motus:* supra, 'in convivio refrigeratus ab Antonio.' Alii, *adsidendum*, aut *adsidendo.* Bonhom. *ad sedendum*, etiam non recte; quamvis sciam sedere usurpatum, pro judicare. *Schegkius. Adsidandum*] Noli dubitare, quin cum Rhenano legendum sit, *ad sedandum obitis.* Rufus Festus, eandem hanc rem narrans, ita ait: 'C. Cæsar cum per majestatem Romani nominis facile cuncta sedasset.' *Vossius.*

Cui omnem honorem ut superiori habuit] An Velleius ita scripserit, Principi suo, ut sæpe, serviens, nescio: contra scripsit planissime Dio, libro LV. Τοῦ δὲ Γαΐου στελλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον, Τιβέριος ἐς Χίον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσε: *Caio misso ad bellum Armeniacum, Tiberius Chium trajiciens ipsum coluit et veneratus est.* Idem Zonaras. Nec sane Caius illi se dedit, ut superbia et fortuna adolescentuli fuit: idque Suetonius clare indicat, Tib. cap. 12. 'Privignum Caium Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum' (Chium dixit Dio) 'alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii.' Et omnino abjectior tunc despectiorque sors Tiberii, tantum non exsulis: ut fortasse Velleius scripserit, *qui om-*

nem. Tamen, ut dixi, adulatio, familiare scriptori meo in hujus ævi rebus vitium, facile defenderit, quod vulgatur. *Lipsius.*

Juvene excelsissimæ] Ita vulgo. Consensu emendant, *juvene excelsissimo, in insula.* De insula recte: de juvene, cur tam inconspecte? Phraates enim hoc tempore Parthorum rex, et cum eo colloquium. Ergo ille juvenis? imo annorum et regni vetus. Ille est, qui bellum cum M. Antonio gessit, ille qui obsides liberos ad Augustum ante annos aliquot misit. Emenda verissime, *juvenis excelsissimus.* Hoc dicit, cum summo rege in colloquium coiisse summum juvenem (is est. Caius) et ad spem imperii ab Augusto destinatum. *Lips. Juvene excelsissimo*] Videri queat manasse illud, *juvene excelsissimo*, a benignitate interpretum, dum respiciunt ad sequentia: 'cum duo inter se eminentissima imperiorum et hominum coirent capita.' *Gruter.*

M. Vinici] Vulgo, *M. Vinicio.* Legend. proculdubio, *M. Vinici*: nam pater ejus Publius dicebatur. *Manut.*

Visis provinciis] Vulgo, *versus. Visis provinciis*] Schegkius ex vet. edit. reposuit *visis.* Vir doctus *usus provinciis*, male, ut censet Schegkius.

CAP. 102. *Cæsari fama vulgavit*] Alias, *Cæsaris ira evulgavit.* Rhenanus. *Cæsaris ira evulgavit*] Male, nec quidquam per iracundiam hic Cæsar. Editio prima, *Cæsaris jam evulgavit.* Feci iampridem (in Epistolicis lib. III. c. 8.) *indicata Cæsari, fama vulgavit.* In re arcana, cui non ipse arbiter, nil nisi famam auctorem dare callide et caute Velleius voluit. *Lipsius.*

Mox in colloquium] Narrat Florus libro IV. 'Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompeius assuefecerat, ut rectores a nobis acciperent. Intermissum ergo jus, per hunc' (Caium) 'recuperatum non incruento, nec inulto tamen certamine: quippe Domnes' (nostro, Addduo) 'quem rex Artaxatis' (noster, cum Zonara, Artagera) 'præfecerat, simulata proditione, adortus virum intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat, stricto ferro cruentat vulnere in tempus.' Et quod Noster hic initio speciatim, Tacitus Annal. lib. XII. generatim narrat: 'Et quia experimentis cognitum est, Barbaros malle Roma petere Reges, quam habere.' Transiens moneo, rectius hic in Tacito, Herbipolensis liber, *malle Romam petere reges:* ut Plinius lib. III. 'Qui Tarraconensem accolunt jura Cordubam petunt:' et Livius, 'Sagmina te posco.' *Schegkius.*

Cui temere se crediderat] Vide Flor. IV. 12. 44. 45. Vere autem judicat Noster, temere hoc a Caio factum: cum hoc casu tot magni viri interierint, unde exempla cautionis peti poterant. Pertinet huc eximia Polybii philosophia e 5. Hist. 75. p. 418. *Καὶ τούτων οὕτω συνεχῶς καὶ προφανῶς πολλοῖς ἤδη συμβεβηκότων, οὐκ οἶδ' ὅπως καινοί τινες ἀεὶ καὶ νέοι πρὸς τὰς τοιαύτας ἀπάτας πεφύκαμεν. Τούτου δ' αἴτιον ἐστὶ, ὅτι τὰς τῶν πρότερον ἐπταικότων ἐν ἑκάστοις περιπετείας, οὐ τιθέμεθα προχείρους, ἀλλὰ σίτου μὲν καὶ χρημάτων πλῆθος, ἔτι δὲ τειχῶν καὶ βελῶν κατασκευὰς, μετὰ πολλῆς παλαιπωρίας καὶ δαπάνης ἑτοιμαζόμεθα πρὸς τὰ παράδοξα τῶν συμβαινόντων· ὃ δ' ἐστὶ μάστον μὲν τῶν ὄντων, μεγίστας δὲ παρέχεται τὰς χρείας, ἐν τοῖς ἐπισφαλέσι καιροῖς, τούτου πάντες καταλιγωροῦμεν καὶ ταῦτα δυνάμενοι, μετ' εὐσχήμονος ἀναπαύσεως ἅμα καὶ διαγωγῆς, ἐκ τῆς ἱστορίας καὶ πολυπραγμοσύνης περιποιεῖσθαι τὴν τοιαύτην ἐμπειρίαν: Atque hæc calamitas* (adscribam præclarissimi quanquam longiusculi loci versionem e Casaubono) *quin adeo continue adeoque evidenter multis jam inciderit; fit tamen nescio quomodo, ut ad hujusmodi fraudes semper rudes ac novi existamus. Causa autem hujus rei est, quod priorum casus a quibus in ali-

quo est offensum, ut in numerato habeamus et ad manum, operam non ponimus, sed frumenti quidem ac pecuniæ copiam, itemque murorum telorumque fabricas, adversus incerta et inopinata casuum, vexatione magna sumtuque nobis comparamus: rem vero omnium facillimam, omniumque, ubi aliquid adversi increpuit, utilissimam, hanc omnes susque deque habemus: quum præsertim facile queamus, honesto fruentes otio atque oblectatione animi, ex historia et curiosa diligentique rerum anteactarum notitia, hanc nobis peritiam atque prudentiam parare. Erat similis observatio apud Polybium Gallicum (Comineum intelligo) lib. II. cap. 6. edit. Barthian. *Boeclerus.*

Nomine Adduo] Straboni lib. XI. dicitur Ἀδδώρ. Melius, ut puto, Ἄδδων, vel Ἀδδῶν, quod apud Zonaram. Nomen illud sit ex Hebræo אדון *Adon*, quod *dominum* notat. Favet nobis, quod Floro lib. IV. cap. ultimo, Rufoque Festo vocetur *Domnes*, sive potius *Donnes*, ut habent quidam libri. Nam princeps syllaba omissa, ut apud Plautum Pœnulo Act. V. sc. 2. *Donni*, pro, אדוני *Adonai*. Sic et *Derceto*, ex *Atergatis*. Cæterum Florus et Rufus in hoc falsi sunt, quod Donnem hunc Artaxatis præpositum fuisse dicant. Nam *Artageras* ab *Artaxatis* diversas esse, ex Strabonis libro jam citato, aliisque, liquet. Rufi error eo ignoscendus, quod hic quoque, ut sæpe alibi, Florum κατὰ πόδα sit secutus. Quod forte quibusdam videbitur ridiculum, cum Artaxatorum in eo nulla sit mentio. Sed verba ejus ex Floro ita emendanda censeo: *Donnes quidam, quem rex Artaxatis præposuerat.* Vulgo corruptissime edunt: *quem Parthis Arsaces præposuerat.* Quod non uno nomine falsum est. Nam *Donnes* non Parthis, sed Artageris, Armeniæ urbi, erat propositus: nec Arsaces, sed Phraates, hoc tempore Parthorum obtinebat imperium. *Vossius.*

Ita animum minus utilem] Unde Quintilianus Declamatione pro Cæco: 'Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur; et frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum.' Et vero vigorem animi una flaccescere cum corpore, rarosque inveniri, in quos conveniat illud Remuli Virgiliani: 'nec tarda senectus Debilitat vires animi, mutatque vigorem:' stabilimus pluribus quasi exemplorum columellis apud Tacitum Annal. lib. III. cap. 42. sub finem. *Gruter.*

Deinde reluctatus] Exemp. vetustum sic habet; ut nescias an *diu reluctatus*, seu potius *de reditu luctatus*, legendum sit. Mihi tamen prior lectio non usquequaque displicet. *Burrerius.* *Diu reluctatus*] Ms. habuit, *Deinde reluctatus.* Scribe, *diu inde reluctatus.* Jam idem Acidalio in mentem venisse video. *Vossius.*

In urbe Lyciæ] Clare et distincte Velleius in Lycia obiisse Caium vult, urbe quoque expressa. Et Limyrum quidem fluvium, Limyram urbem, in Lycia Ptolomæus collocat: quæ in Stephano 'Lamyra' scripta. In eadem cum Velleio sententia Suetonius: 'Caium et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos: Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis.' Etiam Ioh. Zonaras, qui a Dione, ut solet (nam ipse Dio hac parte mutilus) hausit: Ὁ δὲ Γάϊος ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι παρέπλευσεν, ἔνθα δὴ καὶ μετήλλαξεν: *Ipse Caius in Lyciam oneraria navi provectus est, ubi et obiit.* Hoc isti censent, probi, fidi, et talium curiosi scriptores. Tamen ecce qui dissentiunt (miramur in fato illustris juvenis) et in Syria obiisse volunt. Grande autem, ne nescias, inter Lyciam et Syriam intervallum, et Pamphylia ac Cilicia totæ interjectæ: Seneca pater, qui ipse illius ævi: 'Cum mortuo in Syria C. Cæsare, codicillo questus esset Augustus.' Florus pariter: 'Massiliæ Lucius

morbo solvitur: in Syria' (ita omnes scripti libri) 'Caius ex vulnere.' Etiam Festus Rufus: 'Caius vulneratus, reversus in Syriam obiit.' Quid dicemus? Inclinabam ad priores: sed revocat Bellenii, viri fidi et industrii, ut mihi videtur, observatio, qui narrat lib. II. 'Urbem Hamam esse, Arabibus Hamzam, Latinis olim Emesam vel Emissam, juxta quam sepulchrum sit διστεγον, in modum quadrangulæ Pyramidis fastigiatum, valido cæmento exstructum: in quo C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum legatur.' Si ita est: (et utinam expressisset ipsum scriptum!) quis ambiget, quin ad hunc C. Cæsarem pertinuerit? atque ita firma probaque sit altera sententia: quia Emesa illa citra controversiam Syriæ in Phœnice urbs est. *Lips.* *In urbe Lycia*] Seneca Rheter, Florus, ac Rufus Festus, in Syria mortuum volunt. Suetonius, et Zonaras, Velleium sequuntur. Lipsius iis objicit observationem Bellonii; qui apud Emessam sepulchrum C. Cæsaris se vidisse scribit. Non sasim virum eruditum vanitatis insimulare: cæterum, quid si illud fuerit κενοτάφιον? Sane Dio clare scribit, corpus ejus a tribunis militum Romam delatum. Et nihil verius. Inscriptio Romæ retro Minervam:

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI F.
PRINCIPIS IVVENTVTIS.

Habes eam Inscriptionum Graterianarum p. CCXXXV. num. 4. *Vossius.*

Limyrum] Ex. vet. habet *Lymira nominant.* Burrer. *Limyrum*] Ms. *Lymira.* Forte *Lymiram* legendum ex Pomponio Mela lib. I. in descriptione Lyciæ, et Plinio lib. V. cap. 27. Sic et Ovidius Met. IX. 'Jam Cragon, et Lymiren, Xanthique reliquerat undam.' Græci tamen omnes Λιμύραν appellant. Sed μενέβεσις vocalium in urbium nominibus non rara est. Sic *Utica* Græcis Ἰτύκη. Ita et in veteribus inscriptionibus, nummisque, sæpe *Lybica*, pro *Libyca*, scriptum invenias. *Vossius.*

Cum ante annum ferme] Suetonius sibi ipsi contrarius in Augusto, c. 65. 'in duodeviginti mensium spatio;' in Tiberio cap. 15. 'intra triennium defunctos' affirmat. Forte emendandum *biennium*, aut transposite, *Caio et Lucio defunctis, intra triennium* (recte *intra*, nempe tertii anni initium, non exacte, et toto cælo errat vir doctissimus, qui Lucium DCCLII. an. perisse non dubitat scribere) *adoptatur ab Augusto*, volentibus memoriis. *Schegkius.*

L.] Vulgo pessime, *quinquagesimum.* *L.*] Lege, *Cum ante annum ferme L. Cæsar, &c.* ut de Lucio Cæsare intelligamus. Suetonius in Augusto: 'Caium,' inquit, 'et Lucium, in duodeviginti mensium spatio amisit ambos.' *Manutius.*

CAP. 103. *Ante utriusque horum obitum*] Id ipsum Suetonius adfirmat cap. 13. et 15. in Tiberio: atque adeo rediisse illum 'Caio permittente.' Quomodo igitur Dio verus? qui sic lib. IV. Συνέβη δὲ οὐδὲν μετὰ ταῦτα καὶ τὸν Τιβέριον ἐκ Ῥόδου ἀφικέσθαι, Λουκίου καὶ Γαΐου τελευτησάντων: *Accidit post ista statim, ut Tiberius Rhodo rediret, Lucio et Caio defunctis.* Profecto hæc falsa, etiam ipso Dione arguente. Si 'post ista statim' rediit Tiberius, (id est, post ingressum Caii in Armeniam, et revocata fœdera cum Partho; ita narrat;) quomodo Lucius et Caius jam defuncti? Nam Caius certe aliquanto post læsus, et post vulnus quoque diutule supervixit. Puto negationem e Dionis textu excidisse, scribendumque: Λουκίου καὶ Γαΐου οὐ τελευτησάντων, sive voles, οὐδέπω. Confirmat, quod Zonaras quoque (assecla aut exscriptor fere Dionis) significat Tiberium rediisse ante utriusque obitum. *Lips.*

Atque] Ex vestigiis vetusti codicis

apparebat pro *atque* scriptum *eoque*, sive *eo*: nam vestigia literarum vix poterant videri pra vetustate. *Burer.*

Tribunitiæ potestatis] Vide Tac. An. I. 3. 5. Sueton. Tib. 15. et 16. Dion. LV. p. 697. Intellige autem tribunitiam potestatem iterum datam; acceperat enim et gesserat jam antea. Adde Tac. A. I. 10. 10. *Boecler.*

Consortionem] *Consortionis* voce supra item usus, paucilas ante paginas: 'Tribuniciæ potestatis consortione æquatus Augusto.' Eadem Cicero quoque usus. *Acidal.*

Ælio Cato, &c.] Lege *Sex. Ælio, C. Sentio Cos.* Manut. *Ælio Cato, &c.*] Paulus Leopard. Miscellan. lib. VIII. c. 8. *Ælio Cato et Sentio Coss.* emendavit. *Ælio Cato, &c.*] Legi possit: *Ælio Cato, Sentioque Coss.* Alii emendarunt: *S. Ælio, C. Sentio.* Alii, *Ælio Cato, et Sentio.* Quomodocunque legas, perinde est. Nam par Coss. vocabatur, Sextus Ælius Catus, C. Sentius Saturninus. *Vossius.*

Abhinc annis XXVII.] Lege, XXVI. *Manutius.*

Id unum dixisse juvat, &c.] Duo verba, *juvat* et *carus*, nulla fuerant in autographo quo usus Rhenanus: ipse fatetur indidisse. Tentabam igitur legere; *Id unum dixero, quam ille omnia omnibus fuerit.* Proverbialis loquendi modus, in gratiosis, aut qui apud aliquem possunt. Demosthenes in Philip. Πᾶν ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Diogenes Laërtius in Hipparchia: Ἀλλὰ πάντα ἦν Κράτης αὐτῇ. Lucianus: Καὶ οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν. Idem: Καὶ σωτὴρ, καὶ εὐεργέτης, καὶ πάντα ἦν ἐγώ. Varro: 'Hic enim omnia erat: idem Sacerdos, idem Parochus, idem Senatus, idem Populi caput.' *Lipsius. Id unum dixisse, juvat, &c.*] Non infeliciter Lipsius tentavit. Puto tamen, magis ad Velleii genium forte, si principium ita suppleas: *id unum dixisse habeo, quam, &c.* Ita infra: 'Id unum dixisse habeo, cujus urbis ruinam timueramus, eam ne commotam quidem sensimus.' Non legisse oportet Velleium, qui nesciat, quam sæpe sui ipsius sit imitator. *Voss.*

CAP. 104. *M. Agrippæ*] Prænomen *M.* videtur abundare. *Ursin.*

Hoc, inquit, reip. causa facio] Dubitatum est a multis, an Tiberius reipub. causa ab Augusto successor constitutus. Unde prudentiam aliqui apud Tac. An. I. 10. 9. 'Ne Tiberium quidem caritate aut reipub. cura successorem adscitum: sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse.' Sed Suetonius liberi alius et prudentis judicii Scriptor, suspicionem eam ab Augusto removet, dum in Tib. 21. scribit: 'Adduci tamen nequeo quin existimem, circumspectissimum et prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse, sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes; præsertim cum et reip. causa adoptare se eum pro concione juraverit; et epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, utque unicam populi Romani præsidium prosequatur.' *Boecler.*

Et ab eo] Lips. *Id ab eo.*

Quo fructus sum] Ita vetustum exemplar. Vulgo *fruitus sum. Quo fructus sum*] Lucretius lib. III. 'Sin ea quæ fructus cumque es, periere profusa.' Cicero in Hortens. 'Et amœnitate summa perfructus est.' Adi ad invidiam ablectissima et laboriosa illa Coniectanea humanissimi, Juris antiquitatisque consultissimi viri Hub. Giphanii nostri. *Schegkius.*

Meritis ac viribus] Superbius videtur. An vires imperatoriæ Tiberio ante imperium? dici aliquid possit, sed malim ego, *meritis ac virtutibus.* Lipsius.

CAP. 105. *Canine fatus*] 'Cannenefates,' apud Plinium, lib. IV. c. 15.

Manui. Caninefates] Pro *Caninefates* male in editione principe fuerat, *Caninefaci*. Pro quo tamen minima fortasse mutatione reponi debeat, *Caninifati*. Sic Teutones et Teutoni, Santones et Santoni, Mediomatrices et Mediomatrici, Tectosages et Tectosagi, Velocasses et Velocassi, promiscue apud auctores legitur. Ita et Atrebatis, non Atrebatibus, est apud Cæsarem lib. II. de bello Gallico in codd. Mss. Plura ejus generis alii per se observabunt. *Vossius. Caninefates*] Caninefates, Paterculi, Batavorum insulæ partem habitant, auctore Tacito. 'Cannunefates' eos vocat Plinius. 'Cannanefates' dicuntur in quadam antiqua inscriptione. *Kennemerlanders*, B. Rhenano sunt. *De Veluwe*, Henr. Aquilio. Hæc 'Felua' vocatur, in vita S. Werenfridi. De Caninefatibus adi H. Junium cap. 3. Batavize. *Ortel.*

Attuarii] Rhenanus, et alii, ex Strabone legunt, *Chattuarii*: Cluverius vero, *Cattuarii*. Qui et addit *Attuarios* alias non legi. Sed falluntur. Ammianus lib. XX. 'Rheno exinde transmisso regionem subito pervasit Francorum, quos Attuarios vocant.' Meminit etiam eorandem Gregorius Turonensis in gestis Francorum epitomatis c. 19. Nihil igitur in Velleio mutandum. *Vossius. Attuarii*] *Attuarii* sunt Velleio Paterculo Germaniæ populi; *Atthuarii* Ammiano 20. Francorum gens. Eadem, vicina Bructeris. Scio Rhenanum et Junium hoc loco *Ansivarii* legere apud Ammian. *Ortel.*

Bructeri] Ita edunt omnes ex conjectura Rhenani. At perperam, ut arbitror. Retinendum enim *Bruteri*, ut erat in autographo. Ita etiam hanc gentem nominat Nazarius Panegyrico ad Constantinum. Unde non longe abit *Borteri*; ut in epistola quadam Gregorii II. Papæ appellantur. Quin pro vulgata Velleii lectione quoque facere videtur locus Suetonii in Tiberio, quo ille 'a Rheno' prope occisus dicitur. Ita enim est in vulgatis: ubi codices quidam Mss. habent *Bructero*, alii *Ruthheno*, aut *Rutero*. Ut forte *Brutero* sit scribendum. Non enim acquiescit animus Torrentii conjecturæ, qui censebat, Romanos *Ruteri* vocem, tanquam proprium viri nomen, expressisse, cum Germanico idiomate quemvis equo merentem significet. 'Bructeros' tamen gentem hanc nominant plerique alii scriptores. *Voss. Bructeri*] *Bructeri* sive *Brockmerlandii*, in Orientali Frisia, ut scribit Cornelius Kempius. Busacteri, Βουσάκτεροι, Majores et Minores, Ptolemæo sunt Germaniæ populi. Regio Transisalana est Pyramio. Eosdemque putat esse cum Bructeris Paterculi, Taciti, et Strabonis, qui βουκτέροι sine ρ in prima legit (vitio forte codicis) Willichius, qui eos scribit habitare Monasterium, in Westphalia. Huic assentitur quoque H. Junius. Hos Taciti Bructeros, Ulmigeros etiam dictos, vult Glareanus. A Bructeris dictus est etiam hodie Brockersberg, sub Goslaria, ut Melanchthoni placet, et Peucero, qui hunc montem veteri nomine Melibocum vocat. *Ortel.*

Gentes] Illud *gentes* tanquam glossema abjiciendum censet Lipsius.

Et amnis, &c.] Ita omnes edunt, quasi de hac lectione quam commentus Rhenanus, dubitare videatur nefas. Ego tamen pro certo habeo aliter scriptum fuisse Velleio. Nam in autographo fuit: *et inamminus mox nostra clade nobilis, &c.* Unde, duabus literis additis, quæ ob vetustatem erant extritæ, legendum censeo: *et utinam minus mox nostra clade nobilis, &c.* Intelligi autem Variauam cladem, manifestum est. *Vossius.*

Transitus Visurgis] Apud Dionem in hac re narrata mendum: Τιβέριος μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἄλβιος προεχώρησεν: *Tiberius usque ad flumen primum Erygrum, deinde ad Albim*

progressus est. Scribe, τοῦ Ὀυεσύργου, reducta syllaba a vocula priori. *Lipsius.*

Visurgis] *Visurigis*, Ὀυϊσουργὶς, Ptolemæo, *Bisurgis*, Βισουργὶς, Straboni: Ὀυϊσουργὶς Dioni: Germaniæ fluvius, in Oceanum aquas suas evolvens: *Visuris* in Adami Historia Ecclesiastica: unde *Weser* hodie nuncupatur. *Vesalis* Sidonio, et *Itargis*, sive *Iturgis*, Ovidio dici, observarunt Had. Junius et Turnebus. *Ortelius.*

In virtutibus] Lib. vet. abest vocula *in*, et bene.

Perducta] Lips. malit *producta.*

In urbem traxit: ad tutelam imperii] Melius et concinnius: *in urbem traxit: at tutela imperii eum veris.* Pietas in utrumque parentem et desiderium videndi duxit eum in Italiam: tutela imperii (quod defendendum ei contra barbaros) reduxit in Germaniam. *Lipsius.*

Eum veris initio] Languida et enervis oratio, quam roboro: *eadem veris initio.* Pietas, inquit, Cæsarem revocavit ad civem et urbem: eadem inde expulit ad exercitum et castra. *Acidal. Eum veris initio*] Pro *initio* in Ms. tantum erat, *initi.* Unde forte legendum: *obstructis hieme Alpibus in Urbem traxit: ad tutelam imperii eum veris initium reduxit in Germaniam.* Quamvis *initio* etiam retinere possis, dummodo nobiscum vulgatam distinctionem mutes. Quod si placeat, *pietas* ἀπὸ κοινοῦ erit intelligenda. *Voss.*

Iuliæ] Feci *Lupiæ* pridem. Persevero: nisi si *Iulii* faciendum, quasi in honorem C. Iulii Octaviani flumen sic noviter appellatum. *Lipsius. Iuliæ*] Malo cum doctissimo homine in Epistolicis, *Lupiæ fluminis.* Facit Dio lib. LIV. *Schegk. Iuliæ*] *Lupiæ* legendum esse, consensus doctorum et res ipsa pridem evicit. Vide de hoc Nostri loco Cluver. Germ. antiq. lib. III. c. 9. et 49. *Boecler.* Lupia, vulgo *de Lip* appellatur, unde et comitatus nomen accepit.

CAP. 106. *Cauchorum*] Hos Ptolemæus et Plinius in Majores et Minores dividunt: Minores sunt hodie, ut Judocus Willichius vult, Frisii Groeningenses; Majores comprehendunt Bremenses, Luneburgenses, ad Hamburgum usque. Ptolemæi certe Cauchi Minores, quos ponit inter Amasium et Visurgim fluvios, hodie *Ostfriesen* sunt. Cauchos Minores, vocat Leunclavius ex Dionis 60. *Cauchusios.* Sed Plinius *Caucos* alios inter Helium et Flevum sternit. Hos H. Junius in sua Batavia *Goeylanders* facit. *Ortel.* Hinc forsan pagus sesquimiliari a Leida distans *Cau-Kerck* a Cauchis nomen accepit. Vide Schild. in tract. speciali de Cauchis.

Langobardi] *Langobardi* Tacito Annal. II. Hæc vera scriptura non *Longobardi*, aut *Laccobardi.* Est enim vox Germanica, teste locupletissimo Diacono, a *lang*, quod *longa*, et *bard*, quod *barbam* notat. Quare ita vocati, lege apud eundem, qui eos ex Scandinavia in Germaniam commigrasse scribit. Prius *Winuli* dicebantur. *Ortel.*

Ad quadringentesimum miliarium] Hyperbolice hic loqui Velleium, aut anfractus atque circuitus paludum saltuumque complecti (cum alias millia passuum haud amplius CCXL. reperiantur in itineris hujus designatione) ostendit Cluverius German. antiq. III. 18. *Boeclerus.*

Albim] Albis Ptolemæo, Senecæ in Medea, et aliis, Germaniæ celeberrimus fluvius. Barbari sæculi scriptores Latini Albiam vocant. Germanis Elbe dicitur. Bohemis vero, apud quos originem sumit, Labe. Nomen habere a numero indicat Fabricius in suis rerum Misnicarum libris: fontium, nempe undecim, ut Bohemi; sive, ut Saxones dicunt, tot amnium influentium. Oritur enim, ut idem tradit, in tractu Hercyniæ silvæ, qui a Gigantibus nomen habet, vulgo Ri-

senberg, ex undecim (quorum singula nomina adjicit) fontibus: qui tandem confluti, Albim fluvium conficiunt. Elve et Elbe Germanis undecim significat. Hunc montem Risenberg (ut hoc præter institutum addam) Bohemi Cereseesos vocant, ut scribit Dubravius. *Ortelius.*

Semnonum] Ita Schegkius. Vulgo *Senonum*. *Senonum*] Lego *Semnonum*, qui inter Suevos. Tacitus Annal. xii. 'Igitur non modo Cherusci, sociique eorum, vetus Arminii miles, sumsere bellum, sed e regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones et Longobardi defecere.' Et in Germania: 'Vetustissimos se nobilissimosque Sueverum Semnones memorant.' Et cum Ptolemæo Strabo lib. XVII. καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας: id est, *et ipsorum Sueverum magnum gentem Semnones.* Schegk.

Ab inaudito et incognito mari] Nego. Drusus frater ejus jam ante navigaverat.

CAP. 107. *Non tempero mihi*] Quæ in hoc capite habentur, solius Velleii diligentiæ debentur. Quo minus judicare integrum est, quid juxta aut supra veri fidem dictum sit. Certe cum in Tiberianis plerisque laudibus nimius deprehendatur Noster, non sine ratione suspicatus est Lipsius, parum pro indole Germani hominis sonare istam ad Tiberium orationem. *Boecler.*

Sub omnem motum] Codex calamo exaratus habet, *sub omnem motumque nostrarum navium*. Inter *omnem* et *motumque* quiddam deesse videtur. *Burrer.*

Cavatum, ut illis mos est, ex materia consecdit alveum] Meminit ejusmodi navigiorum Plinius XVI. 40. 'Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam et triginta homines ferunt.' Scilicet hoc velati rudimentum navium gentibus fuisse antiquitus, consentaneum est. Ita Sanchuniathon apud Euseb. præparat. Evang. I. 10. de Phœnicum Theologia, tradit: δένδρου λαβόμενον τὸν Οὖσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα, πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι: *Usoum arbore, cujus ramos amputaverat, accepta, primum hoc velati semigis ausum esse mare ingredi.* Annotandum hoc vel propterea videbatur, quia in disputatione de primis *rei navalis originibus* multa obscuritas tollitur, observato navis tumultuariæ sive rudimentariæ, tum fabricatæ extructæque discrimine. Hic proprie ναυπηγία locum habet: Velleianum autem istud navigium, aut quæ alia ad eum modum memorantur, non sunt accurate loquendo ναυπηγηθέντα. *Boecler.*

Ad medium] Non pejor scriptura, *ut ad medium processit fluminis, petiit.* Acidalius.

Quam armis tenebamus] Non displiceat. Cæterum in autographo fuit, *tendebamus.* Unde scribendum forte, *in eam, qua armis tendebamus, egredi ripam.* Nisi malis, totidem apicibus repositis, *in eam, qua in armis tendebamus, egredi ripam, &c.* hoc est, qua armati excubabamus, ac tentoria fixeramus. Ut Virgilius Æneid. II. 'Heic unus tendebat Achilles.' Et Ovid. Epist. I. 'Illic Æacides, illic tendebat Ulysses,' &c. *Vossius.*

Data petenti facultas] Vulgo, *Data a Cæsare petenti facultas.* Exemplar vetus solummodo repræsentat, *Data petenti facultas.* Hoc *a Cæsare* hoc loco non reperitur, unde unde huc emigraverit. *Burrer.*

Furit juventus] *Fugit* legit Petrus Delbenius: quod superius dixerit, 'Sub omnem motum nostrarum navium protinus refugientium.' *Manut.* *Furit juventus*] Adulatoria oratio et inepta, nec pro indole aut ferocia Germanica. Est qui legat *fugit juventus:* male, male. Imo vero furere illam vult, nec esse sum mentis quæ cum Diis belligeretur. *Lipsius.*

Furit juventus] Similis Curtii locus ex lib. IX. 'Ergo universi ad eos, qui in armis erant, currunt: furere clamitantes cum Diis prœlium inituros.' *Vossius.*

Quæ cum vestrum numen] Tolerabilior videri posset montanorum barbarorum apud Curtium VII. 6. 6. oratio, qui veniæ petendæ deditionem suam hoc colore adornant: 'cum Diis pugnare sacrilegos tantum.' Nam quæ idem scriptor de barbaro imbellique Indorum stupore memorat IX. 1. 18. et IX. 8. 7. quibus Dii scilicet erant, quos fortiores adeoque sibi formidabiles credebant, facile fidem inveniant: sed cui verisimile fit, Germanum, dignitate graduque militiæ honoratum in tantum non modo a libertate, sed a servitute ipsa degenerasse? Et quodnam illud numen Romanorum, quod juventus Germana scilicet coleret? An illa terrarum Dea gentiumque Roma? quam pro domicilio latronum detestabantur Germani? An vero Julii Cæsaris ἀναθέωσις, aut Augusti veneratio hanc formulam dictavit? qua eadem nimirum postea Arminius, 'illum inter numina dicatum Augustum,' gravi cum irrisu vecordiæ Romanæ, memorat, ap. Tac. A. I. 59. 6. Curiosior aliquis non difficulter crederet, Velleium hic commentum esse rationem, qua suum Tiberium summis quibusque et admirandis ducibus æquaret. Vide de Scipione Val. Max. II. 10. 2. *Boecler.*

Impetratoque] Idem liber, *imperatoque*. Burrer.

CAP. 108. *Nihil erat jam in Germania*] O vanitatem! Sed hæc et plura magnifice, imo serviliter, Velleius narrat in Tiberii sui laudes. Ἀλλ' ἐγὼ οὐ πιθόμην. *Lipsius.*

Marcomannorum] Marcomanni Germaniæ populi, Ptolemæo, Dioni, Paterculo, Eutropio, Capitolino, Lampridio, et Vopisco. Vel Marcomannia Regio, ut etiam Julius Capitolinus habet, *Marhern* hodie est, Dubravio et aliis testibus. Marahenses vocat Regino. *Ortel.*

Interiora] Vulgo *inferiora*; verius *interiora*. Loca magis interna petierunt et dissita a limite Romano. *Lips.* *Inferiora*] Valde hic sudat Philippus Cluverius Germaniæ Antiquæ lib. III. cap. 2. Sed omnem nodum exsolveris, si scribes *interiora*. Quomodo jam olim Gryphio, Stephano, et aliis, editum. *Vossius.*

Hercyniæ] Olim dierum 60. longa, latitudo novem. Vide Cæs. de Bell. Gall. lib. VI. multis hodie sylvis separata.

Maroboduus] Cujus apud Tacitum Tiberii eulogium in hæc verba: 'Non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, et quam propinquas Italiæ hospes, suaque in destruenda ea consilia extulit.' Consule Strabon. lib. VII. *Scheglius.*

Sed certum imperium] Hanc locum, Deo annuente, amplius explicabimus in comment. de Auspicio Regio. Historiam juvabunt Strabo VII. prope principium, egregia, ut solet, brevitate rem totam complexus: Tac. A. II. 44. et 46. *Boeclerus.*

Juris sui fecit] An æquis, an vero imparibus? Dubitat Petrus Faber Semestr. I. 7. Nobis nil videtur dubitandum, si vel consilium Marobodui, vel textum Velleii consideramus. Dominari ceteris volebat Maroboduus, proferendique imperii causa finitimos bello petebat. Ergo partim vi cepit, partim deditione, quos sui juris omnes nimirum fecit. Qua Velleii phrasi nihil potuit clarius dici: nam sui juris facere, est utique, in suam ditionem potestatemque redigere. Non consistunt autem συνθῆκαι ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, cum alter amittit imperium, alter accipit. *Idem.*

CAP. 109. *Custoditum*] Vet. edit.

habet *custodiæ tum*, ex quo Lips. *custodia tutam.*

Gerebatque se ita adversus Romanos] Quæ hoc et sequenti commate dicuntur, prudentiam Marobodui singularem abunde ostendunt. Ceteri scriptores parcius hic agunt. An pnduit fateri, fuisse inter Germanos virum, qui gerenda rep. constituendoque principatu æmulum agere posset eorum, qui soli eo nomine celebres et cupiebant esse et videbantur? Nimirum et elusit Maroboduus infinitam Romanorum ambitionem calliditate, et virtute coërcuit: et quantum ille dedisset Romanis negotii, nisi intestinis armis collisi inter se duo Germanici Martes (Arminius ille alter est quem indigito) nudum hostibus latus præbuissent. Macte nunc quoque virtus Germanica, invicta omni externa vi in hunc diem futura, si libertati tuæ concordia constantius litavisses, neque alienæ dominationi tuum decus et sanguinem gratificari didicisses. *Boecl.*

Bello nos lacesseret, &c.] Vulgo, *ut neque bello nos lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi* ** *Legati, &c.* Putarem legendum, *nos lacesseret; at si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Legati, &c.* Nam in fine simile quid deesse videtur; cum sit in exemplari lacuna omissæ dictionis. *Rhenan.*

Totumque] Scribo cum Lipsio *tutumque*. Thys. *Totumque*] Acidalius contendit legendum, *in totumque*. Nolim statim assentire. *Boecler.*

Quem LXX.] Vulgo, LX. *Quem* LX.] Ex vestigiis vetusti codicis apparet fuisse LXX. eraso X. posteriore. *Burer.*

Noricos] Noricum, Germaniæ regio, quam Ptolemæus definit Æno flumine, Danubii parte, quæ est ab Æno ad montem Cetium, monte Cetio, Pannoniæ parte et monte Curvanca. Sed postquam Boii exactis Romanis in partem Vindelicisæ, quæ inter Lycum et Ænum jacet, immigrarunt, evenit ut is etiam tractus, tum Norici, tum Boiariæ sive Bavariæ nomen acciperet. Quo sensu, (ut suis litteris ad me M. Velserus monuit,) eam Diaconus S. Langobard. describit, his verbis: 'Noricum siquidem provincia quam Boiariorum populus habitat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Suaviam, a Meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.' Beyern, sive Bavaria nunc. Noricorum duas provincias numerat Sex. Ruffus, item Lib. Notit. 'Mediterraneum,' et 'Ripense.' Noricum Ripense. Hujus meminit Lib. Notit. Ex eo Austriæ tractum facit Lazius, qui est a Pataviq, Viennam usque, vulgoque Haustuck dicitur. Noricos olim Tauriscos vocatos, scribit Plinius III. 29. Hodie apud hos eosdem hujus vocis multa supersunt locorum nomina, ut *Krunder-Taurn, Felber-Taurn, Kara-Taurn, &c.* Ortel.

Initium ejus finium] Exemplar antiquum, *initium cujus finium*. Burrerius.

Cattos] Catti, Germaniæ populi, Tacito: Chattæ, Χάττοι, Ptolemæo. Hessen sunt H. Junio et Georgio Fabricio: mihi quoque. Apud quos hactenus *Katzenelebogen* superest; quasi dicas, Cattorum Ancona. Willichio vero sunt qui Marchiam Badensem et loca vicina habitant: quos et Caritnos Ptolemæi putat. Catti postea in insulam Batavorum transgressi (auctore Tacito) ubi hodie horum nominis vestigia supersunt in duobus vicis, cognominatis ad mare, et ad Rhenum. *Ortel. Cattos*] Batavos olim inter Cattos, eosque nunc Hessos, docti existimant. Atque in eam rem nova argumenta prodit generosæ stirpis et elegantis ingenii splendore nobilissimus Janus Dousa filius, *Catzenfort* ad Dilliam fluvium, et forte an *Katers* Hirafeldo oppido, et *Katersberg* Wanfredo vicinum. Quare Batavorum veterum in Hassia sedes. Quo

autem in loco eas habuerint, conjectura e locorum nominibus petita, idem indagat, et suspicatur eos circa Adranam (hujus Tacitus meminit Annalium I. vulgo *Eder*) et Gilsam fluvios in Waldeckensis Comitatus confiniis sitos fuisse. Cujus rei testimonium perhiberi ipsi videntur *Batebergum*, arx edito in colle Adranæ alluenti assidens; et pagus *Batenhausen* inter Varum et Gilsam (vulgo *War* et *Gilse*) fluvios. *Baddenfeldum* præterea prope eundem Adranam locus nominatus Auctori Annalium de gestis Caroli Magni. Cattorum vicissim apud Batavos vestigia. Præter argumenta ab aliis adducta ex duobus ejusdem nominis pagis, *Catwijck op den Rhijn*, et *Catwijck op Zee;* qui olim ad medium Rheni ostium Bataviam ad Oceanum terminarunt, adfert idem Dousa filius *Catvicum* in Comitatu Cukensi, Batavorum inibi terminum. Cattorum denique memoriam in Zelandia tuentur, inquit, *Catzium* oppidum, quod ante aliquot annos aquis obrutum; et e regione ejus vicus prope Goësam urbem *Cattendijck*. Quod Zelandos ejusdem nobiscum originis fuisse, satis ipse evidens argumentum. Et hi antiquitus Batavis annumerati fuerunt et accensiti insulis illis, quas Rhenum incursibus suis in mare facere testatur Cæsar l. IV. de Bello Gallico: 'Rhenus,' inquit, 'oritur ex Lepontiis qui Alpes incolunt, et longo spatio citatus fertur; ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, multisque capitibus in Oceanum influit.' Vide Notas ad Grotii Bataviam. *Cattos*] Iidem qui Hessi per dialectum, ut *Wasser*, et *Water*.

Hercyniæ] Hercynia Silva, Cæsari, et Apollonio IV. cujus Scholiastes vocat sic montem, et silvam, quam 'Orciniam' ab Eratosthene vocari dicit. *Orcynium*, Ὀρκύνιος, Ptolemæo. In Germania est. Dierum sexaginta iter occupare scribit Pomponius. Ejus latitudo novem dierum iter expedito patere, Cæsar tradit. Vide ejus magnitudinem apud eundem, de bello Gallico l. VI. 'Hercynius Saltus,' et 'Hercynium Jugum' nominat Plinius. Hujus descriptio quoque est apud Suidam, ex Juliano Aug. in χρῆμα. De hac silva libet hic adferre, quæ Rhellicanus habet in suis Annotationibus in Cæsarem: 'Bacenim eandem silvam cum Hercynia omnium pæne eruditorum consensus approbat. Latini namque partim et Græci eandem Silvam Bacenim, Martianam, Gabritam, Semanam, et Hercyniam nominant. Germani vero juxta Friburgum Brisgaviæ *Schwartzwaldt*, prope Heidelbergam *Odenwaldt*, prope Herbipolim et Badenbergam *Steygerwaldt* vocant. A Mœno etiam fluvio ad Loriam amnem prope Confluentiam *Westerwaldt*, non procul a Mœni ripa, ubi Francfordiam, Aschiburgium, et Moguntiacum urbes attingit, *Speshart*. In Saxoniæ faucibus ad Mansfeldensem ditionem *Auff den Hartz*, a Thuringis *Thuringerwaldt*, et a Bohemis *Behemerwaldt*, nuncupatur.' Hæc ille. Eadem fere Althamerus, in Tacitum. 'Germanici Saltus' sunt Livio IX. Hanc Hercyniam puto ab Orpheo in Argonauticis et Dionysio Afro in Periegesi describi sub nomine ἄπειρος ὕλη, id est, immensa silva: inter Mæotidem paludem Croniumque mare, quem tractum occupatum ab hac Hercynia sylva, docuimus ad Europæ veteris in nostro Theatro tabulam. *Ortelius*. *Hercyniæ*] Immanis autem illa silva Hercynia per omnem Germaniam diffusa erat: hodieque per totam fere Brandenburgiensem Marchiam, per Cassubiam, atque Prussiam, per Poloniam, Litaviam et Russiam majorem, sive Moscoviam, est quasi unus continuus saltus, de quo Cæsar. At is an antiquitus omnis, ad Obium usque flumen, extremum

Europæ terminum, appellatus fuerit Hercynius, falsum esse credo. Quippe Hercynium nomen non ultra Germaniæ limites extendendum censeo. *Cluverius.*

Legiones Boiohæmum] Sententia ἀτελής. Addendum videatur, *Boiohæmum duceret.* Lipsius. *Legiones Boiohæmum*] Strabo lib. VII. 'Bubienum,' sive 'Boyhaimum,' regiam Marobodui facit. 'In hoc tractu,' inquit, 'sita est Hercynia silva, et Suevorum natio, ex quibus nonnulli intra, aliqui extra silvam habitant, sicut et Colduorum' (Caluconum forte) 'plerique, in quibus et Bubienum Marobodui regia.' Malim igitur in Velleio *Boyhaimum;* quod patriam sive domum Boiorum interpretatur Rhenanus recte. *Schegkius. Legiones Boiohæmum*] Cluverius, quod *Boiohæmum* regionis nomen sit, emendare conatur, *in Boiohæmum.* Fallitur: neque enim auctores regulam illam semper observant. Ad Tacitum et Justinum abunde id viri docti comprobarunt. Virgilius Æneid. VI. 'finesque Venturum Ausonios.' Ubi Servius: 'κατὰ τὸ συμπόμενον. *In* intelligitur.' Ita enim legendum. *Voss.*

Carnunto] Carnunti, meminit Paterculus, Ammianus, et Plinius lib. XXXVII. 3. Livius XIII. et lib. Notitiarum, in Pannonia Prima: item Itinerarium Antonini. *Passaw* quidam putant. De hoc sic Diaconus, 'Carnuntum quod corrupte Carantanum vocant.' *Ortel.*

Locus Norici regni] Cluverius legendum censebat, *Norico regno.* Sed nihil mutandum. Sic infra de Lepido: 'vir nominis ac fortunæ suorum proximus.' Ita ibi legendum docemus, non *eorum.* Vossius.

Illyrico] De Illyrico lege Appianum, Sex Rufum, Jornandem, Lib. Notitiar. et Lazium I. R. P. R. c. 1. apud quos multas regiones sub Illyrico comprehendi disces. *Ortel.*

Marcomannos] Vide cap. 108.

CAP. 110. *Danubium*] Hodie *de Donau.* Rhenanus et Vadianus putant a monte Abnoba nomen accepisse. Atque ibi quoque originem habet circa Wittenbergensem ducatum, Willichio et Tschudo testibus, et per Pannoniam fluens summo impetu se in Pontum Euxinum effundit.

Admoveri placuerat] Lego *admoneri.* Certiorem nempe reddi de suo adventu. Sequentia etiam sic explean: *placuerat: cujus copiæ pæne æquali.* Lipsius. *Admoveri placuerat*] Lipsius mallet *admoneri:* et supplet lacunam: *cujus copiæ pæne æq.* Hoc postremum facile se cuivis approbat: sed illud *admoveri*, tolerari posse observabunt, qui cogitare volent. *Boecler.*

Cum universa, &c.] Exemplar antiquum habet, *tum universa.* Burrer. *Cum universa Pannonia*] Vide de hoc bello Dionem lib. LV. et LVI. Sueton. Tib. 16. *Boecler. Pannonia*] Vide cap. 96.

Et adulta] Placet magis, *Et adjuta viribus Dalmatiæ, &c.* Ursinus. *Et adulta*] Adultam viribus dicit ob longæ pacis bona. Noli audire Ursinum, cui legendum videbatur, *et adjuta viribus Dalmatiæ, &c.* Vossius.

Ex constituto] De compacto, Plautus. *Schegk.*

Amplius DCCC. *millibus*] Lego *millia.* Nam illud *amplius* doctos librarios fefellit, quod jungi accusandi casui nefas arbitrati sunt. Neque tamen hos nimium incusabo, hic quidem. Forte enim *explebat* positum pro *explebatur:* figura ea, de qua ante: quamvis quidem nec hoc asseverarim. Nam et vulgata lectio se tueri potest. *Acidalius. Amplius* DCCC. *millibus*] Non dubito nota numerali expressum in Msc. millenarium fuisse: DCCCM. Unde Acidalius, potius *millia* ex optimorum Auctorum consuetudine, legendum esse, quam *millibus* existimat. *Boeclerus.*

Cujus immensæ multitudinis, &c.] In Rhenani editione est, C. imm. mult.

pars acerrimis et p. Cujus immensæ multitudinis, &c.] Nihil prorsus in tota hac verborum complexione mutare suadet, ut commoditas sensus, ita Ms. codicis auctoritas. Malum itaque factum, quod Ursinus ac Lipsius, ex lectione editionis principis, infideliter heic descripta, ut ex Burrerii variantibus lectionibus constat, novam nobis lectionem cudere sint aggressi. *Vossius.*

Pars petere Italiam] Rhenani editio *properare in Italiam decrev.* eamque veram lectionem censet Lipsius.

Nauporti] Nauportus Velleio et Tacito, Naupontus Straboni, oppidum in Tauriscis, (hodie Carnis.) Plinio Nauportus fluvius est, inter Æmonam et Alpes exoriens. Hodie et oppidum et flumen Germanice *Laybach* dicitur, Italice *Laboto*, et Dalmatice *Lubeana*. Latinis hujus ætatis Labatum flumen cum oppido nomen habet. *Ortelius.*

Tergestis] *Tergeste*, Plinio Fori Julii opidum. *Tergestum*, Τέργεστον, Ptolemæo nominatur: uterque coloniam Romanam facit. *Tegestra*, Τέγεστρα, vocat Stephanus: et *Tegestræorum* urbs, Τεγεστραίων, Diodoro et Dionysio dicitur. Hodie *Trieste*, Leandro et Lazio testibus. *Idem.*

Eruperat] Ex vet. exemp. *effugerat.* Lipsius et Ursinus faciunt, *se effuderat.* Boeclerus.

Proxima duobus Batonibus] Petrus Delbenius legit *Batoni:* nam infra 'Batonem, et Pinetem, excelsissimos duces,' nominat. De eo vide et Suetonium in Augusto. *Manutius.*

Proxima duobus Batonibus] A quibus *Proxima?* nemo enim ante istos. Ad Maraboduum refers? frustra: non ille mixtus huic bello. Alterutrum: aut *Prima duobus*, scribito: aut *a Pinete*: nempe ut isti proximo loco post Pinnetem. Qui autem *Batoni* hic fecerunt, peccarunt. Nam duo Batones in hoc bello, quod Dio extremo lib. LVI. te docebit. *Lipsius.*

Proxima duobus Batonibus] Reponenda omnino Cl. Delbenii scriptura, *Batoni:* nec ferenda vulgaris, cui fulcrum nescio quod e Dione petunt. Nam fuerint sane duo, quid ad hanc historiæ partem? Duos duces heic noster memorat, Batonem et Pinnetem, non Batones duos: quomodo tres fuisse duces oportebat. At infra de iis duobus saltem iterum, 'Batonemque et Pinnetes, excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum, justis voluminibus ordine narrabimus.' *Acidal.*

Proxima duobus Batonibus] Malim, *prima.* Possis etiam legere *a Pinnete.* Quorum utrumque Lipsio etiam in mentem venit. Sed prius malim. Ovidius de Ponto lib. II. El. 1. 'Maxima pars horum vitam veniamque tulere: In quibus et belli summa caputque Baton.' Ita in Ms. invenit Scaliger. Et sane de Batone capiendum esse, Suetonius in Augusto ac Dio lib. LV. doceant. Alii libri habent, *summa caputque fuit.* Vossius.

Batonibus] Batonis nomen inter Germanos et Dalmatas celebre olim fuit; nominatim duorum meminit Dion, Batonis Brucorum (gens ea est Pannoniæ) ducis, et Batonis Disidiati, qui Dalmatas, gravioribus justo tributis et vectigalibus, pecuniarumque exactionibus exercitos, ad arma contra Romanos concitavit, magnisque cladibus et incommodis affecit; cujus etiam memorabile responsum ad Tiberium Cæs. non dubitavit duobus in libris LV. et LVI. iterato repetere, qui interroganti Tiberio, cur solicitatis ad defectionem popularium animis ad bellum diuturnum eos traxisset, respondit, Romanos ejus rei esse auctores, qui gregibus immitterent lupos custodes, non autem canes aut pastores. *Had. Junius.* Atque a Batone etiam Batavos dictos volunt. *Batonibus*] Est autem Bato nomen populare Pannonum. In Pannonia extat

lapis in quo incisum: BATOBVILI. F. COL. AP. EQ. ALAE. PANNONIORVM. TVR. SCENI. *Jos. Scaliger.*

Linguæ quoque notitia Romanæ] Nescio quo consilio Schegkius hic observet, Linguæ Latinæ usum beneficii loco a Romanis concessum: ex Liv. XL. 43. 'Cumanis eo anno petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, et præconibus Latine vendendi jus esset.' Noster sane nihil de usu hujus linguæ Pannoniis publice concesso, sicut Cumanos actui publico ac negotiis civilibus solennibus illud privilegium quæsivisse et impetrasse Livius auctor est: sed potius de pervulgata notitia sermonis Romani loquitur, sicut hodieque fieri potest et solet, ut linguæ alicujus extraneæ notitia in vulgus satis familiaris sit, non item usu publico recepta et agendis rebus componendisque monumentis destinata. Nam id ne optant quidem aut sustinent facere, nisi qui externo imperio vel parent vel adulantur. Itaque semper discernendum est, commercione et usu ac necessitudine, an imperio institutoque notitia linguæ alicujus propagetur. De priori modo Curtius diserte VI. 16. 23. 'Tam victoribus quam victis peregrina lingua discenda est.' Posterius consilium Dominantibus solenne est: qui linguam suam, non citra arcanum imperii, (de quo Clapmar. III. 22.) propagare student. *Boeclerus.*

Vexillariorum] An milites, qui sub eodem vexillo militabant, an equites alarios intelligit? Vide Veget. l. II. c. 1. et Liv. l. XLIX. *Vexillariorum*] Auctor notitiæ Imperii vexillationes Palatinas et Comitatenses, sub diversis Magistris qua in Oriente qua in Occidente recenset, sed omnibus fere locis disertim indicat equites fuisse. De iisdem vetus quoque inscriptio: ITEM. MISSO. AB. IMP. ANTONIO. AVG. PIO. AD. DEDVCENDAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB. BELLVM.....TRICVM. Vexillationum nomen Turnebus ad emeritos veteranos (subsignani Ammiano dicebantur, Vexillarii Tacito) traxit, id est, eos milites, qui exauctorati, sub signo tamen seorsim tenebantur, donec præmia et agros acciperent. Eum vide lib. III. Adversariorum c. 3. et l. V. c. 2. ubi ex Suetonii Galba, c. 20. hæc verba: 'Excepta Germanicianorum vexillatione,' eo, quo dixi modo interpretatus est; recte an secus judicare alios mavelim: accepto tamen a me, seu potius Notitia imperii, hoc testimonio, ubi sub dispositione viri illustris Magistri militum per Illyricum duæ vexillationes Comitatenses ponuntur, 'equites Sagittarii seniores, equites Germaniciani seniores.' *Stewechius.*

Quin] Vulgo *quia.* Sed recte emendarunt Ursinus Acidaliusque.

Firmatum] Vet. ex. *formatum*; cujus vocis et elegans et satis nota est in hos usus significatio; nescio tamen quomodo textum accuratius inspicienti magis arridet, *firmatum.* Boecl.

CAP. 111. *Delectus*] De delectus modo, refractariorum pœna, et justa excusatione, vide Romam illustratam p. 46. 47. et seq.

Revocati undique omnes] Retineri potest vetusta lectio, *undique et omnes.* Quod Acidalius *evocati* reponendum contendit, in eo obsequitur mori suo, atque ex omni occasione correctionem captat. *Boecler.*

Ex censu] Suet. Aug. 25. Dio LV. p. 652.

Nisi qui illa regeret fuisset] Scilicet plus est in duce, quam in exercitu: quo de argumento pleni sunt commentarii Politicorum.

Ut præsidium militum, &c.] Non probo ducem præsidium militum esse, magis regimen. Scripsit Velleius *præsidium ultimum.* Velut ad extremum auxilium, inquit, et ad sacram ancho-

ram, decursum ad Tiberium: et ille dux depostulatus in gravi grandique hoc bello. Nec Velleiana tantum adulatiuncula est; ipse Augustus, Suetonio teste, Tiberium 'epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, atque unicum populi R. præsidium prosequitur.' Habes ipsum istud elogium. *Lips. Ut præsidium militum, &c.*] Verbis paululum immutatis, scribo, *Itaque ut præsidium manium Resp. Augustum, ita ducem bellum poposcit Tiberium.* Neque explicatione hoc eget. Addo si lubeat, *in bellum*, retineri posse: verum si qui me audiendum putabit, illud ut argutius venustiusque mecum isti præponet. *Acidal. Ut præsidium militum, &c.*] Lipsium, Acidalium, et alios, sollicitos habuit hic locus. Mihi nil plane mutandum videtur. Et, nisi fallor, spectat idem Paterculus, quod supra dixit: 'peragratusque victor omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipue huic duci semper curæ fuit.' Et alibi: 'imperatori nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis: semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum.' Eandem quoque Tiberio laudem tribuit Suetonius in vita ejus cap. 19. *Vossius. Ut præsidium militum, &c.*] Fateor non suaviter hæc in auribus meis sonare: tam absurda autem esse, sicut censuit Acidalius, (cujus nimis animosa hic medicina est) pernego. Mitigabitur nonnihil insolentia phraseos, si consideremus, quam præmisit sententiam. Coactæ erant, inquit, satis multæ magnæque militum copiæ: sed quid multitudo exercitus, absque artibus et auctoritate idonei ducis? itaque respublica huic multitudini militum, tanquam præsidium et præcipuum robur decusque, postulavit Tiberium, parem sc. tanto bello ducem. Subtilius forte, quam opus est agunt, qui Tiberium ideo hic *præsidium militum* credunt dici, quod militum sanguini parceret studiose, neque victoriam damno amissi militis pensatam cuperet (teste Nostro II. 115. et 120.) simplicius enim et convenientius est, ut 'præsidium' accipiamus eo sensu, quo eleganter Augustus apud Sueton. Tiberium 'ut unicum populi R. præsidium' prosequitur. Tib. 21. Lipsius tentabat, *præsidium ultimum:* Gruterus, *unicum:* ut possit videri Velleius in animo habuisse elogium Augusti. *Boecler.*

Mediocritas nostra] Ita jam ergo incipiebant loqui? Postea ejusmodi formulæ ad ineptias et fastidium frequentatæ. Mirari possis jam tum, id est, sub Tiberio, ausum Valerium Maximum dicere, 'mea parvitas.' Quæ vox adeo offendit Eruditorum aures, ut pro comperto habeam, multos, cum in ipso limine hanc tanquam in lapidem impingerent, sequius, quam meretur, judicasse de toto Auctore: qui licet aliquando moliri gravius quam felicius exhibere videatur figuras sententiasque, abunde tamen eloquentiam suam prudentiamque æquis judicibus approbare potest. *Idem.*

Ministri] Lipsius malit *ministerii.* Tolerat tamen vulgatam lectionem.

Finita equestri militia] Equestris militiæ mentio item apud Tranquillum capite Augusti 46. aliisque locis: adeo ut monstro mihi simile videatur virum rerum Romanarum callentissimum lib. II. cap. 9. Militiæ suæ, emendare eundem Tranquillum Claudii capite 25. ac *Equestres militias* permutare in *Semestres:* nihil enim ibidem interpolandum, ostendi in libellis Suspicionum. *Gruter.*

Necdum Senator æquatus, &c.] Emendant et ita edunt: *etiam designatus Tribunus plebis:* non pro Velleii mente. Vulgata retinenda est: *designatis tribunis;* quæ hoc vult, sese æquatum Senatoribus, id est, Tribunis designatis, nondum Senatorem. Qua in re? quod præfuerit copiis, æque ac

Tribuni, earumque partem duxerit ad Tiberium. Nam Tribuni hoc tempore eligi non poterant nisi e Senatu. *Lips. Necdum Senator æquatus, &c.*] Ego vero libens e situ et oblivionis carcere eruam insignem et notabilem ritum: qui nimis diu juventutem nostram latuit, in Tribunis creandis. Juventutem autem? imo et vere viros, et vere doctos: quibus nebulæ hic et caligo. Tribuni creati olim non solum pro plebe, sed etiam e plebe: ita ut patriciis aut patribus aditus ad eum honorem rarus esset, aut nullus. Diu ita mansit: donec visum adeo id immutare, ut cautum severe fuerit, ne quis Tribunus fieret, nisi Senator: id est, ne jus quidem haberet petendi Tribunatus, nisi jam ante e patribus. Suetonius hoc adfirmat clare usitatum etiam in libera rep. et extremo ævo Ciceronis. Nam in Aug. cap. 10. ita scribit: ‘Et quo constantius cetera exsequeretur, in locum Tribuni pl. demortui candidatum se ostendit: quamquam patricius, necdum Senator.’ Ubi diserte et extra cavillum, impedimenta duo Cæsari ad Tribunatum ponit, quod gente patricius, et quod honore nondum Senator. Nam maximo Langio nostro qui adsentiar, voces eas duas præfidenter hic tollenti? Nollem te hoc conatum, vir alias modestissime, nam iterat hoc ecce idem Suetonius in eodem Aug. cap. 40. ‘Comitiis Tribuniciis, si deessent candidati Senatores, ex equitibus Romanis creavit.’ Quod, qui ad Tribunos transferunt militares, quam errant? Refutat eos palam Dio lib. XLV. qui hanc ipsam rem denarrans, τοῖς ἱππεῦσι, inquit, τὴν δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε: id est, *Equitibus Romanis tribunatum plebis petere concessit.* Ex quo amplius discis, nec equitibus quidem tunc fuisse petendi jus, adeo non imæ plebi. Plinium ego apto istuc lib. II. Epist. 9. ‘Ego,’ inquit, ‘Sexto latum clavum a Cæsare, ego Quæsturam impetravi: meo suffragio pervenit ad jus Tribunatus petendi.’ Jus enim petendi Tribunatus, non hic aliud quam dignitas Senatoria et latus clavus. Hoc utiliter institutum, et ad arcendos a turbido magistratu turbidos adolescentes: sed quando, hæremus. Appianus adscribere Sullæ videtur, qui multa in hoc magistratu, ad vim ejus et ferociam contundendam, innovavit. Nam ait Civilium primo: τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν ἀσθενεστάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν. καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν, κατὰ νῦν ἐστιν, εἰς τὴν βουλὴν ἐκ τοῦ δήμου μετήνεγκεν: id est, *Tribuniciam potestatem tantum non sustulit, enervatam eam prorsus relinquens, lege lata, nequis qui Tribunus fuisset alium ullum caperet magistratum: nec liquido possim dicere, an Sulla hunc magistratum, uti nunc est, a plebe transtulerit ad Senatum.* Quem locum valde mihi nota, unicum Suetonio et huic ritui lumen. Et Appiano sane adsentiar ego: quamquam Atteius Capito apud Agellium Atinio plebiscito adsignet; si tamen transferre verba ea fas ad meam hanc mentem. Ait: ‘Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum.’ Dicere enim videtur, plebiscito eo cautum, ut nemo Tribunus nisi Senator esset. Etsi aliorsum, nec incommode, trahi verba ea posse, nihil nego. Illud quidem miror, non Ciceronem, non historicos, rem tam novam, tam memorandam posteris prodidisse: nisi forte, quia tunc notissima, et in oculis omnium auribusque. *Lips. Elect.*

Etiam designatus tribunus plebis] Vir doctus et diligens, *tribunus militum.* Ego nihil temere mutaverim, præcedentia propter et sequentia; tum quod tribunatu et præfectura equitum functus discesserat ad civilia, hoc est, Tribunatum et Quæsturam, in qua legatus missus ad Tiberium; cum

alias post quæsturam ante prætoram moris: colliges hoc ex Tacit. Annal. II. ‘ Censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda: utque legionum legati, qui ante prætoram ea militia fungebantur, jam tum prætores destinarentur.’ *Schegk.*

Sorte provinciæ] Sortiri solebant provincias. Provincia autem erat devicta regio, quæ a Magistratu Rom. gubernabatur, neque amplius sui juris erat.

Evasimus partibus] Puto legendum, *artibus.* Rhenan. *Evasimus partibus*] Editio primitiva, *partibus.* Bene: sed velim etiam, *invasimus,* magis ex dignitate Romana. Nec enim effugisse aut elapsum Tiberium vult copiis partitis: sed magis, invasisse grandes illas copias et carpsisse per partes. *Lips. Evasimus partibus*] Forte fuit, *exhausimus partibus*: hoc est, per partes: ut error natus fuerit, ob omissam adspirationem. *Gruter. Evasimus partibus*] Repone *partibus:* quod male a Rhenano damnatum. Lipsius vero vellet, *invasimus,* Gruterus *exhausimus:* magis, ut aiunt, ex dignitate Romana. Uterque frustra. Ipse Tiberius apud Suetonium in vita sua vulgatam lectionem propugnat, a quo si recedere voluisset, non potuisset Velleius. Verba ejus: ‘ Batonem Pannonum ducem, ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit, gratias referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere.’ *Vossius.*

Quanto cum temperamento utilitatis res] Sententiose hoc, ut cetera de artibus Tiberii. Scilicet ‘ Eruditus’ sit dux ‘ utilia honestis miscere,’ exemplo Agricolæ ap. Tac. VIII. 1. *Boecler.*

Inopesque copiarum] Copia pro cibo, commeatu. Apuleius noster non ille Arcadii generis, sed Platonicæ sectæ, de Dogm. Plat. ‘ Quod quidem (os) aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est.’ Utuntur et Tacitus, Val. Max. Plinius, alii. *Acidal.*

Viribus hostis] Ineptum plane, *virus:* quod substituit Ursinus. Retinenda lectio vulgaris, hoc sensu: maximas illas Pannoniorum copias ita inclusas fuisse custodiis exercitus Tiberiani, ut non modo non possent erumpere; sed etiam præ inopia copiarum, quæ vix ullæ tanto exercitui satis esse poterant, quasi inedia elanguescerent: facit huc dictum vetus, quod habes apud Vegetium lib. III. cap. 9. ‘ Fames intrinsecus pugnat, et vincit sæpius, quam ferrum.’ Quo indicatur, famem esse alterum hostem, qui non, extra mœnia aut vallum, sed interius oppugnat. Plane contra mentem Vegetii esse puto, quod vir eruditus malebat, *utrinsecus.* Vossius.

CAP. 112. *Legione vicesima*] Communis agnominatio Legionum a numero fuit, idque discretionis causa, ut diceretur Prima, Secunda, Tertia, &c. Id autem ab ordine temporis et delectus, quo conscriptæ. Sed fuerunt et alia passim Legionum cognomina. Ab Imperatoribus Augusta, Claudia, Flavia. A locis hibernorum, ut Gallica, Cyrenaica, Scythica, Macedonica, Ægyptiaca, Germanica, Italica, &c. A Diis cultis, Apollinaris, Minervia. Ab armorum præstantia, Ferrata, quæ tota e ferro. A loco, Fretensis, freto assita. Ab insigni forte scutorum, Fulminatrix. Item, Victrix, Gemina, Valens, Adjutrix, Pia, Fidelis, Felix, &c. *Lips.*

Proposita] Malo *opposita.* Hostiles copiæ bipartitæ. Pars una Tiberio ipsi resistere debebat: pars altera legatis. *Idem. Proposita*] Lipsius mallet *opposita,* sed potest defendi vulgata. Mox concinnius legeris *instantes sustinere;* quod jam alii monuerunt. Cetera recte se habent. *Boeclerus.*

Macerata] Consumpta, attenuata.

Neque instantem] Lego, ut congrua sit oratio, *Neque instantes sustinens.* Supprimitur, *nos* vel *nostros*, ut in sequentibus, *nobis* vel *nostris.* Aliter vix est, ut Latinis auribus probetur. *Acidal.* [Potest tamen ad ducem referri.]

Aciem] Vulgo *etiam.* *Aciem*] Habet ex. vet. *diligentibus aciem.* Lectio igitur marginalis reponatur in ordinem suum. *Manut.* *Aciem*] Editio vetus, *dirigentibusque etiam, &c.* Quod male defendit Lipsius, cum alterum Ms. auctoritate sit subnixum. *Voss.*

Monte Claudio] 'Alman' vocat Dio lib. LVII. *Schegk.* *Monte Claudio*] Situm describit Plinius Hist. Naturalis lib. III. cap. 25. 'Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci.' Dio in hac narratione Almæ montis meminit. Nec errat, quod censuit Schegkius. Multo minus corruptus est, ut putabat Popma. Nam et Alma mons juxta Sirmium in Scordiscis. Hoc liquet ex Flavio Vopisco: quem sequuntur, aut exscribunt potius, Eutropius et Aurelius Victor: nisi quod apud hosce, corrupte sit *Almum*, pro *Almam.* Vossius.

At ea pars] Vulgo male, *antea pars.*

Et equitatu regio, &c.] Ita recte emendavit Rhenanus. Vulgo, *Auxiliaribusque et equitatui regio, quippe magna Thracum manu vinctus prædictis ducibus Rhomo et Alces Thraciæ rex in adjutorium, &c.* Rhenan. *Et equitatu regio*] Acidalius recte *equitatui.* Boecler.

Rhæmetalces] In antiqua editione est, *Rhomo et Alces*, sed mendosissime: scribendum *Rhæmetalces*, ex antiquo apud me numismate æreo, in cujus una parte signata est imago Augusti cum inscriptione, ΣΕΒΑCΤΟC. ΚΑΙCΑΡ, &c. in altera effigies Rhœmetalcis regis hujus, cui adscriptum est, ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. ΒΑCΙΛΕΩC. *Ursinus.* *Rhæmetalces*] Ita legendum ex Tacito Annal. II. et Dione lib. LV. adparet: in quis 'Rhomotalces,' et 'Rymetalces' exprimitur. Burr. et vir doctus, *Mætalces*, imperite. *Schegkius.*

Fugata] Ms. *fuga.* Forte *fusa.* Vossius.

Alæ] Ala dicta equitum turma, quia instar alarum pedites a latere protegit.

Cohortes] Ex Manipulis conficitur *Cohors.* Ea vox Græcanica est, quod clausum vel septum in anteriore domo vel villa χόρτον illi dixerunt. Latini *Cohortem*, vel *Chortem*; nam et sic scribebant. Martial. 'Raucæ cohortis aves.' Cohors habuit 3. Manipulos, Hastatos, Principes, Triarios; adde et Velites, qui manipulos solebant comitari. Fuit igitur justa et plena Cohors legionaria, homines 420. Si pleniores Manipuli et Legiones, plenior et ipsa; et inde Cohortes quingenarias, et sexcenarias legimus. Græci Cohortem vulgo vocant σπεῖραν, ut et Ennius usurpavit. Suidas *Spiras* interpretatur *Numeros.* Cohortes omnes in legionibus erant, numero æquales, quia et manipuli tales. Sed quia primæ dignitas aliqua attribuitur, id non a numero, sed a splendore et primatu fuit, quod primi in ea Centuriones generis cujusque, et forsan flos aliquis et electio virorum. *Lips.*

Signa legionum] Quæ erant Aquilæ. *Signa legionum*] Signum Legionis Aquila, nec nisi unius una; nec Socii quidem, cum in aliis pares, eam habuerunt. Et quia hæc præcipui imperii signum, subjungi sub eam Socios voluerunt, et Auxilia, non secorsum habere. Itaque per ipsas Aquilas numerabant Legiones. Aquilæ origo varie petitur. A Jove alii, qui hanc insigne militiæ habuerit. Quidam a Trojanis. Forte Romani repererunt a se, aut vicinorum exemplo. Sane rapacium aliquot animalium effigies assumi et præferri bello convenit, et varie olim fecerunt Romani. Nec enim solam Aquilam prisci illi, sed plura ejusmodi animalia prætulerunt,

nata in pugnas aut raptus, ut Lupos, Minotauros, Equos, Apros, Porcos. Etiam prisci Germani ferarum imagines inter signa habuerunt. Aquilæ vero hæc dignitas etiam apud alias gentes fuit. Persis regale hoc signum. Forma Romanæ Aquilæ: pinnas extendens summæ hastæ insistebat, ex auro vel argento: et fulmen sæpe unguibus tenebat, quasi jaculatura. *Lipsius.*

Militi] Vulgo, *militis. Militi*] Canssa victoriæ milites maxime fuere, cum duces parum explorato profecti incidissent in hostes. *Idem.*

Vindicatum] Non eo tantum, quod *militis* alii legerent, locum ut fractum notavit Manutius: sed fuit et aliud. Nam sive hoc reponeret, sive retineret alterum, non fieri tamen, ut sine mendo esset, animadvertebat. Itaque ut cui alia medicina opus esset, ne temere negligeretur, asteriscum apposuit. Ego vero plana omnia futura judico, si legatur, *vindicandum*. Nec id aptum negabit, qui sensum loci considerat; nec verum, qui ductum litterarum. T et D sæpe commutantur, nec N, aliæve consonantes semper in veteribus manuscriptis exprimuntur. *Vindicatum* ergo scriptum, pro *vindicandum*. Acidal. *Vindicatum*] Mihi dubium non fit, quin *vindicatum* e margine irrepserit in contextum. Adscripta ea vox ab eo qui memoriæ suæ consulebat, exitumque belli denotabat; itaque legendum literula una detracta, *militi*: et egregia figura dicit, *militi et ducibus*, cum potius scribendum fuisset, *militibus ac duci*. Grut. *Vindicatum*] Videtur omnino toleranda hæc lectio, neque opus esse, ut, pro *militi*, substituatur *militibus*: aut pro *vindicatum*, *vindicandum*. Boeclerus.

Qui multum a more, &c.] Vulgo, *qui multum amore Imperatoris sui crepantes.* Non capio, nec pura censeo. Quid si, *properantes*, pro *crepantes?* Quid si etiam, *ultum?* ut velit festinasse ad vindictam, et ad detergendam ignominiam a regiis acceptam. *Lips. Qui multum amore, &c.*] Volunt alii isthæc dici de militibus: at ego puto dici de ipsis ducibus. Ceterum verba omnia sic fracta sunt; ut non pudeat pronunciare cum Lipsio, me ea non capere. *Grut. Qui multum a more, &c.*] Legebatur, *multum amore imperatoris sui crepantes.* Unde doctissimus Isacius Pontanus eam lectionem fecit, quæ haud dubie ceteris omnibus præferenda fuit. *Boëcler.*

Præfecto castrorum] 'Ad quem' (ait Vegetius lib. II. cap. 10.) 'castrorum positio, valli et fossæ destinatio pertinebat. Tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales, et medici a quibus curabantur, vehicula, sagittarii, nec non ferramenta, quibus materia secatur vel cæditur: item ligna vel stamina, arietes, onagri, ballistæ, ceteraque genera tormentorum procurabant aliquando ne deessent.' Istud munus in libera Republ. non lectum, cui omnia, Lipsio. Tribunis postponit Sueton. Vespas. 'Polla patrem habuit Vespasium Pollionem ter tribunum militum, præfectumque castrorum.' Mentio infra Velleio plurium in exercitu: 'At e præfectis castrorum duobus quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Ceionius prodidit.' Quo recte cum doctissimo viro colligas licet, cuique legioni suum præfectum tributum fuisse. *Schegk.*

Quibus etiam] Editio vet. *quinetiam primi ordines;* haud improbo sensu. Tamen velim, *qui etiam primi ordinis.* Vult enim Centuriones aliquot primorum ordinum occidisse. *Lipsius. Quibus etiam*] Ita in Ms. legebatur: ut non sint audiendi Lipsius, Acidalius, aliique, qui emendant, *qui etiam primi ordinis cecidere.* Sane primi ordines iidem, qui primi ordinis centuriones. Ita capiendus locus ille Cæsaris in VI. de bell. Gallico, vulgo non

intellectus: 'Labienus, noctu tribunis militum primisque ordinibus convocatis, quid sui consilii sit, proponit.' Solus Græcus interpres sensum assecutus est, qui vertit, ὁ Λαβιηνὸς τούς τε χιλιάρχους καὶ τοὺς πρώτους ταξιάρχους συγκαλέσας. Sic et Quinctilianus declamatione tertia: 'Enimvero auctorem habet: hoc primi ordines jubent:' et Frontinus lib. I. cap. 11. 'Imperavitque tribunis, et primis ordinibus, et centurionibus.' Intelligenda autem in Velleio præpositio *e*. Quod ei familiare esse, antea etiam monuisse me memini. *Vossius*. *Quibus etiam*] Ita Burrerius ex vet. ex. Addenda ergo fuerit præpositio, quam subintelligi hic posse facilius dixeris quam probaveris. Alii, *quin etiam primi ordines*. Lipsius mallet, *qui etiam primi ordinis*. Boeclerus.

Mira pravitate animi] Suetonius Aug. 65. 'ingenium sordidum et ferox' huic tribuit. Dio LV. pag. 652. δουλοπρεπῆ vocat, præcipitisque iræ hominem; ausum etiam, 'novercalem animum' Juliæ, et Augusto 'bonorum paternorum detentionem' exprobrare. Tacitus A. I. 3. 6. 'Rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum' memorat; exiliumque, quo ab Augusto multatus est, Liviæ artibus tribuit. Sed et de exitu ejus, quem Velleius 'dignum furore hominis' vocat, longe aliter judicat Tacitus A. I. 6. 1., &c. Vide locum et 'primum Tiberiani principatus facinus,' velo adulationis hic obductum; revelandum amplius a Dione LVII. p. 692. et Clapmario 5. Arcan. 2. *Idem*.

CAP. 113. *Quatuordecim*] Desiderari vocem censeo, et scribo, XIV. *aliis, et pluribus quam*. Valde enim probabile de equitum etiam numero dixisse. *Lipsius*. *Quatuordecim*] Placuit eruditis Lipsiana conjectura; *aliis* scilicet adjici debere. Idem mox legit, *et pluribus quam d*. Potest tamen usitata lectio ferri. *Boecler*.

Utilia speciosis præferens] Post: 'Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum.' Supra alicubi: 'Necessaria utilibus præferens.' *Acidal*.

Quæ probanda essent] Talis Fabius Maximus, de quo Ennius: 'Unus homo nobis Romanam restituit rem: Non ponebat enim rumores ante salutem.' *Gruterus*. *Quæ probanda essent*] Talis locus mox sequetur cap. 115. Utrumque ob verborum exemplique gravitatem laudavit in hoc argumento Lipsius Polit. v. 16. 2. Cum primis autem eximia Oratio Q. Fabii Maximi ad Æmilium huc pertinet ex Liv. XXII. 39. *Boeclerus*.

Suorum quisque] Ita optime Gruterus aliique jam ediderant. Prorsus temere et inconsiderate fecerunt, qui, pro optima editionis principis lectione, reposuerunt vulgatam, quæ nullius pretii, *et partem digredientium suorum metu universi tentare non possent*: sensus ineptus, alter patet. *Boecler*. *Suorum metu*] Historiæ caussa omnino legendus Dio lib. LVI. quem puto veriora. *Schegkius*.

Siscian] Male in editione Rhenani fuerat *Sistian*. Sane eadem vulgata ac Ms. lectio. Mentio 'Siscia' apud Plinium, Dionem, Zosimum, alios-que. *Vossius*.

CAP. 114. *Nemo, &c. imbecillus fuit*] Ut cetera, quæ præcedenti capite descripta sunt, ex singulari virtute imperatoria originem trahunt, ita non in postremis ponenda est hæc erga imbecillos comitas Ducia, qua sibi et bello militem efficacissime firmare potest. Quod præsertim in bellis difficilibus, aut post adversa, locum habet; sicut apud Tacitum Germanicus, 'ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura, sibi-

que et prælio firmabat.' Ann. I. 71. 8. Vide quæ Lipsius notavit ad Panegyr. Plin. c. 13. Ubi Trajanus 'solatium fessis, ægris opem tulit: neque sua inivit tentoria, nisi commilitonum ante lustrasset, nec requiem corpori, nisi post omnes dedit.' 'Hadrianus' quoque 'ægros milites in hospitiis suis vidit.' Spartian. 10. Alexandri item Severi eximiam curam Lampridius commendat c. 47. 'Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos; et carpentis vexit, et omnibus necessariis adjuvit. Et si forte gravius laborassent, per civitates et agros patribus familias hominibus et sanctioribus matronis eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, sive convaluissent illi seu periissent.' An legimus, *patribus f. honestioribus*. Boecl.

Negotio] Vetus liber, *genitio*. Unde Burrerius legendum putat, *genti*.

Publicata] Omnium usui destinata.

Cujus cum alii, &c.] Hic deesse puto *beneficium*, vel simile quidpiam; nisi placet ut *cuivis* legatur, hoc modo: *lectica ejus publicata cuivis: cum alii, &c.* sed prior lectio magis arridet. *Rhenan. Beneficium*] Τὸ *beneficium* in Ms. non erat, et addidit de suo Rhenanus. Malim ego cum Lipsio *usum* substituere. *Vossius.*

Balinei] Græci βαλανεῖον appellant. Quo sanitatis causa utebantur, ut elicerent per sudores malignos vapores.

Illis] Nimirum domesticis. Acidalius perperam reponere conatur, *ab ultius*. Vossius.

Agnoscat] Vet. lib. *agnoscet*: quod probum puto. *Boecler.*

Cenavit sedens] An ut circa rem militarem videri voluit vir antiquis moribus, similiter hic? prisci enim ad cenam sedebant. Isidorus l. XX. 'Sedes dictæ sunt, quod apud veteres Romanos non erat usus accumbendi, unde et consedere dicebantur. Postea, ut Varro ait de vita pop. Rom., viri discumbere cœperunt, mulieres sedere.' An imitati Heroës, qui sedebant, auctore Athenæo, l. I. Καθέζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὡς φησὶ Διοῦρις. *Schegkius.* De modo accumbendi vide Mercurialem de Gymnast. Ciacconium de Triclinio, et Sallustium nostrum p. 456. et 457.

Rarissima] Vulgo, *amarissima*.

Plurima dissimulantis] Scio qui mavult, *plurima dissimulans, aliqua inhibens*. De quo ego quid sentiam lectori non promo. Judicet quisque ipse secum. *Acidal. Plurima dissimulantis*] Suspecta nonnullis constructio, at mihi oppido elegans; ut resolvatur, *egisse medii personam, pluraque dissimulantis, nonnulla vero punientis*. Gruter.

Sed insequenti] Scribo, Lipsio auctore, *et ins.*

Alterum deditum] In veteri est *captum alterum a se deditum*. Suspicor fuisse, *captum alterum, alterum a se deditum*. Nam Bato sponte venisse ad Tiberium videtur, et se dedidisse. Vide Dionem LV. sub finem. *Lipsius. Alterum deditum*] Legendum *a se deditum*. Quomodo erat in Ms. nisi quod *alterum* non geminaretur. Quod probat Dio l. LV. ubi scribit, Pinnetem, a Batone proditum, in Romanorum manus pervenisse: libro item sequenti narrat, ut Bato sese dediderit. Sanè emendationem hanc, quam Rhenano debere nos profitemur, alii, maligne nomine ejus suppresso, sibi vindicarunt. *Vossius.*

A Cæsaribus M. Lepidus præfectus est] Omnino, *a Cæsaribus*. Sic supra, *Legati quos ad Cæsares mittebat*. Nam et Tiberius jam in hoc nomen venerat, adoptatus ab Augusto et imperii consors. Sed cur Lepidus hic 'nominis' (sive *nomini*) 'ac fortunæ eorum proximus?' Puto, quia a Sulla et Pompeio genus ducebat, qui ipsi quasi Principes in re Romana. Ta-

citus docet Annal. III. de Lepida: ‘Cui super Æmiliorum decus,’ inquit, ‘L. Sulla ac Cn. Pompeius proavi erant, defendente ream Manio Lepido fratre.’ Et vide ne hic sit iste ipse *Manius*, atque ita prænomen in Velleio mutandum. *Lipsius.* *A Cæsaribus M. Lepidus*] In Ms. fuit, *Cæsarem Lepidus præfectus est.* Forte legendum, *Cæsari M. Lepidus præfectus est.* Lipsius emendandum putabat, *Man. Lepidus.* Ut hic idem sit, cujus III. Annal. meminit Tacitus. Quod verum esse non arbitror. Sane ‘Marcum Lepidum’ nominat hunc etiam Dio l. LVI. *Vossius.* *A Cæsaribus M. Lepidus præfectus est*] Ita quidem nonnullis placuit, propter vocem *eorum*, quæ in libris mox sequens ad Cæsares referenda videbatur: sed cum fuerit, *cujus omnibus copiis Cæsarem Lepidus præfectus est*; nihil dubito totum locum ita legendum: *cujus omnibus copiis a Cæsare M. Lepidus præfectus est, vir nominis ac fortunæ suorum proximus:* cum præsertim sequatur *tantorum nominum*, quibus Lepidus ortus est, mentio. *Boeclerus.* *Cæsaribus*] Vulgo, *Cæsarem.* Burrerius *a Cæsare.*

Eorum] Nihil est quo *eorum* referas. Lege itaque *suorum.* Hoc est, Æmiliorum, e qua gente erat Lepidus. Hoc etiam alii monuere. *Vossius.*

CAP. 115. *Velleiano*] Ita potius legerim, quam cum Nicolao Loens. Epiphyllid. VII. 6. *Allifano:* erat in v. ex. *alli fævo.* Boecler.

Honorum] Velim *donorum.* Mox de eodem fratre et se: ‘Quem’ (triumphum) ‘mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros comitari contigit.’ Notus mos triumphorum, in quibus coronæ, torques, faleræ, bello meritis dari solebant. Si tamen *honores* tenes, capere possis Triumphales. *Lipsius.*

Quæ si propriis gessisset auspiciis, &c.] Quanquam exemplar vetus sic habeat, tamen non dubito quin, si recte legas, sic legendum sit; *quasi propriis, &c.* Burrer. *Quæ si propriis gessisset auspiciis, &c.*] Recte, *non propriis auspiciis.* Auspicia enim primitus tamquam imperatori sibi reservabat Augustus. Hinc Suetonius in relatione devictarum Augusto imperante nationum, ait; ‘Domuit partim ductu, partim auspiciis suis.’ Ideoque et triumphus negatus, qui in libera Republ. alienis auspiciis victori decretus, concessa honoris ergo duntaxat ornamenta triumphalia postmodum. Dio libro quinquagesimo quarto: ‘Ob hæc supplicatio Agrippæ nomine fuit, neque tamen is triumphum, etsi decretum sibi, egit: sicut neque initio quidquam de his rebus gestis ad Senatum perscripsit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum posteriores imitati, ne ipsi quidem senatum per litteras de re gesta certiorem fecerant, ut neque triumphum duxerunt: ideoque, ut ego censeo, nulli etiam alii, qui ejus similis esset, triumphus deinde concessus est, sed solis triumphalibus honoribus sunt ornati.’ Primum auctorem hujus moris hic laudat Agrippam, discedente Suetonio cap. 9. qui de Tiberio, ‘Curru,’ ait, ‘ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.’ Insignia fuerant, corona, patera aurea, sella curulis, scipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea, quibus doctissimus et de antiquis literis unice promeritus Onuphrius, adpellationem imperatoris adjicit falso. Refutatur a Tacito l. III. qui Augustum id honoris quibusdam, non omnibus, et Tiberium Blæso postremum contulisse prodit; et a Nostro, infra De Blæso: ‘Qui post paucos annos procos. in Africa ornamenta triumphalia cum’ (vides discernere adpellationem Imper. ab or-

namentis, tamquam augustius quid) ‘ appellatione Imperatoria meruit.’ *Schegkius.*

Donatus] Deest *donatus*, aut simile quid, inter vocem ultimam et penultimam. *Rhenanus.*

Quippe Daorisi] Vulgo, *Quippe Perusia æde siciales Dalmatæ, situ locorum ac montium, &c.* Legendum reor, *quippe perfidia exitiales Dalmatæ.* Idem. *Quippe Daorisi*] Ita emendarunt, cum in Ms. esset, *Perusia æde sitiates Delmatæ.* Ego ob vicinitatem literarum malim, *Pirustæ ac Desitiates.* Movet etiam, quod populos hos situ locorum ac montium pene inexpugnabiles dicat Velleius. Nam Pirustæ siti sunt ad extima Dalmatiæ juxta Scardum montem, qui magna parte eos ambit. Vide Livium lib. XLV. Strabonem l. VII. Ptolemæum, aliosque. Claudius Puteanus conjiciebat, *Breuci et Desitiates.* Quod rejicere non ausim. Nostra tamen conjectura nobis magis placet. *Vossius. Quippe Daorisi*] Puteani conjectura, *Breuci et Desitiates Delmatæ*, non Dionis modo auctoritate suffulta est, sed præsertim ex Sueton. Tib. 9. firmari potest, ubi Tiberius bello Pannonico ‘ Breucos et Dalmatas ’ subegisse dicitur. Facit diligentia Scriptoris et institutum, ut nihil dubitem, inde corrigendum Velleium ; cum præsertim elementorum ductus minime repugnet. *Boecler.*

CAP. 116. *Opera diligenti*] Lips. *diligentiaque.*

Q. Julius Postumus] Vulgo, *Posthumius. Q. Julius Postumus*] Puto illum esse, quem Sejanus post Drusi mortem ad tollendos Germanici liberos delegerat socium. Tacitus Ann. l. IV. *Schegkius. Q. Julius Postumus*] Falso. Nam *C. Vibius Postumus* intelligendus; ut ostensum Pighio in Annalibus Romanis. Erratne igitur Velleius? Neutiquam. Sane ex editione Rhenani, ac Burrerii variis lectionibus, ita hunc locum in Ms. expressum fuisse liquet: *Celebri etiam opera diligenti quibus Jul. Postumus.* Lego igitur, *celebri etiam opera, diligentique, Vibius Postumus.* Quæ quin verissima lectio sit, vix ambigo. Mentio hujus Vibii, præter alios, etiam apud Florum lib. IV. cap. ultimo : ubi perperam viri docti *Tiberium* substituere conantur. *Vossius.*

Nam et Sejanus] Suppositum nomen est, et prima editio refert, *Nam et etiam antiquissimi.* In Sejanum certe hæc non conveniunt, qui equestri loco, provincias aut exercitus non rexit. Tacitus te docebit Annal. l. IV. ubi vita et facta viri. Annue, *Nam et Junius?* Caussa suspicionis ex loco Velleii infra cap. 125. ubi Junium Blæsum ‘ in Illyrico celeberrima militia ’ fuisse ait, ‘ cum imperio in summa pace et quiete continuisse.’ Et interserit, ‘ ut prædiximus.’ Ubi autem de Junio aut Illyrico aliquid prædictum, nisi si hic? Adde, quod in eum convenit Africæ præfectura, cujus hic quoque mentio. Turbat tamen, quod ait eum ‘ defectum materia adipiscendi triumphalia :’ nisi si hoc adstringis ad Germaniam et Illyricum tantum. Nam ex Africa certe ea retulit. *Lips. Nam et Sejanus*] Quid si nomine Junii Blæsi inserto, reponamus, *Nam et Blæsus etiam, vir antiquissimi moris, &c.?* Vossius.

Defectus est] Privatus, orbatus.

Et A. Licinius Nerva Silianus] Ita etiam hujus nomen in argenteo æreoque denario perscriptum invenit Ursinus. Liquet igitur quod ante adoptionem Silius fuerit dictus. Hujus vero filium fuisse arbitror P. Silium Nervam, qui anno U. C. DCCCXVI. consulatum gessit cum C. Julio Attico Vestino. Quod ex Fastis Capitolinis, ac Tacito, liquet. Unde emendandus Phlegon rerum mirabilium CXXXIII. ubi vulgo perscriptum: *ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Ἄλλου Λουκιννίου*

Νερούα Σιλανιανοῦ καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. Legendum autem, *Ἄλλου Λικιννίου Νερούα Σιλιανοῦ, καὶ Γαΐου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. Vossius.*

Ne nihil non optimo civi] Hæc est ipsissima lectio autographi, ut docemur a Burrerio; et, si quid ego sentio, multo melior ea quam substituit Rhenanus, exclusa negativa *non*. Criticorum cohors heic tacet; at ego puto dicere auctorem, fatorum invidia intercidisse Licinio præmia pacis et belli, omnia, omnia. *Gruter.*

Præreptus immature, &c.] Videtur legendum ex antiqua editione, *præferens immatura, et fructu amplissima principis amicitiæ, consummatione evectæ in altissimum, paternumque fastigium imaginis, &c.* Hujus autem Nervæ extat argenteus denarius cum inscriptione, A. LICINIUS NERVA. III. VIR. et æreus item ita inscriptus; A. LICINIUS NERVA. SILIAN. III. VIR. A. A. A. P. F. *Ursin.*

Horum virorum] Vulgo, *quorum. Quorum virorum*] Opinor legendum, *Horum virorum*, cum habeat exemplar vetustum, *Honorum*. Burrer.

Mentione] Acidalius legit *mentioni*.

CAP. 117. *Tantum quod*] *Tantum quod* videtur positum pro *Tantum non*: quod Græci dicunt *μονονουχί*. Nisi *tantum non* Velleius quoque scripsit. *Ursin. Tantum quod*] Ciceroni quoque ipsi familiare. Abundat *quod*, et sermoni in ornatum et vehementiam supervenit. Atque ait Velleius: vix Pannonicum Delmaticumque bellum Cæsar finierat, cum ecce statim e Germania funestum novæ cladis nuntium. Omitte ergo mutare, nec invide Tullianam Velleio elegantiam. *Acidal. Tantum quod*] Nihil hic mutandum est. Glossæ Philoxeni, *Tantum quod, ἀρτίως*. Usus eodem Suetonius aliquoties; imo et Tullius ad Atticum l. XV. epist. 13. *Vossius. Tantum quod*] Nil mutandum. Asseruerunt pridem eam loquendi formulam Viri docti ad Suet. Aug. 68. 'Juliam primum Marcello Octaviæ sororis suæ filio tantum quod pueritiam egresso nuptum dedit.' Neron. 6. 'Natus est XVIII. Kal. Jan. tantum quod exoriente sole.' Cic. XV. ad Attic. ep. 13. 'Hæc cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam.' Ad quem locum non debuit Manutius adducere illud in Verrem: 'Tantum quod hominem non nominat; caussam quidem totam perscribit.' Hic enim aliam significationem atque *σύνταξιν* habent illæ particulæ, ut quivis videt. *Boecler.*

Velut in hoc saltem] Schegkius divinat *salutem*. Nisi mavis *tantummodo*. *Velut in hoc saltem*] Profecto, vel vocabulum *saltem*, vel proximum *tantummodo*, procreatum est in cubilibus librariorum. *Gruter.*

Ne occupato duce, &c.] Mutilum est. Videtur fuisse, *ne occupato duce sæviret. Sed causea et persona moram exigit.* Lipsius. *Ne occupato duce, &c.*] Mancum et mutilum locum inter omnes constat. *Ducem* tamen, non *duce*, agnoscit editio princeps. Sensum Velleii hujusmodi fuisse arbitror: *ne occupato duce in debellandis Pannoniis, victores Germani iis se conjungerent. Sed causa, et persona, moram exigit.* Lipsius aliter locum hunc supplebat: nos Suetonium secuti sumus; cujus hæc verba in Tiberio: 'Sub id fere tempus Quinctilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset.' *Vossius. Ne occupato duce, &c.*] Hoc loco primum animadvertit Gruterus, *saltem tantummodo* superflue dici, alterumque irrepsisse præter Auctoris mentem: deinde, lacunam alii aliter explent; Lipsius ita: *ne occupato duce sæviret. Sed causea et persona moram exigit.* Non firmaverim ita scripsisse Velleium (nam quis ipsa verba reponat?) sed ita sensisse

nullus dubito. Scilicet id voluit dicere: In tanta calamitate illud tamen pro beneficio fortunæ agnoscendum, quod hæc clades non acciderit occupato districtoque alibi duce Tiberio: futurum enim fuisse ut hostis uteretur victoria armaque latius proferret, nisi statim obviam itum foret. Operæ pretium autem esse, ut et Vari ingenium, mores, consilia, et clades ipsa, summatim quidem, sed tamen cum quadam mora, in hoc transcursu, memorentur. *Boecler.*

Et causa] Petrus Delbenius legendum putat, *sed caussa personæ moram exigit.* Ait enim, indulsisse in hoc fortunam Romanis, quod hoc bellum non accidit occupato duce, sc. Cæsare, quem proxime dixit imposuisse ultimam manum Dalmatico bello. Deinde, quia de Varo mentionem fecerat, ait, caussam personæ moram exigere, ideoque digreditur in Vari moribus describendis more suo. *Manut. Et causa*] Ablativo casu. Sic distinxi, suasu manuscripti codicis, aut editionis Rhenani: non quod satisfaciat, sed ut exoriatur sententia tolerabilis; ut velit auctor, bene cecidisse, quod non fuerit Tiberius occupatus tunc temporis alio aliquo bello, cum Varus periret cum suis: quo vacare statim posset et ultioni et decoro populi Romani; quæ persequitur capite 120. *Gruter.*

Varus Quinctilius] Illud notare lubet, quantus error commissus sit in præficiendo Germaniæ tali viro, qui nec virtute militari bellicosæ genti metuendus, et superbia, crudelitate, avaritia, libertati hominum generosorum intolerandus esset. Crebra et singularis ea magnorum imperiorum infelicitas est, quod in administrationem locorum gentiumque cordatiorum obrepunt Lollii et Vari, quorum vecordia rebellioni et rebus novis caussam præbet. Quam requirenti alicui vere responderi posset, quod Bato ille bis Tiberio respondit apud Dionem LV. et LVI. Ὑμεῖς τοίνυν αἴτιοι ἐστέ· ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας, οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμψετε: *Vos Romani caussam rebellandi eo præbuistis, quod ad custodiendos greges vestros non canes, non pastores, sed lupos mittitis.* Boecler.

Ut corpore et animo] Burrerius legit *et corpore et animo*: vel, *ut corpore, ita animo immobilior.* Acidal. *Ut corpore et animo*] Potest aliquis sensus existere ex his verbis; sed mihi suspectus est locus, nec satisfacit emendatio aliorum, *et corpore et animo:* vel, *ut corpore, ita animo.* Boecler.

Pro tribunali] Duas istas voces conjungendas existimat Lipsius, ut fuerit *pro tribunali ord.*

CAP. 118. *At illi, &c. in summa feritate versutissimi*] Ceterum cladem Varianam ejusque caussas nemo accuratius descripsit Velleio ac Dione lib. LVI. Adde Flor. IV. 12. 3. et seq. Tac. A. I. 61. et de morib. Germ. XXXVII. 7. in magnificentissimo illo Germaniæ virtutis elogio. Strabo VII. non longe a principio. Sueton. Aug. 23. Cluver. Germ. antiq. III. 19. ubi præsertim de loco cladis multa. *Boeclerus.*

Vix credebat] Facito, *credat.* Lips.

Natumque mendacio genus] Hoc quidem aperte falsum est: sed intolerantes sævitiæ ac tyrannidis, amantesque libertatis fuisse adversum prædones gentium, id longe est verissimum. *Boeclerus.*

Provocantes] Vulgo, *procaces.*

Injuria] Lipsius, *injuriis.*

Mitesceret] Scriptum exemplar, *mutesceret.* Burrer.

Ut se prætorem urbanum, &c.] Florus lib. IV. c. ultimo: 'Ausus ille agere conventum, et in castris se direxerat, quasi violentiam Barbarorum, et lictoris virgis, et præconis voce, posset inhibere.' Ita ex omnibus Mss. et principe editione legendum. Sensus est, ita direxisse Varum actiones suas, quasi callidissimi hostes jure possent mulceri. Perperam hactenus

omnes eruditi e conjectura edidere *jus dicebat*, pro *se direxerat*. Vossius.

Ultra barbarum] Lipsius præposita vocula legit *et ultra barb.*

Arminius] Verum Germaniæ decus, Tacitus Annal. lib. II. ' Arminius abscedentibus Romanis, et pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesve, sed florentissimum imperium lacessierit: prœliis ambiguus, bello non victus; septem et triginta annos vitæ' (ergo patravit hoc anno ætatis vigesimo sexto) ' duodecim potentiæ explevit: caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haut perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.' *Scheglcius. Arminius*] Refert *Herman* Germanorum.

Sigimeri] Videtur hoc nomen deduci a *sige* sive *sege*, quod veteribus Germanis victoriam denotat, et *mer*, quod equum significat; unde et equam *een merry* adhuc appellamus. A priore voce *sege* et *sige* multa nomina Germanica originem accepere. Ita Segebertus, Segefridus, Segemundus, Segericus, Segestes, Sigovesus inde appellantur. A *mer*, sive *mar*, Marcomerus, Maroboduus, Mareschallus, id est, præfectus Equitum, Virdomarus. Occurrit quoque *Marach* vocabulum pro equo in legibus Alemannorum tit. 70. et 71. *Thysius.*

Et jam civitatis] Scribe cum Lipsio, *etiam civ.*

Neminem celerius opprimi] Eximia super hoc argumento loca, atque cum grandibus exemplis conjuncta notavit Lipsius Polit. v. 16. 23. et seqq. ubi etiam hæc Nostri Auctoris sententia. *Boeclerus.*

Segesten] Segestes, ut ante memoravimus, a *sege*, sive victoria nomen accepit.

Sed prævalebant jam fata] Negat editio vetus. Hæc germana illa est: *indicatur: postulabat etiam fata.* An tale aliquid fuit? *indicatur, qui eiiciri postulabat etiam.* Nam apud Tacitum Segestes ipse ita narrat: ' Dilatus segnitia ducis, ut me et Arminium et conscios vinciret flagitavi.' An potius sic? *judicatur. Obstabant sed jam fata.* Nam hæc talia sæpe per p litteram scribebant aut sculpebant (lapides docent) Opstare, Opsides, Opsitæ: atque hinc librarii error. *Lips.* *Sed prævalebant jam fata*] Legebatur: *postulabat etiam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstruxerat.* Unde legerim, *prævalebat, sed jam fatum consiliis, omnemque animi ejus aciem præstruxerat.* Quanquam illo positu particula *sed*, etiam a Lipsio ita collocata in emend. hujus loci, non satis placet. *Boecler.*

Præstinxerant] Sic recte hoc scribitur, a præstinguo. Et male idem verbi alii aliter legunt Plauti milite: ' Oculorum præstinguat aciem in acie hostibus.' Adeoque Ciceronis Philipp. 12. ' Præstinxerat aciem animi D. Bruti salus.' Sed hujus quidem plurimis locis idem error: etiam Ausonii aliquantis, in cujus de nobilibus Urbibus primo carmine exploratissimum est mihi aliter scribi non debere, quam: ' Fuit hæc, subit ista: novisque Excellens meritis veterem præstinguit honorem.' Et quoque Paulini longa illa epist. ad Auson. innumerisque omnium ferme scriptorum locis; quæ cuivis ubivis de sententiæ ratione corrigere facillimum. *Acidal.* *Præstinxerant*] Dubito tamen, an non *præstruxerant*, quod idem est ac *obstruxerant*, scriptum fuerit Velleio. Quomodo Julius Celsus: ' Perituris oculos obstruit fortuna.' Sic legendum, non *oculis.* Sane vix est, ut aliter existimem. *Vossius.*

Qui fortunam] In autographo pro

est, erat *Deus*. Rectissime. Pro *qui* tamen reponendum *cui*. Non enim assentio Ursino Lipsioque, qui vocem eam inducendam censebant. *Vossius*.

Mutaturus est] Non debuit omitti *Deus;* quæ vox in Msc. pro *est* comparebat. Sed et verbum substantivum rescribendum videtur. Optimo enim sensu legeris: *ut plerumque, qui fortunam mutaturus est Deus, consilia corrumpat*. Boecler.

Consilia corrumpat] Supra quoque in eam sententiam eleganter, iisdem ferme verbis, sed brevius: 'Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.' *Acidal.*

Negat itaque se credere] Alias sic legendum videtur: *Negat itaque se credere* (ut subaudiatur *fortunæ*) *spemque in se benevolentia et merito æstimare profitetur*. Vel sic: *spemque se benevolentia ex merito æstimare profitetur*. Burrerius.

Spemque in se, &c.] Forte sic legendum, *spemque de*] *Germanorum in se benevolentia*. Rhenan.

CAP. 119. *Post Crassi*] Exemplar vetustum aperte habet *Cassi*. Burrer.

Nunc summa deflenda est] De clade a. d. 4. Non. Quinctileis vide Sueton. Tacit. I. et II. Germaniæ, Dionem, Strabonem lib. VII. Florum lib. IV. Oros. lib. VI. Est et eximius locus apud Senecam Epist. 46. 'Variana clades quam multos splendidissime natos, Senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit! alium ex iis pastorem, alium capis, alium casæ custodem fecit.' Scio hic libros omneis (excipio editionem nondum visam mihi) vulgatos vulgare *Mariana clade*. Verum nostram scripturam prodit manuscriptus codex, qui publice in Bibliotheca Bibraci, oppidi Imperialis liberi adservatur; cujus copiam mihi jam nuper fecit lectissimus et has litteras doctus juvenis, Matthæus Klock Bibracanus. *Schegk.*

[Non opus est cum Acidalio emendare, *dicenda est*. Narrando enim cladem simul deflet.] *Nunc summa deflenda est*] Sunt qui se doceri velint, quid heic faciat *deflendi* verbum. Interim tamen, substituunt alias voces, minus aptas: namque auctor idem fere vult quod supra capite 67. 'Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit: adeo nemo exprimere verbis potest.' Et vero nonne diu diuque hanc cladem deflevit Augustus? de quo refert Suetonius cap. 23. 'Adeo namque consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, redde legiones: diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.' *Gruter.*

Cum ne pugnandi quidem egregie] Ex Burrerii v. Lect. constat, ita fuisse in exemplari: *cum ne pugnandi quidem egrediem aut occasionis in quantum voluerant data esset immunis*. Unde Vossius ita emendat: *cum ne pugnandi quidem egrediendive, occasio iis data esset immunis*. Non displicet: sed quod cum Grutero delet illa, *in quantum voluerant*, non approbaverim. Neque enim statim licet recidere, quæ sententiæ nostræ obstare videntur, et scripsisse ita Velleium, ex eo maxime fit verisimile quod mox sequitur: 'Castigatos esse quosdam gravi pœna, quia Romanis et armis et animis usi fuissent.' Q. d. voluisse quidem Romanos milites suam necessitudinem fortiter ferre, acriterque pugnando dare operam ne ignavi aut penitus inulti perirent: sed coërcitam esse generosam voluntatem segnitie et imperio ducis, &c. *Boecler.*

Occasio] Vulgo, *occasionis: Occasionis*] Deest hic vel *potestas*, vel simile, ante *immunis*. Rhenan.

Miseris] Vulgo, sine senan, *inimunis*, pro quo Burrerius, ex vestigiis veteris libri, *inimicis* legendum censet.

Quia Romanis] Suspicor legendum, *qui a Romanis et armis et animis visi fuissent*: ut hic verbum aliquod deesse videatur. *Burrer.*

Quem ita semper] Quid ais, Vellei? Longe aliter Tacitus aliique de Germanis loquuntur. *Boecler.*

Quippe paterni] De patre Sex. Quinctilii habes supra in bello Philippensi lib. II. 71. 'Varus Quinctilius cum se insignibus honorum velavisset, liberti manu interfectus est.' De avo, non tam obvium. Reperio tamen apud Cæsarem I. Civil. 'Sex. Quinctilium Varum Quæstorem L. Domitii' fuisse Corfinii; ut probabile sit eum sic periisse in Pharsalia, aut in Africa. *Lipsius.*

L. Eggius] Alii, *Egilius.* Ego *Eggius* retineo, quod hanc familiam ex inscriptione antiqui lapidis notam habeam. Cujus exemplum sequitur. 'In Opido D. Germani, ad Cathedralem Ecclesiam.'

HERCULI
SANCTO. SACR
D. POMPONIUS. NOR
TUS. VOTUM. SOL
AMICOS. ACC. BENE
. . . . . .
M. EGGIO. MARULLO. ET
L. D. D. D. K. IUL.

Manut. *L. Eggius*] Sic editio primigenia. Maluerunt alii *Egilius.* Atqui Eggia gens satis nota ex inscriptionibus antiquis; ut monuit quoque Aldus. Ac idem nomen etiam occurrit in notis Senecæ, et Tyronis; nisi quod ibi *Egius*, pro *Eggius*, legatur. *Voss.*

Supplicio quam prælio] De Catilina supra: 'Spiritum quem supplicio debuit, prælio reddidit.' *Acidal.*

Vala Numonius] Cum in manuscripto Velleii codice scriptum fuisset, *Valnumonius*, ex eo alii fecerunt *Valumnius*; alii, quod ea familia non reperiretur inter Romanas, emendarunt *Volumnius.* Sed utrunque mendosum est: scribendumque *Vala Numonius*, cognomine *Vala*, posito ante nomen *Numonius.* Nam sæpe solet Velleius cognomina præponere nominibus, ut cum dicit, 'Mancinus Hostilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius,' et cetera id genus. Hujus autem Valæ extat denarius argenteus cum inscriptione C. NUMONIUS. VAALA. De quo cognomine abunde scripsimus in libro de familiis Romanis. Putamus autem eum esse, ad quem Horatius scripsit epistolam 15. lib. I. cujus initium est: 'Quæ sit hiems Veliæ, quod cælum, Vala, Salerni.' Nam in libris manuscriptis, qui sunt apud me, epistola inscribitur, AD NUMONIUM VALAM. Denarium vero, cujus supra meminimus, Trajanus Imp. ut multos alios restituit, ut apparet ex titulo qui ei adjectus est: IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. nam reliqua, quæ signata in eo sunt, repræsentant ea plane, quæ ab ipso Numonio, vel ab aliquo ejus familiæ, in antiquiore denario cusa sunt. *Ursinus.*

At Volumnius] Burrerianum hoc commentum est. Rhenanus ex Ms. edidit *Valnumonius.* Unde Ursinus legendum putabat, *Vala Numonius.* Addit, se hunc eundem putare, ad quem hodieque Horatii epistola extat lib. I. ep. 15. quam in Mss. scribi testatur, *Ad C. Numonium Valam.* Ubi dubito tamen, an non potius, *Ad Cn. Umonium Valam*, et in Velleio, *Vala Umonius*, sit rescribendum. Nam Hubertus Golzius (ut ad prædictam Horatii epistolam monet Cruquius) ex numismate Lauredani expressit: CN. VMONIVS VAALA. Etenim punctum minutissimum inter CN. et VMONIVS esse dixit, quod ab aliis minus foret animadversum. *Vossius.*

Petere ingressus est] Suspicabar aliquando, illud *petere* mutandum in *temere.* Sed cum auctores ceteri sileant istud factum, malo et ego tacere, quam prodere inscitiam meam. *Gruter.*

Tamen] Vulgo, sed male, *tandem.*

CAP. 120. *Cimbricam*] Cimbri et

Teutones, cum insignem Romanis calamitatem inflixissent, postea a Mario domiti sunt.

Ultro] Illud *ultro* ex Freinshemiana emendatione, cum legeretur *ultra*, præplacuit. *Boesler*. *Ultro*] Assentio eruditissimo Jo. Freinshemio, qui ad Florum *ultro* hic legendum censet. *Vossius*.

Arminio territo] In vet. *Arma interfecti quem*. Stabilis manet nostra olim emendatio: *Arma infert, quæ arcuisse*. Rhenum, inquit, transgreditur, et ultro petit in suis sedibus Arminium, quem arcuisse a nostris abunde satis habebat Augustus et cives. *Lipsius*. *Arminio territo*] Ego minori mutatione, et, nisi animi fallar, verius conjeci: *Arma infert hosti, quem arcuisse, &c.* Imo vix dubito, quin hæc germana auctoris nostri sit lectio. Simile autem mendum irrepsit apud Papinium Statium lib. I. Thebaid. 'Tecto cœlum prohibere quis iste Arguit?' Nihil enim certius, quam rescribi debere, *Arcuit*. Vossius.

Voluerit] Imo, *valuerit*: id est, quantum in ipso fuit, opibus scilicet, pecuniaque quam repperit in se translata. *Lipsius*. *Voluerit*] Viris doctrinæ eminentissimæ suspectum heic *voluerit*, et mutatum eunt in *valuerit*. Verum sic supra locutum, modo posui: et mirum est, nisi et hoc loco triga illa verborum adscititia. *Gruterus*.

Præfecti castrorum] [Vide supra p. 457.] Cuique autem legioni suus castrorum præfectus fuit, si tamen tenderet seorsum. Colligo ex Tacito lib. XIV. 'Pœnius Posthumus, Præfectus castrorum secundæ legionis;' et hic Velleio nostro. Supra Tribunos militum collocare eos visus Tacit. Histor. secundo in pompa Vitelliana. 'Ante aquilam Præfecti castrorum, Tribunique, et primi Centurionum candida veste.' Vir egregius, cujus memoriam, amo, colo, in Semestribus suis censuit hunc eundem esse cum Prætorii Præfecto: et Vespasiani avum etiam auget hac dignitate, quoniam Suetonius scripserit: 'Polla patrem habuit Vespasium Pollionem ter Tribunum militum, Præfectumque castrorum.' Abi, vir maxime, lucrifac, reliquæ virtutis tuæ caussa, censoriam hanc notam. *Lipsius*. *Præfecti castrorum*] De officio præfecti castrorum, nihil habeo, quod addam ad ea, quæ in Discursibus ad Tacitum notavit Lipsius. Imo unum etiam demi velim. Hoc est, quod pro *destinatio* apud Vegetium lib. II. 10. reponat *designatio*. Verba Vegetii hæc sunt: 'Ad quem castrorum positio, valli, et fossæ destinatio pertinebat.' Nec magis audio Stewechium, ex Ms. reponentem, *æstimatio*. Sane destinare, idem quod designare. Sic Livius lib. XXVIII. 'Non solum capita hostium vulnerabant; sed quem locum ibi destinassent.' Quod, ut video, jam monere prævertit eruditissimus Gronovius in Observationibus suis. *Vossius*.

Alisone] Forte, quod Ptolomæo Ἄλεσον. Rhenano hodiernum *Alzheim*, prope Vangiones. In eo lapsus, quod ejusdem Tacitum meminisse putavit; nam clarum ex Dionis lib. LIV. non locum, sed fluvium hoc nomine Tacitum insinuare. *Schegkius*.

Usi] Ex vet. habet *viti*. Mihi, quantum ex literis conjicio, *adjuti* legendum videtur. *Burrer*.

Profluvio] *Influvio*. Sic omnino legitur in exemplari chirographo, unde dimanarunt omnia exemplaria: nec video cur ferri non debeat. Quod hodie habemus, *profluvio*, natum est apud correctores. *Gruterus*. *Profluvio*] Ita emendarunt, licet Ms. repugnante, in quo fuerat *influvio*. Ego puto, præpositionem simplicis significationem servare potius, quam immutare: ut in 'inconcupiscere,' 'incommodare' apud Appuleium; 'inservire,' 'infringere,' et aliis hujusmodi apud alios. Eadem ratione *influvio*

interpretandum videtur apud Cœlium Aurelium, Sorani interpretem, lib. II. 27. ' ea, quæ influxione sui, quam Græci aporrhœam vocant, spirationem facilem ægrotantibus facere valent.' Non enim puto audiendos, qui *effluxione* reponunt. *Influxus* igitur Velleio, et *influxio* Aureliano, est fluor corporis, sive ἀπόῤῥοια. Emendentur obiter hac occasione Glossæ Cyrilli, ubi perperam legitur: Ἀπόῤῥοια, *defluxio, affluentia*. Lege, *effluentia*. Vossius.

CAP. 121. *Viennensium*] Vienna, Ptolemæo, Tacito, et Cæsari VI. Belli Gallici, Allobrogum urbs ad Rhodanum, sub Medulis. Colonia est in antiqua inscriptione, Lugduni. *Vienne* Joanni Poldo. Senatoriam aliquando appellatam, scribit Paradinus. Senatoriam nominat Massonus. *Biennus*, Βίεννος, Stephano dicitur. Ad decimum sextum lapidem a Lugduno abesse, testis est Seneca, in Ludo mortis Claudii Imp. *Ortel.* Vide Golnitz. in Itinerario Gallico.

Coërcitione magis] Prudenter: nam id exigebat ratio temporis: quod cum tot pericula minaretur ac objiceret undique, non debuit severitate apud subjectos augeri odium præsentis status. *Boeclerus.*

Quam erat ipsi] Ineptum loquendi genus, nec ullo confirmatum exemplo; *Æquum ei jus, quam erat ipsi.* Hæc me ratio adducit, ut glossema fuisse putem. Non enim necesse est hoc addere cum satis aperta sententia sit: nam ad *æquum ei jus*, subauditur, *cum Patre:* quod ideo non addidit Velleius, quia dixerat jam, *postulante patre.* Manutius. *Quam erat ipsi*] Miror plerosque Animadversionum et Notarum scriptores hunc locum plane præteriisse. Expressimus autem Rhenani et Gruteri editionem. Nam Burerius parum hic ad rem. Interim videtur ὅπουλόν τι subesse. Certe illa verba, *quam erat ipsi*, non cohærere satis apte, vidit et deleta cupiit Aldus; cujus conjecturam non possum non probare. *Boecler. Quam erat ipsi*] Non hæc a glossatoris manu imperita, si verba, *postulante patre ejus*, cum Beato inclusseris parenthesi, imo tum necessaria. *Schegk.*

Ex Pannoniis Delmaticque] Vide Sigon. Comment. in fast. et triumph. R. Sueton. Tib. 17. *Boecler.*

Non occisos fama narravit] Editio primogenia negativam habet intersertam, *non occisos:* et id res est: rarum enim ut non etiam occiderentur duces exercituum hostilium post triumphum. Cicero v. in Verrem: 'At enim qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces servant, ut his per triumphum ductis, pulcerrimum spectaculum fructumque victoriæ populus Rom. percipere possit; tamen cum de foro in Capitolium currus flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent; idemque dies et victoribus imperii, et victis vitæ finem facit.' *Gruterus. Occisos fama narravit*] Vetus codex, *non occisos.* Quod retinebat Gruterus; quia rarum fuerit hostium duces, post triumphum non occidi. Quod quid ad rem faciat, nescio. Quippe verba sequentia, 'sed vinctos triumphus ostendit,' clare ostendunt Velleium de fama ante triumphum loqui. Semper autem hostium duces ad triumphum reservabantur. Itaque non video, quomodo τὸ *non* retineri possit. *Vossius. Non occisos fama narravit*] Nescio quid sibi velint, qui negantem particulam, auctoritate vet. exempl. fultam, emovere cupiunt. Sensus est, Eminentissimos hostium duces non fama tantum, occisos alibi, populo Romano narravit, sed præsenti spectaculo in vinculis et triumpho ductos fortuna ostendit. Scilicet major erat felicitas et solidius gaudium, coram intueri vinctos clarissimos duces in triumpho: quam si auditione tantum accepissent vinctos occisosque. Τὸ *non* συγκριτικῶς

accipiendum est: ut τὸ *sed*, quod majus est, inferat. *Boecler.*

Sed vinctos] Emendat Acidalius, *sed vivos vinctos.*

Mihi] Ita emendat Burrerius; vulgo, *militi.*

CAP. 122. *Ex rege ei præposito*] Recte: loquitur enim de Tigrane. *Rhenan.* *Ex rege ei præposito*] In Ms. erat, *et ex rege præpositi.* Fuit olim, *et ex rege præposito.* Vossius. *Ex rege ei præposito*] Supra c. 94. Pronomen *ei* uberat in ex. vet. *Boecler.*

Insigne regium] Intelligo, *Tigrani*, (supra docui) regium insigne, hoc est, diadema impositum, quod reapse fascia tenuis circumdans caput. Valerius lib. VI. 2. 'Cui candida fascia crus alligatum (vet. *colligatum*) habenti, Favonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema.' Hinc Suetonius cap. 79. Julii Cæsaris 'statuæ coronam lauream candida fascia præligatam,' suspicionem propterea adfectati regii nominis imposuisse quendam narrat. Ad ingenium hinc verum capies Lampridii hunc Diadumeno locum: 'Solent pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, et advocatis credulis vendunt; siquidem causidici hoc juvari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, et ita forte, ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nervi sagittarii.' An vero et Reginæ diadema? non temere pronunciaverim. Saltem etenim eximium imperantis. Aperte colligas e Trebellio Pollione, 'Zenobia: Quæ se,' inquit, 'de Cleopatrarum Ptolomæorumque gente jactaret, post Odenatum maritum imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis adornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani et Timolai diutius, quam fœmineus sexus patiebatur, imperavit.' *Schegk.* *Insigne regium*] Per causam *diadematis*, quærit heic Schegkius, an diadema fuerit etiam reginarum: et definire videtur, fuisse saltem insigne imperantis, persuadente ei loco Trebellii, ubi est, 'Zenobiam accepisse diadema, sed nomine filiorum Herenniani et Timolai.' Non insulto juvenis manibus: sed, bone Deus, quam multorum non meminit, qui tale quid pronunciat? Reginis quibuslibet suum etiam statim datum diadema evincit firmiter innumerabilis scriptorum cohors; quos omnes, si vel nudo laudarem nomine totas occuparent paginas. Non possum tamen, quin fidei meæ caussa citem aliquos memoriæ commendatos. Et vero occurrit primum liber Esteræ cap. 1. versu 17. ibi enim rex Persiæ simulatque Judæam hanc in locum justæ uxoris accipit, impertit item diadema: tanquam scilicet honos talis minime communicaretur concubinis; quod diserte testatur Athenæus lib. XIII. Deipnosopb., ubi refert Demetrium aliquot habuisse mulieres fortunarum suarum omnium compotes, excepto diademate; firmatque Plutarchus in Lucullo, ubi Monima Mithridatis, cum eam rex tentaret, καὶ μυριοὺς πεντακισχιλίους χρύσους προσπέμψαντος, ἀντέσχε, μέχρις οὗ γάμων ἐγένοντο συνθῆκαι, καὶ διάδημα πέμψας αὐτῇ, βασίλισσαν ἀνηγόρευσεν. Sic rex Ægypti Ptolomæus, ad concionem vocato exercitu, capiti sororis Arsinoës diadema imponit, reginamque eam appellat, inquit Trogi abbreviator lib. XXIV. cap. 3. Nec alia de caussa apud Zonaram, lib. III. Annalium, Eudociam Leonis Philosophi filiam Pulcheria despondet Theodosio; καὶ διαδήματι ταινιοῖ, καὶ αὐγούστην καλεῖ. Sed et diadematis muliebris meminit Papinius lib. X. Thebaidos, Apuleius l. X. Metamorphoseos, Capella lib. II. Philologiæ; ut omittam id plus semel tribuere eidem sexui D. Chrysostomum Homiliis in Evangelium Evangelistæ Matthæi. Occurrit quoque plus semel in fragmentis Suidæ, in aliis, quos hoc ictu temporis frustra requiram; et ut sese sistant memoriæ

meæ, cui id fuerit bono? *Gruter.*

Cap. 123. *Venitur ad tempus*] Quæ in hoc capite de itinere Tiberii et colloquio cum Augusto, ipsiusque Augusti morte habentur, amplius vide apud Dion. LVI. Suet. Aug. 98. et Tib. 21. Tac. A. 1. 5. Suetonius addit, revocatum Tiberium secreti sermonis caussa cum Augusto fuisse per totum diem: haud dubie ea revelabat successori, quæ prius non nisi periculose revelari poterant. Omnino enim in magnis imperiis ita comparatum est, ut multa solius Principis cognitioni reservanda sint, quæ cum pluribus communicata vim suam amittunt: atque hæc talia successorem certum non prorsus quidem celare, sed nec citius quam tuto fieri potest, id est, instante fatali hora, aperire quidquam decuerit. *Boeclerus.*

Firmanda] Videtur mihi legi debere, *ad firmanda pace, quæ bello subegerat*; tametsi exemplar vetus habeat *formanda*. Burrerius. *Firmanda*] Hic item quod ad oram est, *formanda*, potius altero, quod in textu. Formare enim est, quod alibi sæpe dicit, ordinare. Et missus Tiberius, ut quæ bello subacta, pace ordinaret, constitueret. *Acidalius.* [Utrumque tamen tolerari potest.] *Firmanda*] Placet aliis *formanda*: sed perperam: *firmare* heic verbum maxime proprium, facilius enim multo esse provinciam facere quam retinere, hoc est firmare, ostendimus ad illa Cornelii lib. XII. Annal. cap. 32. 'Ortæ apud Brigantes discordiæ retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis.' *Gruter.*

Athletarum] Inter Athletas erant luctatores, cursores, pugiles, item disco et saltu certantes. Vide Mercurialem de Arte Gymnastica.

Beneventi] Beneventum, quod olim Maleventum, inquit Plinius. Βενεβέντος, et Οὐενέβεντος, Ptolemæo. Beneventus, et Maloentos, Βενεβεντὸς καὶ Μαλοεντὸς, Stephano. Colonia est, in antiquo lapide. Pelignorum, in Samnitibus opidum, quod Leander Beneventi appellat. Concordia Colonia cognominatur apud Frontinum. Olim Argyrippa dictum, scribunt Suidas et Cedrenus: non sine errore ut puto. *Ortelius.*

Nolam petiit, &c.] Nola, Picentinorum urbs, in Italia, Ptolemæo, Diodoro, Straboni. In Samnio posuit Epitoma Livii LXXXIX. Amicam Romæ dicit D. Paullinus in S. Felicis Natali. Colonia Augusta est apud Frontinum. Nomen retinet. *Idem. Nolam petiit*] Constantem veterum opinionem esse, quod Augustus Nolæ denatus fuerit, in Fastis ait Sigonius. Sed fallitur. Nam Atellæ in Campania mortuum esse asserunt Eutropius et Eusebius. Itaque perperam etiam Glareanus in Eutropio reponere tentabat *Nolæ*. Vossius.

Revocavit filium] Vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis matris literis accitur, neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia, lætique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulit. Tacitus.

Ad patrem patriæ] Acidalius vocem *Patriæ* irrepsisse existimat. Alias nomen ipsum PATRIS PATRIÆ Augusto senatus consensu per Valerium Messalam delatum satis notum est. Sueton. Aug. 58. Estque hæc cumprimis magnifica, et si Themistium sequimur, divina in imperante patris appellatio: θεία δὲ μόνη ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία. *Boecler.*

Pompeio Apuleioque Cos.] Pro *Cos.* scribatur *Coss.* duplici *ss* nam sic solet scribi Consules; Consul vero *s* unico. In codice vetusto scriptum est *Cos.* potest autem scribi *s* accurato vel erecto utcunque libebit.

Nec me fugit, quomodo in veterum codicibus plerisque scribatur, in quibus Consul, sic, *Cos.* Consules vero sic *Cons.* scriptum invenio. *Burrer.*

Animam cælestem cœlo reddidit] Non sine suspicione veneni a Livia dati. Dio l. LV. Sueton. cap. 98. Tacit. Annal. I. Eutropius Atellæ oppido Campaniæ obiisse tradit. *Scheffius.* *Animam cælestem cœlo reddidit*] Livia Numerio cuidam Attico, senatori et prætorio, decies sestertium dono dedit, quod juraverat, vidisse se Augustum in cœlum adscendentem, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidisse perhibetur. Dio Cassius.

CAP. 124. *Cujus orbis ruinam*] Mihi videtur legendum, *urbis:* item *eam ne commotam sensimus.* Burrer. *Cujus orbis ruinam*] Hæc est scriptura membranarum; ad quam tuendam opportune Gruterus adfert Ciceronis illud ex lib. II. ad Attic. epist. 21. 'Equidem sperabam sic orbem reip. esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus.' *Boecler.*

Pæne diutius recusare principatum] Ecce, quam speciose Accismum Tiberii velat Noster: sed revelabit Tacit. Ann. I. 11. et 12. Sueton. Tib. 24. et 25. Dio LVII. Hist. misc. VII. 22. pr. Clapmar. II. Arcan. 16. *Idem.*

Divinis honoribus] Hinc de Flaminibus et sacerdotibus Augusti plena omnia monumenta. Nec viri solum ad sacerdotium adscripti magni hujus divi, sed, quod rideamus, fœminæ. Marmor: P. POSTVMIAE. P. F. PAVLLAE. SACERD. D. IVLII. AVGVST. Exemplum hujus rei a Livia, quæ, miro exemplo, sacerdos sui viri: et quidem ex decreto Senatus. Et Ovidius de Ponto IV. 'Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos, Numina jam facto non leviora Deo.' *Lips.* *Divinis honoribus*] Augusto etiam viventi aræ, ludi quinquennales constituti. Unde Virgilius Ecloga I. 'O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit, Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.' Atque iterum eadem Ecloga, 'Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis Bissenos cui nostra dies altaria fumant.'

Ordinatio comitiorum] Inter eminentissima summi imperii jura, est jus Comitiorum et creatio magistratuum. Itaque Mæcenas, Consiliator vere Regius, apud Dionem LII. Augustum monet, ut ex ratione status Monarchici ad se trahat tantam potestatem. Intellexit facile vim ejus consilii Augustus: sed exemplum moderandi Julius jam dederat; quod secutus, partitus est cum populo comitia, sive verius videri voluit partitus, exceptis consulum creatione, quam sibi senatuique reservavit in solidum. Nunc ergo Tiberius, sive consilio Augusti instigatus, sive quod sponte, sicut satis mox patuit, vim principatus omnibus modis intendere destinaverat, totum jus comitiorum populo ademtum sibi vindicavit, nisi quod simulacri caussa cum senatu communicatum voluit. Vide omnino Tacitum Ann. I. 15. et Lipsianum in Tacit. commentarium. Clapmar. item lib. VI. Arcan. 7. *Boecler.*

Candidatis Cæsaris] In duplici discrimine candidati Cæsaris. Alii, candidati magistratuum, quos princeps populo commendabat; Sueton. Aug. 'Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, precesbatque more sollemni.' Et de his Noster hic. Alii, candidati Quæstores, qui libris principalibus vacabant, et quas voces regiæ linguæ Cassiodorus vocat. Dicti et Quæstores principis, sive Cæsaris. Tacitus, 'Oratio ejus per quæstorem ejus audita est.' Sueton. Neron. c. 15. Tito VI. cap. 6. Ideo, opinor, sic nominati, quod ad exemplum ve-

terum quæstorum, quibus actorum publicorum et Senatusconsultorum cura commissa, creati. Dignitatem sive munus vir doctus facit perpetuum, non ego. Lampridius in Alexandr. 'Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturas præturam acciperent, et inde provincias regerent.' Statuit hoc, motus l. unica, D. de offic. Quæstor. ubi Ulpianus, 'Sane non omnes quæstores provincias sortiri, verum exceptos fuisse candidatos principis,' non dubitat scribere: at Ulpianus Alexandri ævo. Ad hunc ictum elidendum satis ab elegantissimo JCto Eguinarth. Barone ad hanc rem dictum. *Schegkius.*

CAP. 125. *Quippe exercitus*] Multis dicit Tacitus Annal. I. et Dio LVII. *Idem. Quippe exercitus*] Has seditiones egregie descripsit, et ad exemplum perfectæ super hoc argumento commentationis, sicut supra jam monnimus. Tacitus A. I. 16. et seq. Idem A. I. 31. et seq. adde Dion. LVII. Sueton. Tib. 25. *Boeclerus.*

Constituere conati sunt] Vox postrema est sententiæ inquinandæ: tollatur. *Gruterus.*

In ultimum] In Ms. fuit: *et pæne in ultimam gladiorum erupit impunitas.* Lege, *et pæne in ultima gladiorum erupit impunitas.* Vossius.

Gladiorum] Aliter, *gladiatorum.*

Præcipue nostrorum] Vellem: *præcipue auctorum.* Lipsius.

Ut pleraque ignave Germanicus] Immo omnia gnave: nihil mutandum. Novimus te, novimus mancipium Tiberianum. Tu rectum Germanici ingenium apud Suetonium, Dionem, et eximie Tacitum tacitus mirare. *Schegk. Ut pleraque ignave Germanicus*] Vehementer hic vapulat Velleius et merito, si de unico eorum temporum ornamento, Cæsare Germanico, qui legiones seditiosas, 'incertum constantia an pietate majore compescuit' (teste Suet. Calig. I. et Tacito) ita loquitur, ut ignaviam homini, si quis unquam, industrio fortique tribuat. Faciebat hactenus verisimilem hanc Velleii malignitatem, odium Tiberii in Germanicum, adulatio Velleii perpetua in Tiberium. Verum postquam rem accuratius expendi, nullo modo credo, imo palam nego, Velleium ita scripsisse. Non erat ex ratione status et arcanorum domus; non erat ex usu aulici assentatoris, non denique ad cetera, quæ de Germanico tradit, quadrabat. Nonne Tiberius odium istud in Germanicum, omni specie benevolentiæ et honoris velabat et in publicum obtegebat? nonne prodidisset incaute et temere Velleius, si sub principe hoc, publice Germanicum vituperare ausus esset? Quid? An Augusti Nepoti, Tiberii adoptivo publice convitium fieri, passura erat majestas domus? Vide quid infra de Germanico Velleius c. 129. Hæc et similia facile mihi persuadent, ut prorsus credam Velleium, *gnave* scripsisse, aut aliquid tale, quo comparatio fieret industriæ ab utroque, Druso et Germanico, navatæ. *Boecler.*

Ita Drusus] Perperam in editione principe, *Brutus.* Vossius.

Severitate usus, ancipitia sibi tam re quam exemplo perniciosa] Locus fœde corruptus. In exemplari erat: *sibi timere quam exemplo.* Gruterus bene *usus* in *ausus* mutat, sed quod delere cupit vocem *perniciosa* cum copula sequente, eam medicinam prudentissimus quisque nimis strenuam dixerit: Quid si legamus? *ausus ancipitia sibi tam re quam exemplo periculosa, his ipsis militum glad.* Certe periculosum ipsi Druso fuisse, ipsa res et Velleii quæ sequuntur verba insinuant, de exempli periculo cuivis cogitare promptum est. Existimem etiam *perniciosa exemplo* durius dici et vehementius de Druso quam Velleii mos et institutum hujus loci patitur, cum et alias erga domum principis

ubique reverentia, ubique cautione utatur. Vossius ita emendavit: *suum ancipitia, sibi tam e re, quam exemplo perniciosa.* Boecler.

Tum re] Nisi providisset.

Imperatoria] Est ille, quem Tiberius postremum hoc nomine insignivit: testis, omnium instar, Lipsius. *Schegkius.*

Prædiximus] Legendum, *ceu prædiximus*, vel per parenthesis modum *(prædiximus)*. Arridet tamen mihi magis, ut *præditum* legamus, hoc modo: *ac Hispanias exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia præditum, quum imperio obtineret, in summa pace ac quiete tenuit.* Nam innuit Velleius Junium Blæsum eas copias, quibus in Illyrico feliciter præfuerat, paulo post in Africam traduxisse, priori militia, quam in Illyrico fecerant, nobiles et insignes. Proinde Dolabellam hujus curam ac fidem imitatum scribit, nimirum ut jam absentis. *Rhenan.* *Prædiximus*] Prædixit autem paulo superius. Nec video cur hic legi debeat, *præditum;* cum si sic legas, Velleii sententia bene quadret. *Burrer.*

Cum imperio obtineret] Hoc nimis certe coactum. Malim: *Cum imperio obtinuit, et in summa pace quiete continuit.* Acidal.

In maxima parte] Alii, *maritima.*

Cap. 126. *Cum inserta sint*] Vulgo, *incerta. Cum inserta sint*] Bene Schegkius, qui revocavit scripturam scripti codicis, *inserta:* id enim postulabat et ratio et sententiæ vinculum. *Gruter.*

Non imperio, sed religione] Tali figura Plinius ad Trajanum de Nerva Paneg. c. 11. 'sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen Deum et facis et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore fato concessit, una itemque certissima divinitatis fides est, bonus successor.' Idem qui de consecratione Augusti a Tiberio facta aliter judicat: 'Dicavit cælo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret.' *Boeclerus.*

Non appellavit eum, sed fecit Deum] Æque belle procederet oratio, resecta voce tertia, vel ultima reposita in ejus locum. *Gruter.*

Revocata in forum fides] Egregia descriptio boni Imperii felicisque status, quamquam quod de magistratuum auctoritate et Senatus majestate dicitur, ad simulacra libertatis pertinet, callide a Tiberio objecta, quod aliunde constat. *Boecler.*

Discordia curia] Vulgo, *discordia cura.* *Discordia curia*] Videtur legendum, *submota foro seditio, ambitio campo, discordia curiæ sepulta.* Rhenan.

Ac situ obsitæ] Editio princeps perperam, *oppositæ.* Vossius.

Theatralis seditio] Etiam hoc inter eulogia. Hercle vero serio; nam theatro suæ factiones, sui duces. Hinc sæpe tumultus cædesque, de quibus Lipsius in Corneliano Commentario, et Epistol. lib. I. cap. I. Ducem factionis depingit Tacitus lib. II. 'Erant in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, deinde gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus histrionali doctus studio.' *Schegk.*

Immunes] Lips. *immune.*

Sed aliqua] Fortasse, *sed æqua.* Lipsius. *Sed aliqua*] Inclinant alii legere, *sed æqua;* quibus non adhæreo. Blanditur enim prorsus Velleius Tiberio, et vult maximis etiam criminibus minimas adplicuisse pœnas, testandæ clementiæ: si *æqua* admittamus, tunc ea ipsa oportet compensarit gravitate supplicii suam moram; quod convenerit quidem justitiæ, non etiam principi clementi. *Gruter.*

Nam facere recte cives suos, &c.] Cicero, Fam. lib. I. epist. 9. pag. 25. 'Quales in Repub. principes essent, tales reliquos solere esse cives.' Sumptum autem ex Platone, lib. IV.

de Leg. Μηδεὶς ὑμᾶς νεωτέρω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θάττον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἢν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ. *Manut. Nam facere recte cives suos, &c.*] Graviter et copiose tractavit hunc locum Lipsius Polit. II. c. 9. toto. et fusius etiam, in utramque partem, Petrus Faber Semestr. III. 20. *Boecler.*

CAP. 127. *Raro eminentes viri, &c.*] Eximium de adjutoribus Principum et amicis locum, plerique in hoc argumento Politici laudant. Rursum accurate, ut solet, de re tota Lipsius Polit. III. 2. et 3. Scilicet 'Optimos gubernatores juvat et remigum manus.' Sive ut Symmachus explicat lib. IV. ep. 7. 'Summis imperii moderatoribus pia et decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi. Est quidem Rectori nostro divini fontis ingenium, et omnium virtutum promta natura. Sed ut imagine uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat.' Illud hic observandum est, Velleio sermonem esse non de Amicis Principum et consiliariis universim, sed de eximiis illis Adjutoribus rerum, qualem plerumque unum tantum, raro duos, (periculose enim pluribus id fastigium indulgetur,) Magni Principes sibi admovent intima amicitia, proximosque suæ magnitudini esse jubent: sicut exemplis Agrippæ, Seianique constat. Non patiuntur graviora negotia conscientiam plurium, neque gubernari feliciter aliqua nisi unius opera possunt: ergo deligendus aliquis, cui Princeps, qui non omnia solus sua scientia actuque potest complecti, summa negotia committere possit. Porro, hunc fidum facere sibi tum aliis rebus, tum multa honorificentia necesse est. Hinc fastigium illud a Principis majestate proximum; in quod non tam voto Principis, quam necessitate, ut innuimus, reponitur, quisquis reponitur. Quare multa passim suggerantur Principibus arcana adversus maximarum rerum gubernatores, quos et colere coguntur, et plerumque non possunt non timere. Sed quid? plura illi ipsi arcana in promptu habent adversus Principem. 'Unum autem, idque certissimum arcanum ad reip. salutem, est Principis ipsius peritia et prudentia,' ne scilicet totus aliunde pendeat, sed omnia ab ipso pendeant. Vide Comin. lib. III. *Idem.*

Maxime ab eo] Ferri intelligique potest: ego tamen Μαντεύομαι, ὃτι ἐν θυμῷ Ἀδόντες βάλλουσι, et puto fuisse, *M. Agrippa, et Maximo Fabio.* Notus vel e Tacito est Fabius Maximus, qui inter fidos Augusti amicos, et conscios arcanorum. [Vide nostrum Com. lib. I. An.] At enim, inquiet aliquis, ille nobilis: hic de novis hominibus sermo. Ovidius quidem, fateor, nobilem cum fecit, sed nescio an historica fide: nec putem fuisse e priscis illis Fabiis. *Lips. Maxime ab eo*] Lipsius existimat legendum, *Maximo Fabio.* Acidalius trajicit: *Agrippa maxime, et ab eo* St. *T.* Boeclerus.

Enitterentur] Ex. vet. *enumerentur.* Burrerius.

Neque in parvo paucitas] Multis partibus potius est, *deficit:* quod verbum, ne mireris, active capiendum: ut de Virgilii loco Georg. I. 'Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacra Deficerent sylvæ, et victum Dodona negaret.' Est enim utrobique *deficere*, non sufficere, non præbere. Hoc antequam ipse sic acciperem, mutare sum adortus: *neque in parvo parvitas ministerio deficit.* Quomodo esset interpretandum, deficitur. *Acidal. Neque in parvo paucitas*] Ingenue fateor, nihil idoneum et Velleio dignum hinc me elicere posse. Forte ab inepta et marginali glossa in textum immigrarunt. *Boecler.* [Forsan legendum, *Neque in parvo paucitas ministerii deficit.*]

Complexum] Neque hic vulgo tritus sermo: quem in Ausonio etiam observavi. Parentalib. ‘ Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen, Complexum multas nobilitate domus.’ *Acidalius.*

Virum severitatis lætissimæ, &c.] Diximus supra de Pisone II. 98. vide Lips. Polit. III. 11. 7. Ceterum veriora de Sejano, cui Velleius adulatur, Tacitus habet A. IV. 1. tot. *Boecler.*

Otiosis simillimum] Supra de L. Pisone: ‘ Et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis quæ agenda sunt curet sine ulla ostentatione agendi.’ *Acidal.*

Semper] Auctoritate Ms. legendum, *semperque*. Vossius.

CAP. 128. *T. Coruncanium*] Imo, *Ti.* ex Ms. Nam T. Titum, Ti. autem, vel Tib. Tiberium denotat; ut non solum ex Valerio Probo et Magnone, sed et Plutarcho in Quæstionibus Romanis liquet. In inscriptione tamen apud Gruterum pag. MLXXIII. legi scio: T. CAESAR. DIVI AVG. F. Sed credo, aut errorem esse quadratarii, aut vetustate literam unicam fuisse extritam. *Vossius.*

Hominem novum] Totum hoc caput destinavit Velleius observationi politicæ de HOMINIBUS NOVIS. Quare et nobis licebit hic lineamenta majoris dissertationis, quam alii occasioni destinavimus, ducere. ‘ Novus ’ apud Romanos appellabatur, teste Asconio Pædiano, ‘ qui primus in sua gente honores adeptus erat.’ Καλοῦσι δ' οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους, inquit Appianus Ἐμφυλ. II. p. 428. ‘ Ita vocant, qui ex se ac sua virtute, non majorum gloria inclaruere. Nam qui majorum suorum habuerunt imagines, ii Nobiles; qui, suas tantum, ii Novi; qui nec majorum nec suas, Ignobiles appellati sunt.’ Ita ut novitas interjecta veluti esset inter nobilitatem et ignobilitatem. Sigon. de antiq. jur. civ. Rom. II. 20. Unde descripsit pleraque Rosinus I. 19. ‘ Poterit igitur aliquis homo novus existere omni virtute cumulatus, qui ita versetur in studio dignitatis, ut inter omnes excellat: quia tamen in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium. Postquam vero in ea familia, multi exemplis illius incitati, in gloriæ cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet illud nobilitatis eximiæ lumen. Primus itaque generosus et magnificus, non tamen nobilis appellari solet: ut sit ea omnino differentia, quæ est apud Græcos inter εὐγενῆ et γενναῖον. Hoc enim ad animi præstantiam refertur: illud ad familiæ celebritatem. Ut igitur unum non numerum, sed numeri principium dicimus: sic illum primum, omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem, sed auctorem et principem nobilitatis existimamus.’ Sunt hæc verba Hieronymi Osorii Lusitani ex lib. I. de Nobilitate civili. Addendus est locus Plutarchi ex Catone Majore, cujus principio inquit: *εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους μὲν δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον· αὐτὸς ἔλεγε καινὸς εἶναι πρὸς ἀρχὴν καὶ δόξαν, ἔργοις δὲ προγόνων καὶ ἀρεταῖς παμπάλαιος: Cum Romani solerent eos, qui generis quidem claritudine destituti, per se tamen ipsos incipiebant clarescere,* novos *appellare* homines, *sicut et Catonem appellarunt: respondit Cato, esse se quidem novum ad magistratus et honores, factis autem virtutibusque majorum perveţustum.* Non observabimus nunc ex hoc et pluribus scriptorum locis, latiorem vocabuli ambitum, quam ut ubique ad Magistratus curules restringi possit: dispiciemus suo loco. Utri præstantiores sint habendi, Novi homines, qui ex se inclaruere, aut qui vetustæ nobilitatis stimulis et instrumento usi

claritudinem conservavere, non adeo est dijudicatu facile. Vide de illa quæstione (nos enim properamus) Osorium de Nob. Civ. lib. II. Illud in hoc transcursu notamus: Hominis Novi significatum aliquando ex parte referri, sive accuratius loquendo, sæpe conjungi cum peregrinitate. Ipse Velleius noster, 'M. Catonem novum etiam Tusculo' (sive, *et a Tusculo*, sicut Lipsius legit) vocat: quanquam indicetur mox distinctio voce Inquilini; neque nos latet Ciceronis cautio, peregrinum vocari, qui e municipio est, non ferentis in Orat. pro Sulla, c. 7. 8. sed nos liberius utimur ea appellatione. Apud Auctorem de caussis corruptæ eloquentiæ cap. 7. Aper, 'Equidem,' inquit, 'ut de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus, quæsturam aut tribunatum, aut prætoram accepi,' &c. In Tacito leges A. III. 55. 3. 'simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis, in senatum crebro assumti domesticam parcimoniam intulerunt. *Boeclerus.*

Sp. Carvilium] Opinor *v* pro *b* scriptum: nam alias solet scribi *Sp. Carbilius.* Burrer.

Novum etiam, &c.] Ut, 'hospes Zacyntho.' Lipsius, *et a Tusculo, &c.* Voss.

Qui C. Marium] Qui apposite in hanc rem adversus invidos apud Sallustium: 'Quod sine jure despiciunt me, faciant idem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit.' *Acidal.*

Qui M. Tullio] Vulgo, *M. Fulvio. Qui M. Fulvio*] Quis vero iste M. Fulvius? Primum, nec gens Fulvia inter novas est, vetus, et multa copia honorum: nec in ea quisquam, in quem tam invidiosæ potentiæ elogium conveniat. Vere et avide corrigo: *M. Tullio.* Omnino nostra illa Romana Suada est, in quam hæc omnia cadunt. Ille novus, quod ipse aliique testantur: ille potens et cælesti sua lingua Senatus populique rector. Assensione sua (ita verius, quam *assentatione*; nisi præfers, *assertione*) provincias, exercitus, et tantum non regna dedit: Cæsar ipse et Pompeius testes: quorum illi Gallias prorogavit, hunc ad Piraticum bellum misit. Denique jam palam 'Regnare in judiciis, in concionibus' dicebatur: atque adeo inimici objiciebant, 'Tertium peregrinum Romæ esse regem.' In M. Antonium etiam quæ fecerit, dixerit, et quomodo habenas reip. tenuerit, scimus. *Lipsius.*

Assentatione] Assentatio non hic in malam partem, sed pro *assensione*, ut supra *assentari* usus, pro *assentiri*. 'Et iis qui a Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur: iis qui ab ipso, adversabatur.' Nec igitur mutandum in Petronio: 'Tacentibus adhuc nobis, et ad neutram partem assentationem flectentibus,' ubi Gulielmius noster, *assensionem* reponebat. Et ad hanc faciem Apuleius *conversationem*, venuste pro *conversione*. In de dogm. Plat. 'Ejusdem temporis spatiis mensuras mundanæ conversationis intelligi.' Venuste, inquam; propter magnitudinem et molem, ac velut difficultatem. *Acidal.*

CAP. 129. *Forma*] Hoc vulgo hic non legitur. *Forma*] Post *Cæsaris*, deest *forma*, velsimile; quæ dictio oscitantia librarii in tertium versum translata est, ut videtur, ubi plane superest: *consortisque ejusdem imperii formam evocavit.* Rhenanus.

Rhascupolim] Hunc Suet. Thrasypolum vocat; Tacit. Rescuporim. *Rhenan. Rhascupolim*] Rescuporim Tacitus. Ῥασκύπορις Dio lib. LIV. *Schegk. Rhascupolim*] Apud Suetonium, Thrascypolis. Sed malim, Rhascupolis. Nisi præferas, Rhascuporis; quod in Ms. invenit Torrentius. Sane Dioni etiam est, Ῥασκύ-

ropis. Tacitus tamen, Rescuporim, eum vocavit. Eadem variatio apud auctores in nomine alterius Rascupolis, qui ante hunc regnavit. De quo alibi. *Vossius. Rhascupolim*] Copiose Tacitus A. II. 64. et seqq. Meminit Suetonius Tib. 37. *Boecler.*

Fratris sui filii] Ita et Tacitus Annal. lib. II. Sed lib. III. sibi ipsi adversatur, ubi ait. ' Cæsar Antistium Veterem ad dicendam causam retraxit, ut turbidum, et Rescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye fratre interfecto bellum adversus nos voluerat.' Lipsius gravissimum scriptorem humani aliquid passum arbitrabatur. Ego in librarios culpam conjicere malim. Scribendum enim existimo: *qua tempestate, Cotye fraude interfecto, bellum adversus nos volverat.* Pro *voluerat* autem *volverat* reposuimus, Pychenæ judicium secuti. *Vossius.*

Ejusdem imperii] Hic verbum *formam* legebatur. *Ejusdem imperii*] Nisi dictio *forma*, ut dixi, hic supervacua est, videtur deesse, *per*; ut legatur, *per amicitiæ formam evocavit.* Rhenan. *Ejusdem imperii*] Ita legitur hic locus in antiqua editione. Sed verbum *formam* sententiam perturbare cum videretur, omissum est a doctis viris. Nos tamen illud retinemus, et *formam* mutamus in *Romam*, historia præsertim consentiente. *Ursinus.*

Merentis semper, quam, &c.] Intelligitur *magis*, frequenti locutione Tacito. Valerio lib. I. cap. 1. ' Factum Masanissæ animo, quam Punico sanguine convenions.' Comicus: ' Tacita mulier, quam bona.' Hæc occurrerunt: sexcenta talia licet observare apud JCtos nostros. *Schegk.*

Ut senator et judex] Hæc non sine arcano dominationis a Tiberio facta, subtiliter et profunda ἐπιχρίσει Tacitus innuit; ' sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.' Quæ verba, ut breviter hoc dicam, ita accipio: Justitiæ quidem consulebatur hac ratione et innocentiæ, ut ex re et vero, non ex affectu et gratia judicia dispensarentur; sed eadem opera et sub hoc tuendæ justitiæ schemate Tiberius munia judicum, ut alia pleraque, in se trahebat, nullaque judiciis libertas, et judicibus auctoritas manebat. *Boecler.*

Et caussas] Dele particulam *et*. Manut. *Et caussas*] Haveo scribere: *etiam causas præsens audit?* Nam ita fecit. Suetonius de eo: ' magistratibus pro Tribunali cognoscentibus plerumque offerebat se consiliarium, assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori.' *Lipsius.*

Libonem ingratum et nova, &c.] Hæc verba, *ingratum et nova molientem oppressit*, errore librarii transposita videntur. Ego in tertium superiorem reponenda puto, videlicet post *formam evocavit.* Rhenan. *Libonem ingratum, &c.*] Tò *Libonem* in principe editione desiderabatur. Nec male ab aliis insultum videatur, nisi postea de Libone iterum repeteret Velleius. Viderint itaque alii, an non commodius substitui possit *Clementem.* Hic enim Clemens ad ulciscendam Agrippæ domini sui mortem compararat non contemnendam manum. Sed fraude tandem a Tiberio captus punitusque est; ut scribit Suetonius in vita Tiberii. *Voss. Libonem ingratum et nova molientem*] Adi Tacitum A. II. 27. et seqq. qui remoto velo rem edisseret. Dio LVII. p. 702. *Boeclerus.*

Respondente cultu] Vet. liber habet *respondentem, &c.* Mihi alias sic legendum videtur: *respondente cultui triumphi, rerum quas gesserat magnitudine.* Burrerius.

Congiariis] Congiarium munus principis, quo donabatur Populus.

Senatorumque censum] Rursum apertius aget Tacitus A. II. 37. et 38. *Boecler.*

Quanto cum honore] Imo, quanta cum calliditate 'amoliri juvenem specie honoris statuit,' Tacitus A. II. 42. *Idem.*

Marobodnum] Tacitus late A. II. 62. et seqq. Sueton. Tib. 37. 'Reges quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit: ut Maroboduum Germanum,' &c. Hist. misc. VII. 22. *Idem.*

Regni finibus] Boiohemiam intelligit. *Rhenum.*

Sacrovire Floroque Julio] Tacit. A. III. 40. et seqq.

Bellum Africum] Tac. A. II. 52. et seqq. et III. 20., &c.

CAP. 130. *Quanta suo suorumque nomine*] Tacitus A. VI. 45. 3. 'Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto, et scenam Pompeiani theatri: eaque perfecta contemtu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit.' Sueton. Tib. 47. 'Princeps neque opera ulla magnifica fecit. Nam et quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit.' Et Calig. 21. 'Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompeii absolvit.' *Boecler.*

Pompeii munera] Munera videtur hoc loco posuisse Velleius pro ipsis ædificiis; ut supra, cum dixit de Pompeio item, 'Perfectis muneribus Theatri,' &c. Itaque nihil mutandum puto: vel si *manibus* ibi, pro *muneribus*, reponendum est; hic quoque *mania*, pro *munera*, scribendum censeo. *Ursinus.*

Qui quicquid] Vulgo, *qui quidem quam claritudine eminuit, &c.*

Monte Cælio] Ita reposuere, pro *Cæli*, quod erat in editione principe. Ego nil mutaverim. Sane, *mons Cæli* recte dicitur, ut oppidum Antiochiæ, Ciceroni ad Atticum lib. v. epist. 18. 'Torrens Vergelli,' apud Florum lib. II. cap. 6. Imo et similiter, 'ad montem Soractis' dixit Solinus cap. 2. prout ex Mss. edidit magnus Salmasius. *Voss. Monte Cælio*] Suet. Tib. 48. *Boecl. Monte Cælio*] Ab Anco urbi hic mons additus, ut Strabo: vel a Tullo Hostilio, ut Livius: vel a Tarquinio Prisco, ut Tacitus. A querna sylva, Querquetulanus: a Tiberio Cæsare, quod is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, dici cœptus mons Augustus. Ab ortu habet mœnia, a meridie Cœliolum, ab occasu Palatinum, a septentrione Esquilias. Adjacent ab ortu, Cœlimontana et Nevize portæ, et inter has Statilii Tauri theatrum dimidiata sui parte mœnibus inclusum: a meridie, vallis: ab occasu, Severi septizonium: a septentrione, Titi amphitheatrum, vulgo Colosseum. Nominatus a Cœle quodam Etruscorum duce, qui cum Romulo contra Sabinos arma socia conjungens, castra in eo posuit. Cœliolus pars est Cœlii, a Martiale libr. XII. ad Juvenalem, Minor Cœlius dictus: 'Dum per limina te potentiorum Sadatrix toga ventilet, vagumque Major Cœlius et minor fatigat.' Ab ortu habet mœnia, a meridie Aventinum, ab occidentis et septentrionis partibus vallem, per quam fluit Appiæ rivus. Incipit post portam Gabinam, nunc clausam: et inde ad Latinam flectitur, terminaturque ad Capenam. *Fabric.*

Sine trepidatione dilectus] Dilectus enim suapte natura gravis, ait Tacitus. *Schegkius.*

Hominum] Alias legitur, *hominum aut Deorum*, vel, *auribus Deorum de his.* Rhenanus.

Apud aures Deorum de his queri] Acutius, *de Diis queri.* Si fas est, inquit, hominem apud Deos, Deos accusare. Et ita sane facit, queriturque quod Dii a calamitatibus immunem eximiumque non habuerint Tiberium, ipsum quoque scilicet futurum

divum. *Lips. Apud aures Deorum de his queri*] In Ms. fuerat, *auro Deo cum de his queri*. Unde legendum arbitror: *auribus Deorum de his queri*. Ursinus emendarat: *de Deo cum Deis queri*. Lipsius vero vulgatam retinebat lectionem, nisi quod pro *his* scriberet *Diis*. Sed ambo a vestigiis autographi longius recesserunt. *Voss.*

Silius et Piso] In Ms. erat, *Silius, Pisoque, tam alterius*, &c. Lege: *Silius, Pisoque, quorum alterius*, &c. Usitato mendi genere. *Voss.*

Abstruso, &c.] Etenim ‘ crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.’ Justin. lib. VIII. *Acidal.*

Quod ex nuru] Agrippina. Sueton. Tib. 53. et 54.

Erubescere] Addidi vocem *erubescere*, volentibus membranis, neglectam Aldo; quod scirem, viro ingenuo ruborem supra dolorem indignationemque omnem. *Gruter.*

Et per omnia Deis] Loca similia hujus multa, e queis panca bona fide retinuit memoria. De Jul. Cæsare: ‘ Animo super humanam et naturam et fidem evectus.’ De Pompeio: ‘ Per omnia fortunam hominis egressus.’ De M. Catone: ‘ Per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior.’ *Acidal.*

Nisi aut levatione periculi] Et ad istud hercle exemplar ipsos se formare debebant aulici. Nunc quid? obtinet fere quod questus est de suo sæculo Seneca Hercule Œtæo, versu 637. ‘ Colit hic reges, regumque Lares; Non ut presso vomere semper, Numquam cesset curvus arator, Vel mille secent arva coloni: Solas optat, quas donet opes. Colit hic reges, calcet ut omneis, Perdatque aliquos, nullumque levet: Tantum ut noceat cupit esse potens.’ Verum de istis hominibus, quantum satis est, cumulavimus ad Taciti locum Annal. lib. IV. cap. 31. ‘ Suilium vidit aequens ætas præpotentem, venalem, et Claudii principis amicitia, diu prospere, numquam bene usum.’ *Gruter. Nisi aut levatione periculi*] Recte hoc exemplum proponit aulicis Gruterus. quamquam de Livia adulatorie Velleius. *Boeclerus.*

CAP. 131. *Et auctor*] Puteanus legendum putat: *Jupp. Cap. et Stator, et auctor R. n., G. M.* Manut. *Et auctor*] Placet conjectura doctorum virorum, qui legunt: *Jupiter Capitoline ac stator, et auctor Romani nominis, Gradive Mars*, &c. nam illud stator ad Jovem tantum referri potest, non item ad Martem. Nobis tamen non displiceret, si parva mutatione scriberetur *sator* pro *stator*, legereturque: *Juppiter Capitoline; et auctor ac sator Romani nominis, Gradive Mars*, &c. Ursin. *Et auctor*] Magis probem, *sator Romani nominis*. Genitor enim et pater Romanorum Mars, quia Romulum sevisse dictus. *Lips. Et auctor*] Seneca de Benefic. lib. IV. cap. 7. ‘ Quoties voles, tibi licet alter hunc auctorem rerum et naturarum compellare. Et Jovem opt. max. rite dices, et Tonantem et Statorem, qui non, ut historici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stitit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est.’ *Schegk.*

Vesta] אשתה id est, Estha, nihil aliud quam ignem Chaldæis denotat. Unde et hic cultus ad alios populos transfluxit.

Hanc pacem; eique functo] Vox deest, quam fidenter repono: *Hanc pacem, hunc Principem: eique functo*. Ad Principem enim certe pertinent, quæ adtexit. *Lips. Hanc pacem; eique functo*] Lipsius interponit post *hanc pacem, hunc principem*, ut sequentia cohæreant. Eruditissimus Gerardus Vossius sollerter conjicit legendum: *hunc statum, hunc Principem:* quæ vox per compendium scripta forte ansam dederit τῷ *pacem*. Boecler

Aut pia] Videtur hic parum deesse in hac peroratiuncula votitia. Videntur autem extrema verba in talem scripta sensum: *consiliaque omnium civium aut pia, aut salutaria, in felicem exitum provehite*; aut sensum similem. *Rhenan.* *Aut pia*] Rhenanus supplevit: *aut pia, aut salutaria, in felicem exitum provehite.* Ego felicius mentem Velleii mihi assecutus videor, nempe ut scripserit: *aut pia fovete, aut impia opprimite.* Ita igitur, aut simili modo, illum finio. *Vossius.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

DE

C. VELLEII PATERCULI

CODICE, EDITIONIBUS, INTERPRETIBUS, ET EMENDATORIBUS.

[Ex J. C. H. Krausii Prolegomenis ad Ed. Velleii min. in Ed. Bipont. 1811. recusis.]

VETERUM librorum e naufragio unus tantum Velleii codicum, quorum ab initio, ut vidimus, magna paucitas erat, fortunæ beneficio servatus est. Hunc primus invenit Beatus Rhenanus, Selestadiensis, vir, sub renascentium in Germania literarum tempora, eruditione, diligentia, et fide præcipuus, et veterum libris proferendis et emendandis haud infelix. Latebat Velleii opus usque ad annum 1515. in pluteis Bibliothecæ cœnobii Benedictinorum Murbacensis, in superiori Alsatia siti. Præter hunc codicem nullus alius repertus est. Nam neque Mediolanensis ille, cujus nanciscendi spem Georg. Merula Rhenano moverat, neque is, quem Labbeus Biblioth. Nov. Mss. in bibliotheca quadam, libro priori integro, inventum memorat, unquam in lucem protracti sunt.

Quæ codicum Velleii jactura in tantum dolenda est, in quantum Murbacensis iste liber mutilatum et depravatum Velleium nobis tradidit. Nam ab initio et fine mutilus erat; in medio plurimas habebat lacunas, longe maximam libro I. medio; fœdissimisque vitiis ac corruptelis scatebat. Incidisse enim videtur in hominum incuriosorum et insciorum manus, qui vel a situ eum non defenderent, vel folia quædam a fronte et e medio, nescio quos in usus, exsecarent. Præterea alia accessit improba manus, quæ velut membranam tentatura, an, literis expunctis, superscribi posset, in fine nonnulla erasit. Lacunosus etiam erat tam versiculorum quam verborum omissionibus frequenter obviis, quæ vel librariorum, sive Murbacensis sive antiquiorum, negligentiæ, vel eorundem

hominum studio lacunas vetustioris exempli in suo, ne mutilus videatur, occultandi debentur. Mendosissimus denique erat, tot et tanta corruptelarum prodigia, quot et quanta unquam in uno codice scriptoris vetusti deprehenduntur, abundantissime referens. Nam descriptus fuit ab homine indoctissimo, qui ne verbum quidem intellexit, negligentissimoque, qui, laboris pertæsus, festinanti manu munere suo defunctus est. Attamen ex antiquiori quoque exemplo, unde Murbacensis liber exscriptus est, quin etiam ex longe antiquioribus, multa vitia ad recentissimum usque sunt propagata.

Sed uti hæc damna aliorum Velleii codicum auxilio resarciri nunquam posse graviter dolendum, ita quoque ipsius codicis Murbacensis jactura acerbe ferenda est. Is enim iniquissimo fato, postquam Rhenani cura Frobenii typis exscriptus erat, prorsus disperiit. Nemo enim insequentium editorum librum manu exaratum consuluit, ut post exscriptum Velleium, quod haud raro fiebat in libris typorum notis expressis, velut inutilis abjectus esse videatur. Nam postea in bibliotheca Murbacensi repertus non est a Montfauconio, in Biblioth. Tom. II. pag. 1175. codices hujus cœnobii recensente. Neque Ruhnkenio, in editione Velleii paranda hunc librum vetustum per amicos Alsatos indaganti, ullum ejus vestigium oblatum est.

Hunc codicem Murbacensem Rhenanus, ut operis traderet, ab amico quodam, sed properanter et indiligenter (vid. Rhen. Dedicat.) munere suo fungente, describi curavit, et quinque per annos, dum spes melioris libri nanciscendi, per Merulam mota, affulgebat, ineditum apud se retinuit. Cum vero ederet, operæ pretium haud duxit, (nam critica tum ars adhuc erat in incunabulis,) ea, quæ critici hodie de libro manu exarato scire interest, referre, nisi paucissima. Neque Burerius, de quo mox dicemus, editionis primæ ad codicis normam castigator, libri vetusti diligentem descriptionem dedit; tamen in notis ad singula scriptoris loca passim codicis habitum, literarum ductus, puncta, et correctiones notavit.

Quæ igitur de codicis Velleii indole ex testimoniis Rhenani Bureriique, et conjectura in auxilium vocata constant, sunt fere hæc. Fuisse eum *membranaceum* testatur Rhenanus; sed *vetustate*, maxime in fine, ita *arrosum*, ut vix, quid scriptum fuerit, appareret, refert Burerius in notis ad capita extrema. Deinde *literis minusculis scriptum, atque ex tali transcriptum fuisse*, patet cum ex viti-

orum a librario commissorum generibus, quæ non nisi ex scriptura minuscula originem trahere potuerunt, (scilicet ex literis et vocibus ob similitudinem minuscula forma scriptarum permutatis ; ex literis et vocibus similibus a vicinis sive extritis, sive additis ; et ex erroribus, e compendiis scribendi minuscula scriptura solennibus enatis,) tum ex Burerii testimonio, scripturam literæ *a* per *cc*, in libro Murbacensi obviam, ad II. 29. extr. referentis: quanquam nonnulla quoque sint vitia, quæ ex majuscularum permutatione in transcribendo e vetustiori libro talibus literis exarato facta ortum habuisse videantur. Tum non continua serie, sed *vocibus disjunctis* scriptus erat ; quod apparet e lectione codicis a Burerio notata, vocabulorumque syllabas perverse vel separatas vel junctas exhibente. Porro *absque punctis et distinctionibus* fuisse testatur Rhenanus ; at Burerius sæpius notavit interpunctionem libri sui, quam Rhenani editio deseruerat. Neque caruit in vocibus maxime obviis facilioribusque intellectu *compendiis scribendi*, quæ retulit tum editio princeps, tum Burerii annotatio. *Orthographiam* autem libri Murbacensis *singularem*, *pravam*, et *inconstantem* tradiderunt iidem Rhenanus atque Burerius ; de qua duplex *ii* simplici litera, ut in *Pompei*, *consili*, scriptum notabilissimum est. *Lacunosum* fuisse, supra jam dictum est ; sed *glossarum marginalium* nulla vestigia observavit Burerius, quanquam eas mature in vetustiores codices irrepsisse, et in Murbacensem se propagasse, vel a librario Murbacensi e suo exemplo intrusas esse, jure suspicantur critici. Denique *correctionum*, non quidem perpetuo, sed in locis fortuito occurrentibus factarum vestigia deprehendit Burerius, v. c. literas superfluas sive erasas, sive puncto deletili superimposito damnatas, correctionem interlinearem, emendationem marginalem, eamque veram, punctum divisibile, inter voces disjungendas superne interpositum.

Corruptelarum autem lectionis sunt innumera, quorum potissima paucis enarrare fas erit. Insunt et in vocum, syllabarum, literarumque, vel ob similitudinem ductuum, vel ob scribendi compendium, male a librariis explicitum, permutationibus ; et in earundem aut omissionibus, sive temeritate librarii, sive aberratione oculorum ad vicina similia, sive prava syllabarum disjunctione factis ; in literarum et verborum transpositionibus ; in verbis, ob aberrationem oculorum sive ad præcedentia sive ad subsequentia, iniquo loco aut repetitis aut occupatis ; in compendiosa scriptura perverse intel-

lecta atque explicita; in vocabulorum syllabis vel prodigiose disjunctis vel copulatis; in nominibus propriis pro appellativis, et contra, indocte habitis et monstrose corruptis; ut taceam alia singularia, et quae interpunctione neglecta vel perversa peccavit librarius. Quorum vitiorum exempla omnibus fere paginis occurrunt.

Quibus vero sanandis cum aliorum librorum scriptorum ope destituti essent eruditi, ad conjecturam solam confugiendum erat, qua ut restitueretur manus Velleii, editores et interpretes inde a saeculo XVI. ad hodiernum usque diem laborarunt. Jam recenseamus viros doctos, qui acumine et eruditione sua de Velleio emendando bene meriti sunt.

RECENSUS EDITIONUM.

1520 Editio princeps e codice Murbacensi, vel potius ex apographo hujus libri non satis diligenter facto, expressa, prodiit sub indice: 'P. Velleii Paterculi Historiae romanae duo volumina, ad M. Vinicium Cos. prógenerum Tiberii Caesaris, per Beatum Rhenanum, Selestadiensem, ab interitu utcunque vindicata.' In calce: 'Basileae, in aedibus Jo. Frobenii, mense Novembri. Anno MDXX.' Fol. min. Quae editio, credo, ob exemplarium penuriam, emendi cupidis non sufficientem, mox iterata est. Nam Ruhnkenio ad manus erant duo ejus exempla, quorum discrepantiam ad II. 67. et 78. extr. notavit; quae an pluribus locis a se recedant, nondum constat. Utraque autem editio fluxit ex apographo codicis per Rhenani amicum negligenter facto, quod editor quidem deinde cum libro scripto contulit. Nam hoc inspecto facillimum erat multa vitia corrigere, quae Rhenanus, vel in ipso textu, vel in notis marginalibus, nonnunquam satis feliciter, adeo ut codicis lectionem assequeretur, conjectura sola sanare tentavit. Quae autem deliquerat scriba Rhenani, isque ipse, codice haud comparato, neglexerat, emendavit Jo. Alb. Burerius, qui, dum liber Murbacensis apud Frobenium adhuc erat, hunc diligentissime cum editione a prelo recenti contulit, et minutissimam discrepantiam lectionis, syllabarum, literarum,

punctorum, et quicquid codex, sive corrupte sive bene, sive clare sive obscure, vel a prima vel a correctrice manu oculis objiciebat, nullo amore libri sui nullaque invidia Rhenani ductus, summa fide et religione notavit. Quæ omnia, una cum suis conjecturis, quas diligenter a codicis lectione distinguit, ad calcem editionis primæ adjici curavit. Etiamsi vero Rhenanus et Burerius haud pauca correxerunt, tamen magnam emendationum faciendarum messem insequentibus editoribus Velleii reliquerunt.

Proximæ editiones principem illam maximam partem sequuntur, non tamen prorsus nihil, quanquam rarius, tentantes.

1525. Juntina. 8. cum Justino et Nepote. 'P. Velleii Paterculi historiæ Romanæ duo volumina nuper reperta diligentissimeque excusa.' In fine: 'Florentiæ, per heredes Philippi Juntæ Anno Domini 1525.'—Hac editione, primum collata a Ruhnkenio, nonnunquam non solum codicis lectio, sed etiam Rhenani et Burerii, ipsiusque Juntæ, quanquam paucissimæ, conjecturæ receptæ sunt, sed judicio recto non ubique adhibito.

1532 Avenionensis. Fol. curante Ant. Bonhommæo, a nemine fere editorum, præter Schegkium, propter raritatem collata. Pressius sequitur editionem primam, nonnulla tamen corrumpens, paucissima emendans.

1538 Parisiensis Vascosani, quæ adhæret Appiano Alexandrino ex Candidi versione Latine excuso Parisiis 1538. Fol.—Hujus editionis lectionem variantem Ruhnkenius etiam primus dedit. Vascosanus vero pluribus in locis, quam priores, editionis primæ textum tentavit, non tam priorum judicia, quam sua, sequens, omninoque lectioni faciliori reddendæ studens. Nec infelix in emendando Velleio insequentium editorum bonas verasque conjecturas occupavit.

Novam vero quasi faciem induit Velleius editoris Basileensis, ignoti quidem, sed perdocti et acuti, hominis, cura. Ab hoc recensitus Noster adjectus est editioni Scriptorum Historiæ Augustæ, antea an. 1517. ab Erasmo curatæ, nunc repetitas sub indice:

1546 Vitæ Cæsarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Ælius Spartianus, &c. Annotationes D. Erasmi Roterod. et Bapt. Egnatii in vitas Cæsarum. Accesserunt in hac editione Velleii Paterculi Libri II. ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileæ, apud Frobenium. Fol. Qui titulus male

inspectus et intellectus est ab iis, qui hanc editionem, Erasmum, an. 1536. jam defunctum, Velleii castigatorem fingentes, *Erasmicam* vocarunt. Quisquis vero fuerit hic emendator Basileensis, is sane experientia librorum Matorum et vitiorum librariis solennium, antiquitatis cognitione, dictionis elegantioris peritia, et ingenii acumine iustructus, inter reliquos editores fere plurimum ad Velleium emendandum contulit; sed ingenii sui impetum magis quam priorum judicia secutus, in effrænatam audaciam corrigendi incidit, ut, quod ab omnibus intelligi posset, dandum ratus, vehementiori medicina et sæviori manu in ulceribus sanandis uteretur. Ita factum, ut prope novum et a Rhenaniano diversum Velleium protruderet. Sed cum, si minus manum Velleii, certe tamen, quod intelligi posset, exhiberet, editio hæc Basileensis cupide arrepta; Rhenaniana autem, tot ulceribus scatens, neglecta est. Itaque Basileensem hanc recensionem repetierunt sequentes editores ad Aldum Manutium usque.

1552 Velleius, una cum Floro a Jo. Camerte recensito, Sexto Rufo, Messala Corvino, et Eutropio. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 12.

1560 C. Velleii Paterculi historiæ Romanæ Libri II. cum eodem Floro, &c. Parisiis, apud Hieron. Marneuf. 12. s. 16.

1568 Velleius, inter Historiæ Romanæ scriptores, ab Henrico Stephano editos, præfixis Car. Sigonii Fastis consularibus, Parisiis. 4 voll. 8. quorum in primo Velleius subsequitur Sigonium.

Post hos de Velleio, non quidem edendo, sed emendando, meriti sunt Car. Sigonius, conjecturis suis in Fastis consul. et in notis ad Livium propositis, et Claud. Puteanus, (du Puy,) Parisius, qui animadversiones suas cum Aldo Manutio, nepote Aldi, editionem Velleii paraturo, communicavit. Is Aldus utriusque emendationes, auctoribus non nominatis, Puteano quidem rarissime, pro suis venditavit. Quod cum indigne ferret Puteanus, sua sibi vindicaturus, conjecturas suas collectas edere paravit. Sed morte cum præreptus esset, primum emissæ in lucem sunt in editione Velleii, Tacito adjuncta, Parisiis, 1608.

1571 T. Velleii Paterculi historiæ Romanæ ad M. Vinicium Cos. Libri II. ab Aldo Manutio, Paulli F. Aldi N. emendati, et scholiis illustrati. Venetiis, in ædibus Manutianis. 8.—Is primus editionem Basileensem deseruit, et antiquam lectionem editionis pr. restituere tentavit; in quo tamen nulla certa lege et pruden-

tia usus est. Textus enim Velleii temere conflatus est ex lectione et codicis, et editionis primæ, eaque depravata, et Juntinæ, cujus vitia typographica adeo repetiit, et editionis Basileensis, in locis quidem vexatis, et ex Burerii nonnunquam et suis ipsius conjecturis, raro felicioribus, nonnunquam temerariis, adeo erroribus. In notis alias, plerumque ineptas atque indoctas conjecturas, ab aliis deinde merito castigatas, proposuit. Tamen inter has felicia quoque inventa protulit. Præter annorum numeros de nominibus propriis restituendis maxime meritus est. Velleio explicando etiam, sed obiter et parce, operam dedit. Denique ei debemus Petr. Delbenii, docti et acuti adolescentis, conjecturas, licet paucissimas.

1588 Velleius, cum diversis locorum scripturis, in Tomo I. Scriptorum historiæ Rom. a Frid. Sylburgio editorum Francofurti ap. Wechel. Fol.—Textum a typographorum Juntinæ et Aldinæ vitiis purgatum, et editionis pr. et codicis lectione revocata, Basileensisque editoris correctione prudentius recepta, emendatiorem dedit Sylburgius: ipse vero de scriptore castigando parum meritus est.

1589 Jac. Schegkius Velleium a se recensitum cum notis Aldi et suis edidit Francofurti apud Wechel. 12. quæ editio est rarissima. Is editione Rhenani, Bonhommæi, Basileensis, Aldi, et conjecturis Sigonii, Puteani, Lipsii, et Ursini usus, textui modeste purgando et emendando studuit, rarius autem ipse pro modestia sua, qua Lipsio se admodum probavit, in notis aliquid tentavit. Studuit quoque et dictionis et rerum interpretationi.

1590 Valent. Acidalius, Witstockiensis, in itinere per Italiam facto, Shegkianam editionem nactus, Paterculum emendandum aggressus est, eumque recensitum cum Velleianarum lectionum libro edidit Patavii apud Paul. Meiettum. 12.—Acidalius, homo doctus et acutus, in scriptis libris legendis exercitatus, textum Schegkianum passim priorum criticorum conjecturis, nonnunquam et suis, quarum certus erat, emendare conatus est. Inprimis non solum editorum vitio obtrusa Velleio, sed etiam alia spuria et suspecta expunxit. Plura vero egregie inventa, quibus Lipsium adeo occupavit, et optimis criticis ingenium suum et doctrinam probavit, contulit in medium, laborans maxime de dictione Velleiana restituenda et illustranda.

Acidalium excepit inter editores Paterculi

1591 Justus Lipsius, vir magnæ sagacitatis, solertiæ, et eruditionis, præclari critici exemplar, in Nostro emendando se ipso quasi superior. Is emendationibus compluribus in prioribus scriptis antea propositis, et Velleio publice auditoribus exposito, in lucem emisit eum h. a. animadversionibus suis castigatum, typis Raphelengii. 8. adjectis a Raphelengio variis lectionibus, ex Aldi et Schegkii editionibus notisque excerptis, et conjecturis ex Lipsii docentis ore exceptis: quæ editio sæpius dein repetita est. Omnes vero editiones Lipsianæ non textum ab editore recensitum, sed potius Aldinum exhibent; at in animadversionibus post editorem Basileensem fere plurima, et quidem desperatissima loca, varia ope et arte, mira felicitate sanavit. Eminet Lipsius inter reliquos Velleii emendatores lacunas ab ipso primum observatas bene explendo, et scriptori passim acumen suum reddendo. Plurimas emendationes ex rerum historia, a vestigiis tamen codicis haud recedens, hausit; omnes eruditionis suæ copia firmare conatus est. Idem post Aldum numerorum coruptelis sanandis iterum operam dedit. Raphelengii autem, qui priores edd. haud accurate inspexit, fides et solertia parum laudis meretur, ab ipsoque Paterculus parum profecit.

1594 C. Velleius Paterculus, cum Aldi Manutii scholiis, J. Lipsii animadversionibus, Jac. Schegkii notis; Vinc. (sic) Acidalii variis lectionibus. Lugduni. 8.—Cf. an. 1602.

Post Lipsium Fulv. Ursinus de Paterculo meritus est, non quidem edendo, sed notulis eum castigando, quas

1595 Fragmentis Historicorum Rom. Antwerpiæ, 8. in Velleium aliosque historicos subjecit; quarum nonnullas jam in opere de Familiis Rom. 1577. proposuerat. In nominibus propriis, quorum multa prodigiose corrupta editor Basileensis, Aldus, et Lipsius reliquerant, restituendis præcipue feliciter versatus est, quippe qui veterum titulorum et nummorum usu exercitatus erat atque adjutus. Reliqua parca manu et sparsim tantum tentavit.

1596 C. Velleius Paterculus. J. Lipsius recensuit. Apud H. Commelinum. 24. sine notis. Cf. supr. ad an. 1591.

1600 Antverpiæ. 4. ex officina Plantiniana, apud Jo. Moretum. Post Tacitum, a J. Lipsio postremum recensitum.

1602 Francofurti, ex offic. Palthoni. 12. quam pro iterata Lugdunensi Gallica an. 1594. habet Burmannus. Textum exhibet Aldinum cum depravationibus omnibus et operarum vitiis.

1607 Velleius, cum notis Lipsii, additus Tacito. Antverpiæ, apud Jo. Moretum. Fol.

— Aldinum textum, quem Lipsii editiones revocaverant, deseruit iterum Janus Gruterus; Sylburgii, Schegkii, Acidaliique exemplum, non tamen per omnia, secutus, sed suo potius judicio usus scriptorem ad codicis et editionis pr. fidem restituere conatus est. Edidit Paterculum cum eruditorum variorum notis atque suis, Francofurti. 1607. 16. Ipse pauca tantum vere emendavit, potissimum, quod obtrusum scriptori videbatur, resecando; cui sanandi rationi plerumque nimium ac temere indulgebat. Annotatio autem reliqua in politica et ethica expositione potissimum versatur. Ceterum primus Velleii opusculum in capita distinxit.

1608 Velleius, cum n. varr. Rhenani, Burerii, Manutii, Schegkii, Lipsii, Ursini, et (quæ primum prodiere) Claud. Puteani, additus Tacito a Car. Auberto. Parisiis, apud Chevalier. Fol. Vid. supr. post an. 1568.

1609 Ex rec. Jani Gruteri, inter Scriptores historiæ Rom. Lat. a Petr. de la Roviere editos Aureliæ Allobr. s. Genevæ. Fol. et mox

1611 Inter Scriptores historiæ Augustæ min. a Grutero ipso curatos Hanoviæ. Fol.

1614 Cum annott. Lipsii. Monachii. 12.

1615 In Epitomis historiæ Rom. ex offic. Plantiniana Raphelengii. 16.

1620 P. Velleii Paterculi historiæ Rom. Libri II. ex recensione et cum scholiis Auson. Popmæ. Franequeræ. 12.—Textum exhibet praviter recensitum, at notis non contemnendis, quæ chronologica et historica explanant, instructum.

1623 In collectione Scriptorum historiæ Rom. Lat. Genevensi, repetita ex illa 1609. Fol.

1627 Cum Tacito Lipsii. Antverpiæ. Fol.—Repetitio ed. 1607.

1630 Inter historiæ Rom. Epitomas. Amstelodami, apud Jo. Jansson. 16.

1632 Inter historiæ Augustæ Scriptores Lat. minores a M. Zuerio Boxhornio editos Lugduni Bat. 5 voll. 12.—Is textum fere repetiit eundem, quem Popma novissimum dederat, plurimis insuper typothetarum erroribus scatentem. Notulas adjecit paucas, easque tumultuarie conscriptas.

Plus profecit Paterculus a Gerardo Vossio, qui lectionem an-

tiquam religiosius revocavit, religioseque vestigiis lectionis antiquæ insistens, modeste bonas emendationes et doctas protulit, scriptorisque verba et res traditas passim bene explicuit. Prodiit ejus editio hoc titulo :

1639 M. Velleii Paterculi historiæ Romanæ quæ supersunt, cum notis Gerardi Vossii G. F. Lugduni Bat. ex officina Elzeviriana. 12. Quæ editio ita placuit, ut sæpius in Belgio et Germania repeteretur.

Vossium secuti sunt editores, qui priorum criticorum conjecturis ad textum Velleii constituendum frequentius usi sunt, quorum primi fuerunt Jo. Henr. Boeclerus et Nic. Heinsius. Ille quidem typis exscribi curavit Paterculum.

1642 Argentorati. 8. cum notis partim verba et res illustrantibus, partim præcepta vitæ et artis civilis exhibentibus, una cum Characteribus politicis et Diss. de Amnestia, necnon cum Indice rerum et Latinitatis ab ipso confecto, qui instar sit Clavis Velleianæ. Repetita est hæc editio ibid. 1663. et 1682. sed omissis iis, quibus redundabat prior, et textu, ut præ se ferebat Boeclerus, puriori ; in quo constituendo recipiendum esse putavit, quicquid boni et veri a prioribus editoribus ad sananda vitia codicis et editionis pr. prolatum esse sibi videbatur. Itaque ab omnibus, (a Lipsio longe plura,) nonnunquam nimis fidenter, nec critico acumine ductus, recepit. Ipse paucissima modo tentavit.

Quæ subsequuntur editiones usque ad Heinsianam 1678. vel ex antecedentibus repetitæ sunt, vel si novi quid in iis allatum, nihil tamen eo ad emendationem, ad interpretationem parum, profecit Velleius.

1644 C. Velleii Paterculi historiæ Romanæ Libri duo, cum annotationibus Ægidii Lacarri. Parisiis. 12.—Nullius momenti dicitur Burmanno.

1647 In historiæ Romanæ Epitomis. Amstelodami, apud Janssonium, 16.

— Ex emendatione Justi Lipsii. Parisiis, apud viduam Jo. Libert. 12.

1649 Inter historiæ Rom. Epitomas, a Nic. Blancardo editas Lugduni Bat. 12.

1653 Ex recensione Gruteri, in Tom. I. Scriptorum historiæ Romanæ Lat. Genevæ, per Sam. Chouet. Fol.

— Cum notis Ant. Thysii, et selectis variorum, sed misere detruncatis et fœdatis, Lugduni Bat. ex offic. Franc. Hake. 8.

1654 Lugduni Bat. apud Elzevir. 12. cum notis Ger. Vossii.

1658 Parisiis. 8. curante N. Taverniero.

1663 Boeeleri II. emendatior. Argentorati. 8. Cf. an. 1642.

— Christoph. Adami Ruperti Observationes ad C. Velleii Paterculi historiæ Rom. Libros II. adjectæ ejusdem Dissertationibus ad Valerium Max. Norimbergæ. 8. — Ruperti opera potissimum versatur in Velleio ad usus ethicos et politicos advocando, præcepta hujus generis exemplis historicorum et sententiis auctorum similibus conferendis.

1664 Amstelodami, apud Elzevir. 12. cum notis Ger. Vossii.

1668 Tacito Lipsii additus. Antverpiæ, apud Plantin. Fol.—Repetitio ultima ed. 1607.

— Cum notis selectis variorum et Ant. Thysii. Lugduni Bat. ex offic. Hackiana. 8.—Repetitio ed. 1653.

1675 C. Velleii Paterculi historiæ Rom. Libri duo. Interpretatione et notis illustravit Rob. Riguez e Soc. Jesu, in usum Delphini. Parisiis, apud Freder. Leonard. 4.

1678 C. Velleii Paterculi quæ supersunt. Nic. Heinsius recensuit et castigationum libellum addidit. Amstelodami, apud Elzevir. 12.—Is in tractandis poëtis Latinis ut felicissimus erat, ita in Velleio emendando poëticæ rationi, quæ familiarissima ei erat, quam plurimum indulsit. Neque tamen fieri aliter poterat, quin Heinsianum ingenium sagax, critica arte bene exercitatum, et Ovidii, acumina avide captantis, lectione satis nutritum, in scriptore ingenioso et acuto multa recte, eleganter, et scite emendaret. In textu Velleii constituendo a Boeclero, partim antiquam lectionem diligentius revocando, partim plura priorum editorum bene inventa, adeo et sua, recipiendo, recedit. In Castigationibus autem criticum solum egit; sed crisis ipsa adhibita in explorandis et firmandis suis aliorumque conjecturis, multa quoque attulit, quæ explicandæ dictioni maxime inserviunt. In iisdem quoque aliorum eruditorum popularium conjecturas ineditas, ut Ortuini, Munkeri, Perizonii, Cuperi, publici juris fecit. Post editum Velleium ad marginem exempli sui multa loca tum retractavit, tum novis animadversionibus auxit; quas curas posteriores deinde Burmannus cum Velleio suo edidit.

1682 Boecleri III. Argentorati. 8.—Repetitio ed. 1663.

1687 Francofurti. 8. cum notis Ger. Vossii.

1693 C. Velleii Paterculi quæ supersunt, cum variis lectionibus optimarum editionum, doctorum virorum conjecturis et castigationibus, et Indice locupletissimo. Præmittuntur Henr. Dodwelli Annales Velleiani. (Cura Joannis Hudsoni.) Oxoniæ, e theatro Sheldoniano. 8.—Textus exprẽssus est ex ed. Heinsiana.

1703 Cum notis Vossii. Hanoveræ. 12. et Francofurti. 12.

1707 Cum notis Christoph. Cellarii, et indice rerum verborumque. Lipsiæ, apud Fritsch. 12.—Is textum Heinsianum ita exprimendum curavit, ut ipsas Heinsii conjecturas complures, interdum temere captas et dubias, reciperet. Notæ leviter sunt corrasæ.

— Cum notis Christ. Junkeri. Francofurti et Lipsiæ. 12.—Nullius pretii editio.

1710 Lemovici. 8. cum versione Gallica.

1711 Hudsoniana repetita Oxoniæ. 8. cum Annotationum libello.

1712 Cum Jo. Georgii Walchii commentt. ad modum Minellii. Lipsiæ. 12.

1713 Cum variis lectionibus et Indice copioso, cura Mich. Maittaire. Londini, ex offic. Jac. Tonson et Jo. Watts. 12.—Nitore potius, quam ingenio et eruditione adhibita, commendatur.

1714 Parisiis. 8. cum notis Justi Lipsii.

1717 Cum Jo. Georg. Walchii comm. ad modum Minellii. Lipsiæ, ap. Weidmann. 12. Repetitio ed. 1712.

1718 Londini. 12. recusa ed. Mich. Maittaire.

1719 C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex historiæ Romanæ voluminibus duobus, cum integris scholiis, notis, variis lectionibus, et animadversionibus doctorum, curante Petr. Burmanno. Lugduni Bat. 8.—Repetita est hæc editio post Burmanni obitum eodem loco 1744. cum notis novis, quas margini editionis suæ ascripserat, in quibus etiam novas eruditorum conjecturas, quæ ei deinde innotuerant, laudat, v. c. Warburtoni, nullius fere pretii, Eruditi, qui in Actis Erud. Lips. 1721. Burmannianam editionem dijudicavit, et Christii in Noct. Acad. Spec. I. Burmannus ipse ab editione prima, ubi tolerabilis lectio sibi videretur, haud recessisse profitetur, non tamen abstinuit se a recipiendis priorum criticorum, Basileensis editoris maxime, conjecturis, ubi vitium editionis illius manifestum erat. In notis et lectionem antiquam priorumque inventa sub examen vocat, et novas, in quibus autem acumen sæpius desideratur, emendationes profert, et dictionem

pariter ac res passim explicat. Neque tamen Paterculus omnino ejus ope destitutus est; nam et bonas emendationes, quamvis pauciores, in medium protulit.

Severum censorem invenit Burmannus Thom. Wopkensium, qui in Lectionibus Tullianis, deinde in Adversariis criticis in Velleium, quæ expressæ sunt in Misc. Obss. Vol. VIII., acerbe eum vellicavit, cuique Burmannus, iracundia exacerbatus, respondit in Misc. Obss. Vol. IX. Neque hæc acris contentio, sive ad crisin, sive ad interpretationem Paterculi quod attinet, sine fructu fuit. Dedit enim nobis, præter alia, Wopkensii conjecturas. Sed multo major sane ille fructus fuisset, nisi utriusque aciem animus graviter perturbatus præstrinxisset.

Æquiores judices nactus est Burmannus in Germania, quos paulo ante nominavimus; quorum alterum, qui in Actis Erud. Lips. 1721. Burmanni operam dijudicavit, Cortium fuisse suspicatur Ruhnkenius. Is, pariter ac Christius, nonnulla quoque Velleii loca critica manu tentavit.

Sub idem fere tempus prodiit Jo. Schefferi liber *ἀνέκδοτος* Adversariorum in Velleium in Misc. Obss. Vol. VIII. et IX. Sed Schefferus laborat libidine quadam emendandi quæ depravata non sunt, neque in conjecturis proferendis felix est.

1721 Edinburgi. 8.

1723 In Tom. I. Epitomarum historiæ Rom. duobus voll. edit. Florentiæ. 8.

1725 Londini. 12. repetita ed. Mich. Maittaire.

1726 Parisiis. 4. recusa ed. Rob. Riguez in usum Delphini.

1730 Eadem Londini, apud W. Innys. 8.

1731 Cum notis Germ. Sinceri. Marburgi, ap. Krieger. 8.

1737 Eadem, Giessæ. 8.

1743 seqq. In Tomo II. Scriptorum Latinorum veterum historiæ Rom. edente Bennone Casp. Haurisio. Heidelbergiæ. Fol. c. figg.

1744 Burmanniana II. auctior. Lugduni Bat. ap. Sam. Luchtmanns. 2 voll. 8.—Cf. an. 1719.

— Londini. 12. repetita ed. Mich. Maittaire.

1746 Parisiis. 12. ap. Mich. Steph. David, accurante Steph. Andr. Philippe.

1752 Ex editione Burmanni fideliter expressa. Glasguæ, in ædibus academicis excudebant Robertus et Andreas Foulis. 12.—Elegans editio.

1754 Parisiis. 12. Eadem cum ed. 1746. mutato tantum titulo.

1756 Curante Jo. Petro Millero. Berolini, sumtibus A. Haude et J. C. Speneri. 8 min.

— Cum notis Burmanni et variorum. Roterodami, apud Dan. Beman. 8.

1762 Halæ, sumtibus Orphanotrophei. 12.

— ex recensione et cum commentario perpetuo Jo. Frid. Gruneri. Coburgi, apud Abl. 8.—Hanc ed. Grunerus maximam partem apparatu editionis Burmannianæ concinnavit. Neque tamen Burmanni vestigia in constituenda textus lectione pressit, sed ad lectionem editionis pr., sæpius quam codicis, (Burerium enim, Burmanni judicio præoccupatus, sublestæ fidei testem habet,) recurrit, et in recipiendis aliorum emendationibus suum secutus est judicium, quod nonnunquam Ruhnkenii sententiam congruentem postea invenit. Eundem Ruhnkenium, hujus editionis ignarum, occupavit vel in nonnullis, quamvis paucioribus, locis sua conjectura tentandis, vel in firmanda et explicanda seu antiqua lectione, seu correctione a critico quodam proposita. Ceterum ingenio et acumine Grunerus inter editores Velleii non eminet, nec ubi de suo, (quod tamen rarius fecit,) edidit, uno fere loco excepto, doctis probabitur. Verum ad explanationem scriptoris non tantum ex aliorum annotationibus bona excerpsit, sed ex suæ etiam eruditionis penu nova attulit. Pariter in usum Velleii advocavit virorum doctorum conjecturas in annotationibus ad alios scriptores propositas, v. c. Marklandi, Arntzenii, Oudendorpii, cet. Merito autem in laudanda editionis pr. et codicis lectione, necnon in enarrandis criticorum conjecturis, Gruneri desideranda est diligentia.

1769 Parisiis. 8. cum versione Gallica Abbatis Pauli.

1770 Eadem, Avenione. 8.

1777 C. Velleii Paterculi historiæ Rom. Libri duo. Nova editio ex collatione veterum editorum emendata. (Curante J. N. Lallemand.) Parisiis, apud Jo. Barbou. 12. Nitida editio, nudum textum exhibens.

1779 Ruhnkeniana: C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex historiæ Rom. voluminibus duobus, cum integris animadversionibus doctorum, curante Davide Ruhnkenio. Lugduni Bat. apud Sam. et Is. Luchtmans. 2 voll. 8 maj.—Prior Tomus continet, Ruhnkenii et priorum editorum præfationibus, et Dodwelli Annalibus

Velleianis præmissis, textum Paterculi cum notis integris Rhenani et Burerii, quibus accessit Ruhnkenii ipsius annotatio. Alter vero exhibet omnem editionis Burmannianæ apparatum. Præfationis docta et perita est disputatio de editorum priorum meritis, de ipsius scriptoris adulationis iniquius incusati, moribus, ingenio, dicendi ratione, et Sallustium imitandi studio. Contextum vero Velleii religiosius, quam ceteri, ad fidem codicis atque editionis primæ, orthographia adeo ubique servata, dedit, nisi quod pro lectione monstrose corrupta non solum manifestis criticorum correctionibus, sed etiam suis, locum dedit, notata tamen diligenter lectione vetusta. Nam ubi de emendatione quadam aut non liquido constabat, aut ubi de correctione invenienda desperandum erat, vel codicem vel editionem pr. fideliter expressit; at in notis variorum tentamina cum suis, si quid ingenium ipsi suppeditabat, proposuit et examinavit. Uti vero in his criticum verecundum ac modestum, ita in odorandis vitiis sagacissimum, in sanandis acutissimum egit, ut principibus emendatorum Velleii annumerandus sit. Quod Rhenani et Burerii notas integras dederit, id gratissimo animo accipiendum, cum a præcedentibus plerumque antiqua lectio et Rhenani Bureriique conjecturæ admodum negligenter et confuse traditæ fuerint. In lucem quoque protraxit aliorum Criticorum, qui obiter vel ad alios scriptores vel in epistolis, vel in margine exempli sui aliquid tentarant, conjecturas, v. c. Perizonii, Davisii, Boheri, Oudendorpii. Ceterum ad elegantiam, acumen, et mentem Velleii intelligendam, necnon ad res illustrandas ex elegantissima eruditionis et ingenii copia quamplurima subministravit; inprimis vero et Sallustium, tanquam exemplar Velleii, et Lucanum, Sulpiciumque Severum, ejus imitatorem, in auxilium advocavit.

Ruhnkenii operam in Velleio collocatam diligentissime enarraverunt viri docti inter Belgas in Biblioth. crit. Amstelod. Vol. I. P. IV. pag. 45. sqq. inter Germanos et in Ephemerid. lit. Goetting. 1779. Addit. pag. 119. sqq. et in Biblioth. Univers. Germ. Berol. Tom. XLVIII. P. II. et in Bibl. philolog. Lips. Vol. I. pag. 40. sqq. Inter hos populares nostri non solum Ruhnkenii operam exegerunt et dijudicarunt, sed etiam novas conjecturas suas proposuerunt.

1780 Velleius Paterculus, novissime emendatus et illustratus studiis Societatis Bipontinæ. Editio accurata. Biponti, apud Petr. Hal-

lanzy. 8 maj.—Editor potius ingenii sui et seusus impetum, quam vestigia codicis et editionis pr. rationem criticam, ingenium auctoris sui, et optimorum Criticorum judicia secutus, non satis felix fuit nec in purgando, ut rebatur, textu, nec in recipiendis virorum doctorum, quos sæpius reticet, conjecturis, nec in reperiendis emendationibus, quas tamen audacter, et nonnunquam tacite, in contextum admisit. Inter ipsius tamen inventa sunt nonnulla laude non indigna. [Bona fide descripsimus viri docti judicium de nostra hac editióne. At vero excusandus magis quam culpandus editor Bipontinus, qui multa loca, a novissimis criticis, maxime a Ruhnkenio, feliciter curata non tentaturus denuo, neque horum virorum egregie inventa neglecturus erat, si ad manus ei fuisset Ruhnkenii editio, quam non nisi ex Ephemeridibus liter. Goetting. cognitam habuit, sub prelo jam sudante Velleio. Unde factum, ut eas tantum viri sagacissimi emendationes vel in usum suum verteret, vel saltem citaret, quas a docto Censore laudatas videret. Miramur, Krausium hoc non animadvertisse. Ceterum habet, quo ingenio suo gratuletur editor Bipontinus, quod subinde in easdem cum Ruhnkenio veras conjecturas incidit.]

1790 Mannhemii. 8 min. accurate ad optimas editiones recognitus. Sic quidem titulus.

1794 Ex recensione Societatis Bipontinæ. Norimbergæ, apud Riegel. 12. sine notis.

1800. Krausiana major: C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex historiæ Rom. Libris duobus. Recensere et commentario perpetuo illustrare cœpit Christ. Dav. Jani. Continuavit Jo. Christ. Henr. Krause. Accesserunt Caroli Morgenstern Commentatio de Velleii fide historica, &c. et Jo. Friderici Herel Annotationes criticæ in Velleium. Lipsiæ, sumtibus E. B. Schwickerti. 8 maj. —In præfatione consilium editionis hujus sic exponit Krausius: ‘ Deerat editio Velleii bene parabilis, in qua ex omni parte satisfactum erat aut eruditioribus lectoribus, aut iis qui oblectationis et studiorum liberalium causa veterem scriptorem manu versant, vel juventuti provectiori; in qua lectio Velleii facta sit minus impeditior; in qua omnia in promtu atque parata sint, quæ vel ad lectionem dijudicandam, vel ad dictionem intelligendam, vel ad res expediendas legentibus ad manus esse debeant.—Talis editionis defectus inter causas fuisse videtur auctoris egregii

hodie fere neglecti, neque in scholis explicati. Literis igitur Latinis omnino bene consultum iri profecto videbatur editione nova paranda, in qua textus Velleii ex optimorum criticorum conjecturis, quantum in codicum omnium jactura fieri posset, purgatior et emendatior exhibeatur; in qua dictio exquisitior, quæ nonnunquam emendandi licentiæ locum dedit, vindicetur, et ex elegantioribus scriptoribus illustrata firmetur; in qua Velleii mens et acumen ob oculos ponatur et explicetur; in qua scriptori cum aliis rerum narratarum auctoribus comparato et fides concilietur probeturque, resque Romanæ lectoribus, eas intelligentibus, brevius contractæ explanentur, iis, quæ aliunde constent, in medium collatis; in qua ex omni antiquitatis doctrina, quæ lucem offundant, quæque scire opus sit, ea omnia suppeditentur; in qua denique difficultatibus cujuscumque generis, quæ morari possent lectores, succurratur. Talem editionem parabat Jani beatus; cujus vestigia in opere perficiendo sequi, meum erat, quem ut assequerer, magnopere studebam.' Præfationi subjuncta sunt: 1. Addenda et corrigenda. 2. Index in notas. 3. Prolegomena de Velleii vita, operis indole, codice, editionibus, &c. 4. Car. Morgensternii Commentatio critica de fide historica Velleii. Sequitur textus Velleii cum chronologia marginali, et commentario perpetuo, multiplici doctrina pleno. Volumen claudunt Frid. Herelii Annotationes criticæ ad Velleium, et Indices rerum memorabilium atque Latinitatis.

1803 Krausiana minor: C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex historiæ Rom. Libris duobus. Denuo recognovit, et cum codicis et editionis primæ lectione conjecturisque virorum DD. selectis, necnon Indicibus in scholarum usum, edidit Jo. Christ. Henr. Krause. Lipsiæ, impensis E. B. Schwickerti. 8 maj.—In hac editione, usui juvenum destinata, editor passim refinxit textum editionis majoris, ita ut vel antiquam lectionem revocaret, vel vestigia ejus pressius sequeretur. Singulis paginis subjectæ notulæ, in quibus receptæ lectionis auctores laudantur. Chronologia, margini apposita, subinde emendata est. Prolegomena in arctum contracta, novisque curis elaborata sunt. Indici Latinitatis adjecta interpretatio.

[Utriusque hujus et Ruhnkenianæ editionis bonis in curanda nova nostra ita usi sumus, ut non solum omnia, in quibus offenderat editor Bipontinus, saltem nobis offendisse videbatur, muta-

remus, adeoque textum, quantum fieri poterat, quam emendatissimum exhiberemus; sed etiam notas vel criticas, vel ad interpretationem pertinentes, subinde excerperemus, Indicemque glossatum, qualem fere dedit Krausius, in communem studiosorum utilitatem, cui quisque sine invidia consulere tenetur, adjiceremus. Qui ampliorem commentarium, in rebus maxime historicis, desiderabunt, iis facile satisfaciet ed. Krausiana major.]

* * *

Denique sunt viri docti, qui Animadversionum libellis, vel singulatim in Velleium, vel in varios auctores conscriptis, de Nostro meriti sunt. Ex illorum numero sunt Jo. Jac. Hottingerus, Professor literarum humaniorum apud Turicenses clarissimus, et Jo. Frid. Herelius, Professor quondam Erfurtensis. Hottingerus enim Libellum animadversionum in Velleium inde ab initio usque ad II. 26. publici juris fecit in Museo Turicensi 1782. Vol. I. Tom. 2. pag. 349—363. crisin exhibentem sane doctam, accuratam, et modestam, vestigia libri vetusti prementem. Præter has idem vir doctus alias ineditas communicavit cum Herelio, qui eas intexuit partim suis Annotationibus criticis, de quibus mox dicendum, partim ad me novam editionem parantem transmisit; quarum ratio habita est suis locis in editione mea Lipsiensi 1800. Alter Herelius primum ediderat: Kritische Beobachtungen über die Roem. Geschichte des Velleius. Erfurt. 1791. 4. Hunc librum, deinde retractatum, et, locis dubiis et suspectis per totum scriptorem sub examen vocatis et conjectura tentatis, auctum, sub indice Annotationum criticarum ad Velleium, ad calcem editionis nostræ evulgandum permisit; quo sane meruit, ut inter emendatores Velleii sagaces, doctos, familiarissimos cum auctore suo, et elegantes numeraretur.

In Observationum criticarum in varios scriptores libellis alterum alterumve Velleii locum tentarunt, primum Jo. Ad. Nodellus in Criticarum Observationum libello, Campis 1781. cap. 7. pag. 79. deinde Everwin. Wassenbergius in ‘ Diss. de nominibus hominum et locorum propriis, librariorum culpa aliisve de causis in veterum scriptorum libris frequenter obliteratis aut vitiatis.’ Franequeræ 1790. 4. § 22. tum Jo. Sterke in Suspicionum criticarum Spec. I. cap. 3. quod insertum est Actis Lit. Societatis Rheno-Trajectinæ 1793. Tom. I. denique Jo. Hildebr. Witthofius in Krit. Anmerkun-

gen über Horaz und andre Roem. Schriftsteller. Düsseldorf. III. Heft. pag. 102—110.

VERSIONES.

HISPANICÆ.

1630 Obras de Caio Velleio Paterculo, traduzidos por Manuel Sueyro. Anvers. 8.

1787 Velleyo Paterculo en Castellano, trad. por. el cel. Hisp. Portugues Em. Sueyro. Madrid. Espinosa. 4.

ANGLICÆ.

1632 C. Velleius Paterculus, his Roman History, translated into English by Sir Robert le Grys. London. 8.

1721 The Roman History of C. Velleius Paterculus, translated into English by Thomas Newcomb. London. 12.—Recusa ibid. an. 1724. 12.

1722 The Roman History of C. Velleius Paterculus, translated into English by Mr. Paterson. Edinburgh. 8.

GALLICÆ.

1610 Les Œuvres de C. Corn. Tacitus, illustré de Chronologie et annotations, avec l'histoire Romaine de C. Velleius Paterculus, traduits par Jean Baudoin. Paris. 4.—Repetita ibid. 1616. et 1628. 4.

1672 Abregé de l'histoire Romaine et Grecque, traduit du Latin de Velleius Paterculus, et tiré d'autres Auteurs pour servir de Supplément; comprenant depuis l'an du monde 1280. jusqu'à l'an de Rome 791. avec une Chronologie, par Jean Doujat. Paris. 12.—Repetita ibid. 1708. 2 voll. 8.

1710 L'Histoire de C. Velleius Paterculus, traduite en François, avec le Latin à coté: à Limoges. 8.

1769 Abregé de l'Histoire Grecque et Romaine, traduit du Latin de Velleius Paterculus, avec le texte corrigé, des notes critiques et historiques, une table géographique, une liste des éditions, et un discours préliminaire par Mr. l'Abbé Paul. Paris. 12.—Recusa Avenione 1770. et Parisiis 1785. 12.

GERMANICÆ.

1781 Des Publius Velleius Paterculus kurzer Begrif der Rœmischen Geschichte von Gründung der Stadt Rom an bis auf den Konsul Marcus Vinicius. Aus dem Lateinischen. Rotenburg an der Fulde. 8.

1793 Des Caius Velleius Paterculus Rœmische Geschichte. Uebersetzt von Friederich Jacobs. Leipzig. 8.—Præstans interpretatio, auctorem non solum fideliter et vere exprimens, sed etiam ejus ingenium consecuta.

NOVERIT, qui præcedentes paginas legerit, codicem Velleii Paterculi, præter unum in bibliotheca Cœnobii Benedictini Murbacensi a. 1515. inventum esse nullum, et primam editionem, per Beatum Rhenanum, Basileæ 1520. ex hujus apographo, non sine annotationibus et emendationibus multis, processisse. Interea codex ipse, singularis ille codex Murbacensis, evanuit. Patebit, igitur, nullum auctorem classicum occasionem adeo præbuisse criticis insecutis artis *conjecturalis* exercendæ. Nec miremur si, quod vix de alio ullo classico dicendum sit, de nostro dicatur. Bentleius (Phileleutherus Lipsiensis, p. 65.) prædicavit, libros ejus, post labores doctissimorum et acutissimorum criticorum per duo sæcula, esse, mansurosque, merum errorum cumulum. Immo Franciscus Asulanus, in Præfatione ad Livii editionem, (impress. Venet. in Ædib. Ald. 1518.) ausus est proferre, nihil fere Latinum legi in istis libris, et esse omnino supposititios. Adjicit Ernestius, (Fabric. Bibl. L. vol. II. p. 23.) 'Sed ea invidia fuit, et recte Gyraldus, dialogo II. de Poëtis p. 98. 'Velleius non damnandus Historicus, tametsi quidam insulse nullum fuisse Velleium suspicantur.'' De his vero, et aliis rebus quæ ad Velleium pertinent, pro suo quisque ingenio judicabit.

De Bibliothecis Britannicis igitur nihil hic dicendum manet, quia plutei earum nullum Velleii codicem continent, præter excerpta quædam manu exscripta ex libro impresso (ut in Publica Universit. Cantab. Bibliotheca), aut paucas notulas Mss. emendatorias (ut in Museo Britannico) cursim libro impresso interjectas.

Quod ad editiones pertinet, pauca manent subjicienda. Hæc pauca in paucis sequuntur.

Fragmentum de victoria Suevorum in Romanos p. 20. Suevic. Rer. Scriptor. per Goldastum Franc. 1605. Biblioth. Bodl.

C. V. Paterculi Hist. &c. 24mo. Amst. 1625.

Notæ in C. Velleium Paterculum, 8vo. Lugd. Bat. 1660.

Editio cum notis Variorum per A. Thysium, 8vo. Lugd. Bat. 1653. repetita Lugd. Bat. et Roterod. a. 1668. (ut in titulo) ex offic. Hackiana. Dedicationi subjungitur: 'Dabamus Lugd. Bat. ipsis Idibus Dec. 1667.' Hinc Fabricius annum huic ed. affigit 1667. Krausius, cujus Editionum Recensum Bipontinus editor recudit, 1668. Una quidem atque eadem editio est. Sed nec Fabricius nec Krausius notat edit. 1659., quæ multo accuratior est quam edit. 1667.

C. V. Paterculi Hist. &c. ex recensione Nic. Heinsii 12mo. Amst. 1678. a Krausio suo loco supra notata, hic iterum notanda, quippe exemplar hujus editionis in Museo Britan. cl. Bentleii notulas continet emendatorias.

C. V. Paterculi Hist. &c. ex recensione Dav. Ruhnkenii prodiit Roterod. 1804. 12mo.

C. V. Patterculi quæ supersunt ex Historia Rom. Libris II. Vindob. 1807. 8vo.

Krausii multum probata editio prodiit iterum Lips. 1808. 8vo. maj.

Lectionum Velleianarum Specimen edidit J. S. Rosenheyn. Berolin. 1810.—Perpaucæ harum conjecturarum placuerunt criticis Germanicis.

C. V. Paterculi Hist. &c. Anglice versa a G. Baker, 8vo. Lond. 1814.

C. V. Paterculi Hist. Rom. Libri II. Textu recognito,

insigniori varietate lectionum indicibusque adjectis. Edidit Armin. Heimartus Cludius. Hanov. 1815. 8vo. maj.— Ruhnkenii annotationes adjiciuntur, et alia quæ ad emendationem aut illustrationem pertinent. Bene audit hæc editio; sed venalis etiam est in tom. v. operis cui hic titulus, Corpus Historicorum Latinorum, cura et studio D. Fr. Ern. Ruhkopfii et Dr. Joach. Dieteric. Godofr. Seebodii.

C. V. Paterculi Hist. Rom. ex editione J. Ch. H. Krausii, sedula recensione accurata. Lond. 1818. 18mo.

INDEX

RERUM IN VELLEIO MEMORABILIUM.

INDEX

RERUM IN VELLEIO MEMORABILIUM.

Primus numerus librum, alter caput, indicat.

A.

Acanthus (arbor) in apparatu triumphi Pontici Jul. Cæsaris adhibita ii, 56

Accius, tragicus Rom. (circa U. c. 614) i, 17. ii, 9

Acerranis (in Campania) civitas data i, 14

Achæi (ab Heraclidis) ex Laconica pulsi i, 3 Achæi (fœderati) a Q. Metello Macedonico fracti i, 11. 12 a L. Mummio devicti i, 13 (coll. i, 12) Achæi (ad Ponti Euxini littus orientale habitantes) a Pompeio M. armis petiti ii, 40

Achaia ab Achæis occupata i, 3 fracta a Q. Metello Maced. i, 12 provincia facta a L. Mummio i, 13. ii, 38 Achaia provincia (h. e.) Græcia omnis intra et extra Isthmum, præter Thessaliam ii, 23

Achaicus, L. Mummius cognominatus i, 13

Achillas, aulicus Ptolemæi, Pompeii necandi auctor ii, 53 a J. Cæsare supplicio affectus ii, 54

Achilles, Pyrrhi pater i, 1 auctor materni generis Alexandri M. i, 6

Acidinus Manlius, L. adoptavit Fulvii Flacci filium ii, 8

Actium (Acarnaniæ oppidum in aditu sinus Ambracii) ii, 84 prælium apud Actium inter Octavianum et Antonium ii, 85

Adduus C. Cæsarem vulnerat in Armenia ii, 102

Adoptio Octavii per testamentum J. Cæsaris ii, 59 C. et L. Cæsaris, Agrippæ filiorum, ab Augusto facta ii, 96 Tiberii et Agrippæ Postumi ab eodem ii, 103. 104

Ædes ex marmore prima a Q. Metello Macedonico extructa i, 11

Ædes sex millibus HS. conductæ M. Æmilio Lepido a censoribus crimini datæ ii, 10 Velleii temporibus vix senatore dignæ, ibid.

Ægæi maris insulæ ab Ionibus occupatæ i, 4

Ægisthus, frater patruelis Agamemnonis, hunc obtruncat i, 1 VII. annos regnavit, ibid. ab Oreste necatus, ibid.

Ægyptus ab Augusto stipendiaria facta ii, 39

Ælius Catus, (Sex.) quo consule Tiberius ab Augusto adoptatus est ii, 103

Æmilius Sura de annis P. R. i, 6

Æmilius Paullus, L. qui ad Cannas infeliciter pugnans obiit i, 9

Æmilius Paullus, L. (præcedentis fil.) consul Perseum, Macedoniæ regem,

devicit i, 9 ejus laus, ibid. et triumphi, ibid. filii eorumque obitus et dictum patris memorabile i, 10
Ænaria (insula, hodie Ischia) ii, 19
Æoliorum migratio in Asiam et coloniæ i, 4
Ærarium e manubiis auctum ab Æmilio Paullo i, 9 a Pompeio M. ii, 40 a J. Cæsare ii, 56 ærarii reditus aucti a Jul. Cæsare et Augusto ii, 89 publicæ pecuniæ a publicanis fraudibus interceptæ a C. Sentio Saturnino in ærarium regestæ ii, 92
Impugnabat hæc (adversarius eorum erat) ii, 83
non Impune data pugnandi occasio (iis scl. qui pœnis a pugnando deterriti sunt) ii, 119
Impunitas (licentia, scl. militum, nihil pœnæ metuentium) ii, 125 gladiorum ii, 3
In Accio circaque eum tragœdia est (per Accium et æquales floruit, perfectior fuit) i, 17 in Antonio prætore decretum erat (de A.) ii, 31 in eo civitatis favor (erga eum) ii, 43 (cf. ii, 82. i, 12). in incerto est ii, 97 in hoc (in tantum) indulgente nobis Fortuna ii, 117 in hoc scilicet (hujus rei gratia) ii, 41. 27. 114
Inauditum mare ii, 106 (cf. Auditus)
Incendium militaris tumultus plurimo igne emicans ii, 125 amoris ii, 82 incendio abstruso pectus ejus flagravit (dolore recondito excruciatus est) ii, 130
Incepto pari (ablativi absoluti sunt) ii, 68
Incertum est ii, 40 in incerto est ii, 97
Incesti reus ii, 45 (cf. Clodius)
Incidere: ne in id incideret (scl. vitium) quod (in quod) Homerus i, 7
Incincti Hercynia sylva campi ii, 108
Inclinata hostium acies ii, 52. 55 inclinata in deterius valetudo ii, 123
Incolumis exercitus (nullo damno affectus) ii, 107. 120 incolumes (inviolatos) dimisit ii, 25 (cf. ii, 66)
Incolumitate donare (impunitate) ii, 100
Incondita multitudo (incomposita, sine ordine) ii, 14
Incorruptus animus ii, 72 (integer)
Incrementa omnia sua (ascensum ad honores) sibi debuit ii, 34 nec incrementi sui securam (ab opibus et viribus suis auctis) Italiam esse patiebatur ii, 109
non Incruentis centurionibus (vulneratis) ii, 112
Incubuit in gladium ii, 70
Incussa omnibus voluntas recte faciendi

(per vim legum injecta) ii, 126
Indemnatum civem Rom. qui interemisset (h. e. indicta causa) ii, 45
Indere cognomen ii, 91. 11 ex virtute nomen i, 11
Indicia (omina) et præsagia periculi ii, 57
Indignatio et dolor omnibus aderat ii, 61 indignatio casus tanti viri (de casu t. v.) ii, 19
Indignum (indignandum) ii, 66. 28
Indoles : ad erudiendum liberalibus disciplinis indolem juvenis ii, 59
Inducta nova disciplina ii, 1 inducturus (superducturus) omnibus magnitudine sua caliginem (h. e. obscuraturus) ii, 36
Indulgens Fortuna salutem ii, 117
Industria reddita civitati (opp. ignaviæ) ii, 126. 43 virtutes industria perficit (studium) ii, 97. 2 de industria (consulto) i, 2
Ineluctabilis fatorum vis (inevitabilis) ii, 97
Inescandæ multitudinis causa ii, 13
Inexpugnabiles gentes ii, 115
Inexsuperabilis manus (prædonum) ii, 32 inexsuperabiles difficultates ii, 120
Infamia pecuniæ (ex aviditate p.) ii, 33
Infectum luxuria, libidine, nihil reliquit ii, 100
Inferi (opp. superis, quod cf.) ii, 48
Inferiora hyberna (in Germania inferiore, in occidentali ripa Rheni, inde a Bingo usque ad ostia Rheni) ii, 120
Infert provincia contumeliam, periculum imperio Rom. ii, 90 illata aspide (scl. in locum custodiæ) ii, 87 (cf. ii, 22). illata pecunia in ærarium ii, 40 intulit se flammæ ii, 74
Infestare mare latrociniis ac prædationibus (intutum reddere) ii, 73
Infeste (infesto animo) disjecta domus ii, 45
Infestum mare (infestatum, qd. cf.) ii, 77
Infida pax (cui neutra pars fidere potest) i, 12
Infinita numero juventus ii, 106
Infirmari (irritum fieri, rescindi fœdus) a se factum graviter ferens ii, 2 (cf. ii, 90)
Infirmissimus valetudine (ægrotans) ii, 70
Influvium (profluvium) sanguinis cerebrique ii, 120
Infra servos cliens (adulator abjectiori animo, quam servili, addictus alicui) ii, 83 infra aliorum æstimationes se metiens (minorem, quam alii eum æstimabant, se judicans) ii, 127 e quo infra se et Cæsarem videret et remp. ii, 76 (h. e. despiceret : cf. ii, 15)
Ingeniose nequam (ingenium ad nequitiam adhibens) ii, 48. 68
Ingenium Homeri clarissimum illaxit, sine exemplo maximum i, 5 ingenii vigor ii, 18 ingenia eminentissima cujusque professionis i, 16 ingenium (oratorium) i, 18. ii, 34 ingenium sufficit bellicis operibus, pacis artibus ii, 97 (cf. i, 16). doctissimi (doctrina instructi) ingenii vir ii, 75 ingenio promtus ii, 118 ingenio instructissimus ii, 94 ingenio (animi indole) mitis ii, 117 (cf. ii, 35). ingeniis optimis male usi ii, 7 (cf. Succedere)
Ingens pecunia ii, 37 prælium i, 9
Ingenuæ virtutes (hominis liberaliter ad honesta formati) ii, 93
Ingredi Urbem curru (de triumphante) ii, 122 ingressus terram (cum exercitu infesto) ii, 102. 94 Syriam (provinciam suam aditurus) ii, 117 Germaniam mediam (progressus), ibid. tribunatum ii, 6 navem ii, 43 annum ii, 61 ingressus est Rhenum petere (aggressus est) ii, 119
Inhærere oculis animisque (obversari) i, 14. (de scriptoribus Velleio æqualibus) ii, 36 inhærens regni finibus (firmiter continens se, eos obtinens) ii, 129
Inhibere (prohibere) ii, 114. 125. 133
Inhoneste (cum turpitudine famæ) ii, 37. 46
Injiciens rixam (movens) i, 2
Inire honores ii, 33 potentiæ societatem (pacisci) ii, 44. 65 inita pax ii, 77 inire consilia ii, 88. 91 bella inita ii, 3 initum adulterium (tentatum) ii, 45
Inimica res disciplinæ (perniciosa) ii, 78
Inimicitias graves exercere ii, 45
Iniquitas fortunæ ii, 119
Initium fecit urbis incendii (auctor fuit) ii, 74 initium ejus finium (limes proximus) ii, 109 initia belli civilis exarserunt ii, 48 belli civilis restinxit initium ii, 88 in sua resolutus initia (de moriente, cujus animus, ex philosophorum mente, ad Deum tanquam originem redit) ii, 123 initiis obscurissimis natus (ortu) ii, 76 initiis fratris non respondit (operibus, quibus aliquis primum inclarescit) i, 9 ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis ii, 99 (cf. Obstare)
Injuria fratris (fratri illata) i, 1 Sic : i, 8. ab injuriis (avaritia et crudelitate) ma-

gistratuum vindicatæ provinciæ ii, 126 injurias, quæ intendebantur, æquo recipere animo ii, 13 provocantes alter alterum injuria (in juris certamen injuriis simulatis) ii, 118
Innixus genibus (repens) ii, 83
Innocens (vitiis sæculi non obnoxius, inprimis, abstinens) ii, 59 Sic: Innocentia, abstinentia ii, 29 (cf. ii, 37. Sallust. Cat. 54. cf. ii, 2). innocentes contentiones pro rep. (non nocentes adversariis) i, 11
Innutritus disciplinis ii, 94
Inopia gravis (scl. alimentorum) ii, 51 (cf. ii, 120. 94) locorum (in locis) ii, 54
Inquies (turbarum cupidus) ii, 68. 77
Inquietus ii, 11
Inquilinus novus Urbis (advena, Romæ non natus) ii, 128
Inscitia ducum (imprudentia militarium rerum) ii, 1 (cf. ii, 29)
cum Inscriptione speciosissima operum decreta ei ornamenta triumphalia ii, 104 (vid. M. Vinicius)
Insequens Thessalus (recentior) i, 3
Inserere cœlo manus (est, ardentissima vota facientium) ii, 103
Insidiari temporibus (speculari ea, qd. cf.) ii, 21 (cf. Tempus)
Insidiis tentare ii, 54 peti ii, 60 insidiarum (struendarum) tempus constituit ii, 118
Insigne regium (diadema) capiti imponere ii, 56. 122 insignibus regni assumtis i, 11 insignibus honorum se velare ii, 71 insignia consulatus ii, 20 consularia cum corripuisset ii, 58 ad triumphi insignia pervenerunt ii, 10 insigne coronæ classicæ ii, 81
Insimulare (falso incusare) ii, 60 (cf. ii, 77)
Insistere notis temporum (persequi temporum vestigia, h. e. historiam) i, 17
Insito amore partium Pompeianarum (proprio) ii, 62
Insolentia Catonis (inverecunde factum præter solitum) ii, 45
ex Insperato ii, 112
Instar consilii publici (pro consilio p.) habuit centum electos homines cet. i, 8 instar (formam, modum) xxx. legionum impleverat ii, 20 (cf. ii, 61). viri magnitudo multorum voluminum instar exigit ii, 29 salubritatis instar (aqua, quæ regioni pro re saluberrima est) ii, 81
Instigantibus in arma Corinthiis (solicitantibus) i, 12
Instincta in bellum Achaia (velut furore correpta) i, 12
Instituit facere theatrum (cœpit) i, 15
Instrui (doceri) ii, 92. 129 instructus viatico ii, 19 instructissimus studiis ingenioque (ornatissimus) ii, 94
Instrumentum balinei ii, 114
Intacta perniciosis consiliis plebs (incorrupta) ii, 3
Integer (bello non fractus) ii, 17. 115 integris rebus (ante armorum certamen) finire bellum ii, 50
Integritas Catonis (abstinentia a pecunia publica) ii, 45
Intellectus Corinthiorum (peritia operum C.) i, 13
Intelligi in quantum virtus potest (perspici, comprehendi animo) i, 9. ii, 43 Sic: aliquem intelligere ii, 114. 116
Intempestiva libertate usi ii, 68
haud Intempestive (commode) subtexturi videmur i, 14
Intendebantur injuriæ (parabantur) ii, 13
Intenta cura (acris) ii, 45 Sic ii, 62
Interdicere aqua et igni alicui (omni civitatis et societatis communione prohibere aliquem, ut solum mutare cogatur) ii, 45. 69
Interdum—interdum ii, 109 interdum (omisso priori) ii, 110
Interimere: ab Opimio interemtus est (jussu O.) ii, 7 (cf. ii, 87)
Interesse certaminis ludicro ii, 123. 114 quid interesse inter duces (discriminis) ii, 80 interest reip. (conducit) ii, 127. 72
Interjecto triennio i, 14 brevi spatio ii, 99
in Interiora refugiens (loca remotiora a finibus imperii Rom.) ii, 108 abdito exercitu ii, 110
Interit fortuna urbium cet. ii, 11
Interius penetrare (in interiora Germaniæ) ii, 120
Interminata cupiditas imperii ii, 33
Intermissa familiæ claritudo (cessans) ii, 17 (cf. Claritudo) Sic ii, 28
ad Internecionem cæsus exercitus ii, 110. 119
Interpellare triumphum alicujus (ei obloqui) i, 9
Interponere se armis (bello, tanquam arbitrum) ii, 50 interpositis annis i, 14. ii, 6
Interpretabatur clementiam victoris pro sua virtute (ut virtutis suæ meritum) ii, 83 totam victoriam ut suam interpretaretur (sibi vindicabat) ii, 80

Interrogatus lege repetundarum (accusatus) ii, 13
Intervallo (locorum) æquali ab hoste diviso copiæ ii, 110 magno post intervallo (temporis) i, 4 intervalla negotiorum (tempus a negotiis vacuum) i, 13
Intima (littora) Ponti Euxini ii, 40
Intra (citra tertium milliarium ii, 27 (Sic etiam de tempore) ii, 11. 14. 102 intra mille annos natus i, 5 intra se furens hostis (intra castra sua) ii, 111
Intratæ Galliæ (cum exercitu infesto) ii, 39. 105
Introitus prima parte (sub primum ingressum) ii, 102
Intuebantur magis voluntatem peccandi (rationem habebant) ii, 8
Invectus Urbem curru ii, 30 (cf. Ingredi). invectus est in conjurationem ii, 35
Invenire: inventus inter solitudines avias (comprehensus) ii, 55 invenit Sylla proscriptionis malum (inventor fuit) ii, 28
Invictus labore, vigilia, periculo (non fractus) ii, 79 invictum par consulum (in comitiis a competitoribus: cf. Pompeius) ii, 46
Invidere (dicuntur) Dii operibus ac fortunæ (hominum nimium felicium, et mutare eorum fortunam) i, 10
Invidia Pompeii (erga P.) ii, 34 imperii (de imperio) i, 12 Sic ii, 47 facti (odium ex facto) ii, 47 Sic ii, 44. 64 (æmulatio) accendit imitationem i, 17 assidua eminentis fortunæ comes, altissimisque adhæret i, 9 (cf. ii, 40). invidia prosequi ii, 92
Invidiosa fortuna (invidiæ obnoxia) ii, 60
Invidiosius (majori cum indignatione civium) nemo expulsus est ii, 45
Inviolatus (impunitus) ii, 25 exercitus (damno non affectus) ii, 107
Invitamentum sceleris (ad scelus) ii, 67 (cf. ii, 66)
Invitare luxuriam (excitare) ii, 129
Inutilis alienæ victoriæ comes (socius victoriæ parandæ noxius) ii, 80 inutili exemplo (pernicioso) ii, 47
Joci militares (iique inconditi, triumphantem acerbe perstringentes) ii, 67
Ipse se interemit ii, 24. 71 se ipsa transfixit ii, 26
Ire: ut ad saga iretur (ut ex SCto, uti fiebat, habitus militaris sumeretur, omnesque cives ad subitos casus in procinctu essent) ii, 16 ad arma item est ii, 48
Irritus consilii (frustratus consilio irrito facto) ii, 63
Is: P. Scipio Nasica—P. Africani patrui, is privatusque cet. ii, 3 Aristonicus, qui—occupaverat, is victus cet. ii, 4 id nominis i, 3 (cf. ii, 4. 30). eo (ob id) feroces ii, 115 (cf. ii, 113). paternis, id est, Ponticis finibus ii, 23 (cf. ii, 63. 48)
Ita—ut (in tantum modum, ut) i, 17. ii, 112 (ea conditione, ut) ii, 20 (ea fortuna) ii, 23 ita, ut (tali mortis genere) ii, 4 ita—tanquam (tanta cura) ii, 114
Iter destinatum petere ii, 82 laboriosum ii, 113 per avia itinerum ii, 75 cum difficultate itinerum ii, 54
Iterum: semel—iterum—tertio ii, 38
Judex causas audit ii, 129 optimus, eorum, quæ agebat (arbiter) ii, 113 inter judices lectus ii, 76
Judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem Cotta partitus est ii, 32 (cf. Judicia et Ordo). non judicari parem (haberi) ii, 121 (cf. Par)
Judicium petulantis convicii histrioni redditur (agendi coram judice, convicii causa, potestas datur) ii, 28 judicia publica (pro, judicibus, judiciis publicis, h. e. crimina in remp. persequentibus, populi loco, qui olim ea exercebat, lectis) ii, 7. 8 judicia (judicum talium munus) ii, 116. 13 (cf. ii, 32)
Jugum certum recepit Sardinia ii, 38 Alpium juga (tractus) ii, 109
Junxit Domitium Antonio (socium fecit) ii, 76 (cf. ii, 63) exercitum sibi junxerat (ad se traxerat) ii, 80 quo minus castris Pompeii sua jungeret (castra conferret, proxime opponeret) ii, 51 Italia confinio Nauporti et Tergestis Pannoniis et Delmatis juncta ii, 110 junctum vehiculum (equis) ii, 114 jungens consularem prætextam prætoriæ (ex prætore Cos. factus) ii, 65 (cf. ii, 92). consilio belli bellum junxit (continuo executus est consilia) ii, 110 (cf. ii, 79. 118)
Jus civitatis Rom. ii, 118 in civitatis jus recipi ii, 15 juris (civitatis) communio i, 14. ii, 48 jus equestris consequens gradus ii, 118 quæstor cum

jure (potestate) prætorio ii, 45 ut æquum ei jus (imperium proconsulare) in omnibus provinciis exercitibusque esset ii, 121 ultimus juris sui regum (Rom. imperio non obnoxiorum) ii, 40 legiones sui juris fecerat (potitus erat, imperio subjecerat) ii, 69. 109 jus vi obrutum (jura civium) ii, 3 jure (dicendo) mulceri posse, qui gladiis domari non poterant ii, 117 divini humanique juris auctor (de jure universo, et circa res sacras et profanas respondens) ii, 26

Justa volumina (satis prolixa, scl. pro rerum amplitudine) ii, 48. 114. 119 Sic ii, 89. 103 justus exercitus ii, 61 justissimus triumphus (meritus optimo jure) ii, 47 Sic ii, 64 (cf. Candor). justissimus (æquissimus) ii, 48. 25 (cf. ii, 25). justo ferocior (quam par erat) ii, 49

Justissime usurpare nomen ii, 27

Justitiam habere (cf. Habere) ii, 35

Juvare onera principis (levare) ii, 128

Juventus (homines vigentis ætatis) i, 4. ii, 1. 27 ferox tot millium servitutem minata Italiæ ii, 114. (exercitus) ii, 106. 107. 114

L.

Laboriosum iter ii, 113

Laboris (ex negotiis agendis) capacissimus ii, 127 labore circa Piræei portus munitiones (expugnandas) expleto ii, 23 labores periculaque (belli) ii, 122

Laceraverat reip. membra longa armorum series (discordia bellorum civilium et discidio corpus reip. h. e. civitatem dissolverat) ii, 90 lacerantes rempublicam (turbis et seditionibus violare remp.) ii, 12 lacerat pestilentia exercitum (imminuit) ii, 21 laceravit ventus classem ii, 79 lacerabat Canutius Antonium continua rabie (acerbis et mordacibus conviciis vulnerabat) ii, 64 hoc triennium doloribus laceravit animum ejus (excruciavit) ii, 130

Lacerna (vestis cucullata crassior, ad arcendum frigus et pluviam) ii, 70. 80

Lacinia togæ lævo brachio circumdata (cinctu scl. Gabino, quo, dextra exerta, ita in tergum rejiciebatur, ut pars infima, brachio ac lateri circumvoluta, ad pectus attraheretur) ii, 8

Lacrymæ gaudio elicitæ ii, 104

Lætus animi atque ingenii (felicis animi et ingenii indolis) ii, 98 nocturnæ expeditionis (expeditione n.) ii, 42 lætus victoria ii, 115 lætissimæ severitatis vir (gratæ) ii, 127

Lævum navium cornu ii, 85 ad lævam (occidentem versus) Germaniam habebat ii, 109

Latere (obscurari) nunc virtute eminet, patria *** latet ii, 26

Latrocinia (expeditiones furtivæ, prædæ, non belli inferendi, causa factæ) ii, 31. 90. 126

Latus maris Pontici (terræ ei circumjacentes) ii, 101

Laudare (probare) ii, 49. 57 audita visis laudamus libentius (præferimus) ii, 92 laudandum Cæsarem censebat (scl. senatus decretis) ii, 62

Laute (eleganter) abutens otio ii, 105

Laxior domus ii, 81

Legatio (munus legati) ii, 17

Legatus Cæsaris (pro prætore, in provinciis Imperatoris) ii, 98. 97. 105

Legerant caput imperii sui Corfinium ii, 16 lectus ab eo socer ii, 54 inter judices ii, 76 senatus ii, 89 recta legere (causam meliorem et justiorem amplecti) ii, 88

Legionariæ cohortes (e civibus Rom.) ii, 5

Legionum modum magnum effecerat ii, 73 prævalidæ legiones ii, 69 legiones, quæ cum Cornificio erant ii, 79* (cf. ii, 50). Latinæ, avi sui (pro copiis) i, 8

Lenis (clemens) ii, 25 lenissimus (non severus) ii, 98

Lenitas ducis (clementia victoris) ii, 86 mores vigore ac lenitate temperatissimi (remissior et mollior vitæ ratio) ii, 96 lenitatem suadentes (in puniendo scl.) ii, 35

Leporis Latini facetiæ i, 17 (cf. Facetiæ)

Levat invidiam persona (minuit) ii, 31

Levatio periculi (a Livia, quæ afflictis perfugium fuit, præstita) ii, 130

Libelli nuntiantes conjurationem ii, 57

Libera civitas, respublica (in qua cives pares jure sunt) ii, 18. 29. 32.

Liberalia studia (disciplinæ, artes l. quibus imbuuntur ingenui, eloquentia, poësis, historia, philosophia) i, 13. ii, 59

Liberaliter (sumtuose) abuti otio ii, 105

Liberavit terrarum orbem inexsuperabili (prædonum) manu ii, 32 liberarat Cyzicum (scl. obsidione) ii, 33 (cf. ii, 61)

Libertas publica (liberæ reip. forma) ii,

40 libertatis fine mulctata Creta (servitute mulctata est a populo Rom., sui juris esse desiit) ii, 38 (cf. ii, 118). magna cum libertate (dicendi) ii, 71 (cf. ii, 68)
Libertinus miles (ex libertinis) ii, 111
Libertorum suorum libertus (libertis suis addictus et cliens) ii, 72
Libido (impudica) ii, 48. 100
Librarius (scriba) ii, 88
Licentia immodica crudelitatis ii, 28 licentia gladiorum (cædes licenter et sine metu factæ) ii, 22 quæ licentia aluntur vitia (infrænata libidine) ii, 82 peccandi licentia (impunitate et nimia libertate) metiebatur magnitudinem suam ii, 100
pro Licito vindicans, quicquid liberet ii, 100
Limæ plus (plus studii opera sua perpoliendi) in illis fuisse videtur ii, 9
Limites (aggeres, quibus Romanorum fines contra barbaros muniebantur) ii, 120
ad Liquidum (ad indubitatam certitudinem) nondum perducta res i, 16
Lis cum ei HS. XVIII. millibus æstimaretur ii, 8
Literis publicis descripta pecunia (tabulis rationum) ii, 27 literarum usus (artium familiaritas) ii, 110
Locare tabulas ac statuas in Italiam portandas (mercede pacta addicere) i, 13
Locus (occasio) defuisset fortunæ destruendi ejus ii, 48 ubi negotia fecissent locum otio (n. peracta concessissent otium) ii, 105 nec secundo (indici) locus relictus (secundus i. calamitate ipsa occupatus est) ii, 118 magnum inter hos ipsos faciens operi suo locum (opera horum operibus æquiparanda edens) ii, 9 locum ministri habuit mediocritas nostra (dignitatem) ii, 111 loco extremo natus ii, 11. 128 loco XXXIII. ab Nino natus (tricesimus tertius a N.) i, 6
Longum est narrare ii, 42 in longum duravit pugnandi constantia ii, 85
Longe antequam dimicaretur ii, 84 hic longius a temporibus belli Treici abfuit i, 5
Loqui pro aliquo (causam alicujus agere) ii, 109
Lucem (vitam) solicitam rapuisti Ciceroni ii, 66
Luctatio (certamen, contentio) civilis pugnantis cum Cæsare senatus populique R. ii, 124
Luctatus secum (dubitans, deliberans) ii, 63. 86 cum difficultate locorum et cum vi hostium (contra nisus) ii, 115
ad Ludibrium Antonii (ludibrio habens) moriturus ii, 71
Ludicrum certamen Olympiorum i, 8 athletarum certaminis ludicrum ii, 123
Ludus gladiatorius ii, 30 (cf. Gladiatorius)
Ludos instituit i, 8 facere i, 8. ii, 79
Luere meritas pœnas utrique imperatorum (in vindictam utriusque) ii, 54 publicam violationem fidei non debere unius lui (expiari) sanguine ii, 1
Lumen alterum Rom. imperii effossum (princeps alter infractus viribus) ii, 52 alterum reip. lumen ii, 99
Lupercalibus sedens (spectatum Lupercalia) ii, 56
Lupi, raptores Italicæ libertatis ii, 27 (i. e. Romani, per convicium dicti)
Luxuria profusa in ædificiis, convictibus et apparatibus ii, 33 quod facere aut pati turpiter posset fœmina luxuria (per luxuriam, i. e. vitam dissolutam) ii, 100
Luxuriosus (sumtuosus et dissolutus) ii, 105
Literis publicis descripta pecunia (tabulis rationum) ii, 27 literarum usus (artium familiaritas) ii, 110

M.

Macerata pars exercitus (scl. fame) ii, 112
Magi (divinandi artis periti) e notis corporis respondent ii, 24
Magis (pro potius) i, 11
Magnifica prælia (illustres victoriæ) ii, 28 magnificum animi temperamentum (magnum) ii, 130
Magnifice conata executus (fortissime) ii, 29
Magnificentia (splendor) triumphorum, munerum ii, 89 (splendor ædificiorum sumtuosus) i, 11. ii, 1
Magnificentius nihil illa victoria fuit ii, 52 magnificentissimus triumphus ii, 40. 120 magnificentissimum munus ædilitatis ii, 93 (cf. ii, 56. 100). magnificentissimas res gessit ii, 29
Magnitudo operis (amplitudo) i, 5 Sic: cogitationum ii, 41 Pompeii (ex honoribus, imperiis extraordinariis et rerum gestarum gloria) ii, 29. 48. Talis et Augusti ii, 36
Magnus (pro Pompeio) ii, 44. 47 magnum et atrox prælium ii, 21 suo et civium voto major ii, 40 homine major existimabatur ii, 31 majorem (for-

tiorem) senatu pro rep. animum habuit ii, 61 major spes (certior) ii, 21 imperio maximus, exemplo major Princeps ii, 126 majora (commoda, scl. senatui) permittere ii, 13 in quo hoc maximum est (scl. ad laudem) i, 5 quod vel maximum est (scl. ad consilium clam aufugiendi) ii, 41
Majestas (gravitas, et auctoritas) senatui restituta ii, 89. 126 Scipionis (Afr. maj. magnitudo, amplitudo, cf. ii, 29) i, 10 (Imperatoris) ii, 124 majestas (pro, Imperatore) ii, 99. 129
Male cohærens concordia (h. e. vix c.) ii, 47 ex male dissimulato ii, 109 (cf. Dissimulare)
Mali (opp. Boni, qd. cf.) ii, 124. 126
Malum (bellum Italicum) ii, 15 malo suo felix (in malum s.) i, 6 malo publico facundus ii, 48
Mancipium Ægyptium (Pothinus eunuchus, apud Ptolemæum nimis potens) ii, 53
Manere in pacis fœdere (persistere) ii, 77. 16 belli manebant reliquiæ (restabant) ii, 17. 114 mansit custodia patrii ritus (duravit) i, 4 Sic i, 8. 12. 66
Manubiæ (omnino, præda) ii, 40. 56
Manum morituro commodare (ad vulnus infligendum) ii, 70 contingere manum Cæsaris (salutandi causa) ii, 104. 107 manum imponere ultimam bello (cf. Imponere). manum injicere (cf. Injicere). manu miles ii, 18 manu promtus ii, 73 manu fortis (pugnando) ii, 118 (cf. Miles). exercitus manu (pugnandi fortitudine) inter Rom. milites princeps ii, 119 quod erat in manibus bellum ii, 24
Marcebant omnia (viribus exhaustis inopia) ii, 84
Marcor ducis (torpor, segnities) ii, 119
Mare in terras suffossis montibus receptum (in piscinas) ii, 33 maris recessus (sinus, latebræ) ii, 32
Maritimæ rei scientia (h. e. navium regundarum) ii, 79
Mars Gradive ii, 131 plus quam dubio Marte (cum eventus prælii infelix esset) ii, 55 multo varioque Marte (multis et variæ fortunæ bellis) ii, 90
ex Materia (arbore) cavatus alveus ii, 107 materia, in qua quis elaborat excellere i, 17. ii, 62. (occasio) ii, 116 operis justi materia (argumenti operis amplitudo) ii, 89 nec vituperaturum materia deficiat (copia) ii, 101
Matura virtus (mature adhibita) ii, 79 maturus (qui togam virilem sumsit) ii, 99
Maturitas imperatoris (prudentia ad perfectionem perducta) ii, 125
Maxime in Annalibus retulit ii, 16 (h. e. inprimis)
Medicamentis serpentem abstrusam terræ egredi coëgit (venenis objectis, quæ expellunt serpentem e latebris) ii, 129
Mediocris (opp. summo viro) ii, 22
Mediocritas nostra (Sic de se Velleius submisse loquitur, v. Captu) ii, 104. 111 mediocritas hominum (humilis conditio, imbecillitas) ii, 130
Medium pignus concordiæ (intermedium, continens concordiam) ii, 47 in medio relinquemus (in incerto) ii, 48 medius animo (fluctuans, suspensus) i, 9 dubium mediumque partibus se præstitit ii, 21 agebat medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis (medium tenuit inter d. etc.) ii, 114. 67 medius (mediocris) ii, 29. 67
Mehercules ii, 83
Melior (justior) causa ii, 49. 84 melior pars equestris ordinis (cum optimatibus de rep. sentiens) ii, 3 melior (utilior) in toga ii, 125 nec melior ei res familiaris, quam mens ii, 91 (cf. ii, 68)
Membra reip. (cf. Lacerare) ii, 90
Memoria Antonii (apud posteros) ii, 64. 24 mandare memoriæ, per literas ii, 8. i, 15. ii, 112 tempestas memoria horrenda (h. e. horrorem, vel dum literis traditur, movens) ii, 100 multum atavi mei tribuendum est memoriæ (servandæ) ii, 16 vivet per omnem sæculorum memoriam (famam) ii, 66 (cf. ii, 88). felicitatem diei perpetua ludorum Circensium honoravit memoria (monumento) ii, 27
Mentio nulla habita Cæsaris (honore ornandi) ii, 62 jacta conditionum ii, 65
Mentitus (qui simulavit) regiæ stirpis originem ii, 4 (cf. i, 11)
Mercatus Olympiorum i, 8
Merces quisque periculi sui (remuneravit scl. proscriptus interfectorem suum, bonis suis, a proscribentibus ei promissis) ii, 22. 28 bella inita, prout eorum merces fuit (pro utilitatis, inde enascentis, modo) ii, 3 mercedem oris et capitis abscisi numerando ii, 66 (cf. ii, 6)

Meret exercitus (stipendia) ii, 109 meruit (peperit sibi, ut cet.) appellari poëta i, 5 cognomen ii, 5. 11. 15 (cf. i, 13). insigne coronæ classicæ ii, 81 honores ii, 116 ornamenta triumphalia, ibid. triumphos ii, 122 quid hic meruit, ut cet. (quamnam culpam contraxit, ut etc.) ii, 130 merita pœna ii, 23. 54
Mereri (dignum esse) ii, 104. 45. 80
Meridiano quicquid finitur (scl. circulo, h. e. meridie) ii, 126
Meritum (beneficium) ii, 86. 118 non merito, (non virtute, qua mererе poterat,) sed materia adipiscendi triumphalia defectus est ii, 116
Merito (culpa hominis) accidit ii, 118
Mersit partem classis ii, 42 scelerum conscientia mersus (oppressus) ii, 91
Metiebatur fortunæ suæ magnitudinem peccandi licentia (æstimabat) ii, 100 se magnitudine sua, non fiducia ducis, metiens (vires suas æstimans ex virtute sua magna, non ex superbia, qua hostis eum contemnebat) ii, 120 (cf. Infra)
Metus (metuendum): in quo (tempore) fuit plurimum metus ii, 123 metu finium suorum (quibus imminebat hostis) ii, 113 metu suo (de se) ii, 42 metu nullo (minis) compelli potuit ii, 41 repulso externo metu (periculo belli externi) ii, 24 recessit metus ii, 62
Migrare de vita i, 11
Miles manu, (strenuus manu propria pugnando) dux consiliis ii, 18 miles (stipendia faciens, vel præfecti gradu) ii, 104 conquirendus potius miles, quam dimittendus i, 15 ex censu libertinum dare militem ii, 111
Militare (stipendia facere) ii, 120. 9. 125
Militaris tumultus ii, 125 rerum militarium prudentia ii, 29 m. officia (munia militiæ et belli) ii, 105 militares coloniæ i, 14 (cf. Ind. Rer.)
Militia cum aliquo acta ii, 129 equestris (in equitatu) ii, 111 finem militiæ sibi constituere ii, 125 militia (expeditiones ducis belli) ii, 5. 40. 120. 122. (Omnino, expeditiones bellicæ) ii, 117
Milliarium (bellum) ii, 106 (Rom. æquat ⅛ Mill. geogr.)
Minabatur militiam Cimbricam Teutonicamque Italiæ ii, 120 juventus servitutem minata Italiæ ii, 114
Minister alienæ potentiæ (qui operam suam præstat ad p. aliorum evehendam) ii, 33 (cf. ii, 83). ministri speciosi locus ii, 111 ministro et adjutore usus Druso ii, 129 ministri Syllæ adjutoresque partium (emissarii) ii, 41
Ministerium (curatio negotii publici sine exercitus imperio) ii, 38. 45. 93. 116
Minor (inferior) ii, 36 minoris (ignobilioris) nominis utriusque ordinis viri ii, 100 ut minoribus (commodis) perceptis, majora permitteret ii, 13 nec minora (æque magnos honores) consequi potuit ii, 88
Mirari ut neminem possis (pro magno oratore habere) i, 17
Miscere omnia armis tumultuque (turbare) ii, 74 Sic: summa imis ii, 2 cum non partibus ejus se miscuisset (ad eas transiisset) ii, 86
Misericordia (clementia, venia) ii, 52. 71
Mitescit feritas (emollitur) ii, 118
Mittitur ad Germaniam (scl. in bellum) ii, 120 ii quos Opimius miserat (emissarii) ii, 6
Mobilis (inconstans, mutabilis) i, 17. ii, 108
Moderatior annona (moderationis pretii) ii, 126
Moderator juventæ filii Augusti ii, 102
Moderatus est difficultatem (levavit caritatem) annonæ, ac rei frumentariæ inopiam ii, 94
Modestissimus in toga civis (nihil potentiæ sibi arrogans) ii, 29
Modicus virium i, 12
cui Modo (nuper) ad victoriam terra defuerat ii, 53
Modus pecuniæ (magnitudo) i, 9 (cf. ii, 22. 8). virium ii, 96 stipendii (finis militiæ) ii, 125 (cf. ii, 47. 40. 86). modus operis ii, 29 scripturæ ii, 52 magnus modus (numerus) legionum ii, 73 modus civilis dignitatis (dignitas civilem modum non excedens) ii, 7 qui modum in voluntate habent (qui terminum imperiis suis ex arbitrio suo constituunt) ii, 31 modum non nosse in concupiscenda pecunia et gloria ii, 46 dicendi neque faciendi ii, 45 laborum periculorumque excessit modum ii, 122 gentes in pristinum pacis redegit modum (legem, normam) ii, 98 Sic: imperium magistratuum ad pristinum redactum modum ii, 89 libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum (liberam remp. eversurum) ii, 40 victoriæ suæ facere modum (mo-

derunter uti victoria) ii, 86 rotæ pronive gurgitis modo (instar) i, 16
Moles mari injectæ (aggeres ex ingentibus saxis et materia mari injectis) ii, 33 belli moles ii, 79. 95. 97 quantæ molis bellum ii, 129. 121 onerum moles ii, 114 moles (ambitus) imperii Rom. ii, 131
Moliri ædem (extruere) i, 11. ii, 130 porticus ii, 8. 1 moliri (scl. animo et actu) ii, 13. 14. 26 in animo moliens ii, 46 nova (turbas et rebellionem movens) ii, 129
Mollire dissensiones (sedare motus, mitigando animos) ii, 121
Mollissima dulcedo carminum (scl. ex leniori spiritu et sono) i, 7
Mollitiis fluens (voluptatibus effœminatus) i, 6. ii, 88
Momentis provincias concusserat (h. e. motibus) ii, 78 (cf. i, 3)
Monumentum (quodcunque memoriam alicujus servat, ut urbes et terræ devictæ) i, 12. ii, 38. 40 monumenta Marii ii, 43 (vid. Jul. Cæsar.) in iis ipsis monumentis ædem molitus (inter porticus Metelli) i, 11
Mora difficilis in perfecto est (difficile est, in summa perfectione consistere) i, 17 conceptæ spei hominibus difficilis (molesta est mora rerum speratarum) ii, 67 ea patrando bello mora fuit (moram attulit) ii, 79 causa et persona moram exigit (ut scriptor moretur in iis) ii, 117 nihil in mora habuit, quo minus, cet. ii, 51 (non moratus est)
Morari in re (de scriptore) i, 7. ii, 41 morandi in imperiis cupiditas (retinendi imperium belli) ii, 11 moratus erat milites (inhibuit militum manus) facundia sua ii, 22.—(moram inferre) ii, 50. 80. 110 patria eum non morata in Urbe (cohibuit) ii, 104 moratus est exercitum (cohibuit in castris) ii, 118
Morbo (vitio insito vel inveterato) proditor ii, 88
Mori: quem moriturum (in certam mortem) miserat militem ii, 5 ad ludibrium Antonii moriturus (supplicium subiturus) ii, 71 (cf. Ludibrium)
Mortalis (i. e. hominum) conditio ii, 2. 104 (cf. ii, 97). functus longissima statione mortali (vita humana) ii, 131 mortales multos cepit ii, 42
Mortem seu fatalem (ii, 49) seu conflatam insidiis obiit ii, 4 vitam immatura morte finivit ii, 8 mortem (supplicii) dignissimam vita sua obiit ii, 91 Sic ii, 87 in mortem dimicabatur ii, 85 velut ad certam mortem eundum foret ii, 5 fraternæ mortis (necis) vindicandæ gratia ii, 6 Sic ii, 119
Mos: moris antiquissimi vir ii, 116 Pompeio moris erat ii, 37 (cf. ii, 40). belli more, non latrociniorum ii, 31 morum dulcedo ac suavitas ii, 97 moribus quietus ii, 117
Motus imbecillitatis (qd. cf.) ii, 123 sub motum nostrarum navium ii, 107 motibus magnis concussa Græcia (tumultu ex migrationibus) i, 3
Movens in Urbe seditionem, at in agris occulte bellicum tumultum ii, 68 senatu motus est a censoribus i, 10 qui possum moveri (perterreri) vestro clamore, quorum, cet. ii, 4
Mucro gladii ii, 70
Mulcatum male cornu (gravi cæde afflictum) ii, 70
Mulcere verbis (mitigare animum) ii, 85 jure mulcere (feritatem exuere) ii, 117 (cf. Jus)
Mulctavit morte ii, 12 pecunia et parte navium (victos bello) ii, 23. 37 Creta longissimæ libertatis fine mulctata ii, 38
Muliebris metus (qui mulieris est) ii, 87 muliebris fuga (quæ decet mulierem) ii, 76 nihil muliebre præter corpus gerens ii, 74
Multiplex virtutibus (multiplici virtute præditus) ii, 105 multiplices Piræei portus munitiones ii, 23
Multiplicati consulatus (continuati per complures annos) ii, 12
Multitudo immensa et incondita ii, 14. (plebs) ii, 13 uter cum parte multitudinis (hominum abundantium) patria decederet i, 1. (exercitus) ii, 110
Munia ducis obire ii, 70
Munificentia (liberalitas) ii, 41. 120 singulari extructum templum Apollinis (magnis sumtibus) ii, 81 (cf. ii, 130)
Munimenta (obsidentium) ii, 51 (cf. Complecti)
Munit præsidia (firmat p. castrorum) ii, 120 corpus suum custodia munivit ii, 109 utilitatem auctoritate munire (utilissimos viros vi et potestate data futari) ii, 127
Munus: hoc munere (dono agrorum colonis assignandorum) vacaverunt decem anni i, 14 munus ædilitatis editum (spectacula) ii, 93 (cf. ii, 56. 100. 89). munera theatri aliorumque

operum perfecta a Pompeio (ædificia, Pompeii sumtibus in munus civitati extructa) ii, 48 (cf. ii, 130)
Mutavit Cumanos Osca vicinia (exuit patrios mores et linguam) i, 4 mutata (deposita) veste ii, 41 (cf. i, 2) fortuna (scl. se) mutavit in Cæsare (erga Cæsarem) ii, 82
Mutationes fortunæ ii, 75

N.

Nam (adversative) ii, 9. 71. 76. 89
Narrare aliquem (ejus ingenium et mores describere) ii, 29 (cf. Fama)
Natio (pars gentis, populus, quem gens cum aliis complectitur) ii, 38. 98
Natura (dotes ingenii) ii, 2 (animi indoles insita) ii, 68. 69
Naturalis (natura insita) nobilitatis superbia ii, 11 avus (genitura, non adoptione) ii, 112 hæc naturalis exempli imitatio (quam natura exemplorum suadebat) ii, 128
Naturaliter (pro rei natura) i, 17 (ex natura hominum) ii, 92 naturaliter dissimillimi (ob ingenii naturam) ii, 60
Natus extremo loco ii, 11. 128 equestri genere ii, 88 ad omnia quæ recte facienda sunt (a natura formatus) ii, 129 natum mendacio genus ii, 118 (cf. Genitus)
Navalis triumphus (ex navali victoria) i, 9
Navem ingredi ii, 43 navium motus ii, 107 navium præsidium ii, 32 ædificare naves ii, 79
Navus vir (impiger, strenuus) ii, 105 nava virilique opera ii, 120 (Inde)
Nave pleraque egit Germanicus ii, 125
Ne (enclitica, pro an, omisso antecedente, utrum) ii, 40. 90
Nec (et non) ii, 88 nec non ii, 95 nec—neque ii, 124
Necessaria (perficienda necessario) gloriosis præposita ii, 110 usu necessarium (viri, quorum opera resp. carere nequit) ii, 127
Nefas est integritatem Catonis laudari (laus C. injuria est ei illata a dubitante de ejus) i, 2. 45 quem vincere nefas esset (impium, ob magnitudinem, Deorum similem) ii, 37
Negotium (militare) ii, 125. 129 a negotiis (ab industria in negotiis) in otium conversa civitas ii, 1 (cf. Otium, et Locus)
Neque (et non) ii, 83 neque—nec ii, 47 neque—et—non ii, 113
Nequitia (lascivia, libido) ii, 100
Nescias, in hoc viro utrum magis mireris ii, 122 viro, nescias, utiliore in castris, an meliore in toga ii, 125
Nihil: ne nihil non optimo civi periret (ut omnia ei perissent) ii, 116
Nimirum (profecto) i, 11. ii, 23
Nimius vir liberæ reip. (gravis nec tolerabilis ob nimiam potentiam) ii, 32 et hoc sane nimium fuit ii, 40 (incivile)
in quo Nitamur (scl. excellere) conquirimus i, 17
Nituerunt (viguerunt) Latini leporis facetiæ i, 17 (cf. ii, 9)
Nobilis homo (patricius) ii, 45 vir ii, 48 familia ii, 17. 41. 117 nobilior animo, quam gente ii, 112 quod optimum sit, esse nobilissimum (nobilitatum honoribus et dignitate) ii, 128 (In ceteris locis est pro, clarus)
Nobilitaverat novitatem suam rebus gestis (se novum hominem clarum fecerat) ii, 96
Nomen usurpare i, 8. ii, 27 nominis species i, 10 nunquam reginam, nisi nomine, (scl. proprio) salutavit ii, 84 ante meritis ac virtutibus, quam nomine, Cæsar (ante adoptionem ob merita Cæsaris nomine dignus et Augusti filius habitus) ii, 104 adiri (assumi ab Octaviano) nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris (ex adoptione per testamentum, cum invidiosi fastigii Cæsaris memoriam servet) ii, 60.—(pro gente) ii, 1. 21. 34. 100. 114.—(pro populo) nomen Rom. auctum communione juris (civitatis) i, 14 (cf. i, 6. 131. 30. 53).—(pro homine ipso) ii, 94. 114 magni nominis (C. et L. Cæsarum) spem subduxerat Fortuna ii, 103. 94 nomen Augusti (Augustus) ii, 124 suo suorumque nomine extruxit opera ii, 130 nihil præter nomen (titulum) imperatoris retinens ii, 40.—(pro nominis fama) nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique vivebat nomine ii, 54 Sic: ii, 12. 26. 55. 80. quo nomine (qua de causa) mirari convenit i, 3 Sic: i, 5. 17. ii, 20. 104
Nominatis coloniis ii, 74 quem nominaverat IIIvirum ii, 6 (cf. ii, 2)
Notæ corporis (habitus et lineamenta) ii, 24 temporum i, 17 (cf. Insistere). memoriæ Antonii inussit notas (ignominia notavit apud posteros) ii, 64

Noverca quorum Italia est (cives non genuini, colluvies hominum factiosis venalium) ii, 4
Novitatis nobilissimæ vir (nobilissimus novorum hominum) ii, 34
Novus Liber Pater (quem se fecerat Antonius) ii, 82 nova (insolens) salutationis quædam exultatio ii, 104 novi cives (recens recepti in civitatem) ii, 20 novum ducem, novum statum, novam remp. quærebant (i. e. commutata hæc omnia) ii, 125 auctores novarum pessimarumque rerum (turbarum) ii, 19 Sic: nova moliens ii, 129
Noxia (culpa) i, 12
Noxii (perfugæ et proditores) ii, 23 (seditiosi milites) ii, 125
Nuda fuga (amisso exercitu) ii, 61
Numerando mercedem capitis abscisi (repræsentando numerata pecunia) ii, 66
Numerus (multitudo) suus ita placebat barbaris ii, 112 (cf. ii, 20. 80). fugitivos in numerum exercitus recipiens ii, 73 arctata numero felicitas familiæ (angustior exiguo numero hominum ejus familiæ) ii, 10
Numen: quæ vestrum numen (vos tanquam deos) colat ii, 107
Nunc—nunc (modo—modo) ii, 2. 62. 79

O.

Objicere (exprobrare) ii, 33. 83. 95
Obire (peragrare) provincias ii, 74. 101 morte voluntaria ii, 87 conata obiit, (aggressus est exequi) ii, 35 obibat munia ducis (fungebatur officio ducis) ii, 70 prætura quæsturaque obita in Hispania ii, 43
Oblivionis præteritarum rerum exemplum et decretum ii, 58 (cf. Ind. Rer. v. Amnestia)
Obnitens repugnaverat ii, 89 qui Paulli triumphum impedire (ut impedirent) obniterentur i, 9 obnitente (contra morbum) vi animi ii, 128
Obruerat Vatinium dignatione (obscuraverat) ii, 69 Sic ii, 92. jus vi obrutum (oppressum, obtritum) ii, 3
Obscurissimis initiis natus ii, 76
Obsiderunt Italiam Cinnanæ Marianæque partes (armis oppressam tenuerunt) ii, 24 (cf. ii, 23). militum gladiis, quibus obsessus (circumdatus) erat, obsidentes (circumstantes, et gladiis minantes) coërcuit ii, 125
Obsidione et munimentis complecti aliquem ii, 51
Obsistentes (viam occludentes) ii, 115
Obsitæ situ justitia, æquitas, cet. (neglectæ, quæ in desuetudinem venerant) ii, 126
Obstabant jam fata consiliis (impediebant consilia) ii, 118 Sic ii, 127. ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis (ne eminentia s. juvenibus, prima experimenta virtutis dantibus, viam inclarescendi occluderet) ii, 99
Obstructæ hyeme Alpes ii, 105
Obtinent (tenent) Africam Pompeiani exercitus ii, 55 Sic ii, 43. qui obtinebat Asiam proconsul ii, 42 (cf. ii, 125. 78). Pelopis progenies Peloponnesi imperium obtinuerat i, 2 (cf. i, 6). auctoritas, quæ sentiebat, obtinendi (vis proposita consequendi) ii, 125
Obtrectabant (adversabantur) multi ejus actis ii, 44
Obvenit sorte Syllæ Asia provincia ii, 18
Obvium habuit regem ii, 82
Occasio victoriæ (reportandæ) ii, 115 segnitia ducis in occasionem sceleris usus (segnitiam d. opportunam ad insidias Romanorum legionibus struendas habens) ii, 118
Occubuisse (cecidisse) concurrentem mutuis ictibus cum Telesino ii, 27
Occupavit (cepit sedem) regnum Macedoniæ Caranus i, 6 (cf. i, 3. 4). occupare colonis i, 4. 14 occupare provincias (armis) ii, 60. 62 (cf. ii, 23. 112). occupavere Capitolium Brutus et Cassius (armorum præsidio) ii, 58 Sic ii, 112. occupare exercitum (arripere sibi imperium ejus) ii, 24 Sic ii, 62. 72. occupatum (interceptum) ab Antonio, depositum (aurum) a Cæsare ii, 60 Sic ii, 120. non ut ab eo (vi) occuparetur potentia ii, 29 si is occupandæ reip. (dominationem in ea) animum habuisset ii, 4 idem Caium occupavit furor ii, 6 pactæ ejus,—Hermiones occupaverat nuptias (præripuerat) i, 1 velut occupata materia (prærepta) i, 17 Cæsar incautus ab ingratis occupatus est (ingrati eum præverterunt necare) ii, 57 exercitus ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus (territus ac captus) ii, 50 nimium occupatos dixerim (distractos negotiis) ii, 58 occupato (bellis) duce ii, 117

Occurrit Antonius exercitui (obviam profectus) ii, 61
Oculis, tantummodo eum custodiebant (incuriosi consiliorum ejus tectorum) ii, 41 sub ipsis mœnibus oculisque urbis (in conspectu) ii, 21 Sic ii, 79. 84. patriæ et parentum subducta oculis ii, 100
Odisse hunc felicissimum statum (dicuntur conspirantes in Augustum) ii, 91
Offensiones (contentiones cum offensione) ob tacitas cum Marcello ii, 98
in Offensis (in injuriis acceptis) exorabilis ii, 29
Offerre: cum plurima præsagia atque indicia Dii immortales futuri obtulissent periculi ii, 57
Officium (manus militare) ii, 77. 104 milites optimi imperatoris, imperator fugacissimi functus officio (partes agens) ii, 85 (cf. Militatis)
Olympias prima constituta i, 8
Olympicum i, 10 (v. Ind. Rer.)
Olympiorum ludicrum certamen initium habuit i, 8
Omen imminentis proscriptionis (res, unde augurari licebat proscriptio) ii, 19 proficiscens in Syriam diris cum ominibus (auspiciis) ii, 46
Ominatus est digna ac vera de exitu ejus (ominans prædixit) ii, 71
nec Omisit, quod in manibus erat (bellum) ii, 24
Omnia (scl. opportuna) in altera parte fuere, dux, cet. ii, 85 quam in illo (scl. die) omnia omnibus fuerint (omnium salus reposita f.) ii, 103 omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata ii, 110 omnibus omnium gentium viris ii, 36 in omnia et in omnibus venalis ii, 88 ad omnia (imperata) parens ii, 28 in omnia (per omnia) ii, 13. 97 per omnia ingenio dlis, quam hominibus, propior ii, 35. 130. 91. 33. 40, etc. per omnia omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes ii, 126 semper et in omni re ii, 28
Onus belli ii, 97 onera ordinis (senatorii, v. c. tributa e censu senatorio, incommoda ex legibus, ne senatores negotia equitum exercerent) ii, 28 tantorum onerum moles ii, 114 ad juvanda onera Principis (curas imperii) ii, 128 (cf. ii, 127). onerum (curæ belli) moles ii, 114
Ope (viribus) humana invictus ii, 79
Opera nava virilisque legionum (scl. præstita) ii, 120 opera (ministerio) in eo negotio usus Flacci ii, 129 cum centuriones suam suorumque militum operam (officia) pollicerentur ii, 59 senatorum equitumque Rom. exacta ad id bellum operæ (auxilia pecuniæ in publicum conferendæ) ii, 111
Opes (omnia, quibus quis præpollet, et prævalidus est) ii, 18 privatis opibus (divitiis et gratia) ii, 29
Opinio (metus ex falsa opinione) ejus reditum fecerat favorabilem ii, 40
Opportunitatibus (scl. vincendi) usi ii, 111 (cf. Speculari)
Opposuerunt xc. millia hominum Rom. exercitui (in aciem contra eduxerunt) ii, 30 Lucullus Mithridati oppositus (in bellum adversus M. missus) ii, 33
Oppressus (necatus) i, 1. ii, 40. 68 oppresso Lepido (capitis judicio et supplicio) ii, 88 Sic ii, 91. oppressus Cicero (exilio) ii, 45 oppressa dominatione Antonii civitas (ad parendum ejus libidini adacta) ii, 61 Sic ii, 23. oppressus morbo, ibid. (correptus)
Opprimere fugientes (assequi ex improviso) ii, 50 ingratum et nova molientem oppressit (judicio exuit potestate regia) ii, 129 opprimi (devinci, deleri) ii, 31. 118
Optimates (boni, quod cf.) ii, 3. 20. 40. 47
Optimus (sanctissimus) vir a senatu judicatus ii, 3 optimus quisque ac maximus (optimates) ii, 25. 34. civis (principi addictus) ii, 116 optimus (virtutibus) ii, 26 optimum (usu) ii, 128
Opus: opera (res gestæ) ii, 24.—(expeditio bellica) ii, 93. 109.—(res bello gestæ) i, 10. ii, 112. 116.—(negotia belli) ii, 97.—(labor belli) ii, 69. 111.—(pacis ordinandæ) ii, 117. 89 opera (principis, acta, s. constituta) ii, 123. 124. 126 opera (ædificia) quæ theatro circumdedit Pompeius ii, 48 Sic ii, 130 circumdatam operibus (munitionibus ad expugnandum) Numantiam ii, 4 clari operis (scl. artis vel doctrinæ) capacia ingenia i, 16 (cf. i, 17). opus (poëticum) i, 5. 7. 16. ii, 9. 36 opus (historicum de b.) belli civilis Syllanique ii, 9 opus (Velleii) arctatum ii, 86 operis justi, recisi materia ii, 89 (cf. Justus, Forma). operis sui (oratorii) princeps i, 17 eloquentiæ operibus floruit Attica urbs

i, 18 opere tentatum (re vera susceptum) ii, 106
Opus erat nec bonis, (ad se tuendum) neque contra malos (coërcendos) armis ii, 124
Oraculo veluti emissa vox (scl. augurantis futura) i, 10
Oræ maritimæ præfecerat Sex. Pompeium senatus (h. e. mari et rei navali) ii, 78
Oratio (facultas dicendi) i, 17
Orbis solis (circa solem) curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus ii, 59 (cf. Arcus).—orbis terrarum (proprie) ii, 131 : cf. Fastigium.—(pro imperio Rom.) i, 12. ii, 31. 55. 126.—(Inde) orbis noster i, 2 (et simpliciter) orbis ii, 31. 104 alterum pæne imperio nostro ac suo quærens orbem (novum ultra Oceanum, quasi notus imperio R. et suo angustior sit) ii, 46
Orbus omnibus sensibus i, 5
Ordinare Asiæ Orientisque res ii, 92. 122 provincias (ad certum parendi modum redigere terras) ii, 94
Ordinatio comitiorum, quam manu sua criptam D. Augustus reliquerat ii, 124 (cf. Comitia)
Ordo arborum ii, 43 ordines exercitus (manipuli) ii, 27 primi ordines (primæ centuriæ ductores) ii, 112 ordine (solenni judiciorum ritu) agendo pro tribunali ii, 117 cum ordinem (seriem) actorum suorum commemoraret i, 10 Sic ii, 48. ordo calamitatis ii, 119 ordo et necis et testamenti (h. e. rerum, quæ in nece et testamento Cæsaris acciderunt, series) ii, 59 utriusque ordinis (equestris et senatorii) viri ii, 100 inter utrumque ordinem judicandi munus partitus est (ita, ut equestri ordine plebeius quoque, e quo tribuni ærarii inter judices legebantur, comprehenderetur) ii, 32 ex equestri ordine (h. e. eques adhuc, nondum senator) consul creatus ii, 76 (cf. ii, 30)
sub Oriente provinciæ ii, 94
Orientium juvenum initia ii, 99 (cf. Obstare). ortum malum (bellum primo motum) ab Asculanis ii, 15
Ornamentum amœnitatis (res quæ auget amœnitatem) ii, 81 tantorum nominum ornamentum (gentis suæ decus) ii, 114 ornamentum triumphi captivi duces ii, 40 ornamenta triumphalia ei decreta ii, 104. 10 (cf. Ind. Rer. v. Triumphi insignia)
Ornare Urbem (scl. ædificiis) ii, 89
Os maris Pontici (Bosporus Thracius) ii, 101 in ore atque oculis classis Antoniæ (in conspectu) ii, 84 os cœlestissimum Ciceronis abscisum (caput C. divina eloquentia insigne) ii, 66 cœlesti ore lacerabat Cicero Antonium (eloquentia) ii, 64 oris ardor (oratio ardens) ii, 35 os Pindari illuminavit Thebas (carmina) i, 18 ingenia ore Socratico defluentia i, 16 (cf. Defluere)
Ostendit triumphus victos hostium duces (ob oculos civium duxit) ii, 121 dignitate, quantum cultus ostendebat (prodebat) eminens ii, 107 fortuna ostendebat (patefaciebat) perfugium ii, 72 ostenderat spem auxilii (fecerat) ii, 74 clamitans et ostendens (manu) fugisse Antonium ii, 85 ut superesse sibi vim ac voluntatem resistendi ostenderet (patefaceret, declararet) ii, 109
Ostentat magnitudo mœnium vires veteres earum urbium i, 4
Ostentatio agendi ii, 98
Ostentatum caput pro rostris ii, 19
Otiosis actu simillimus ii, 127
Otium (vitam a negotiis vacuam et mollem) diligere ii, 98 otio fluens ii, 88 abutens ii, 105 otium et quies (vita rustica et pastoricia) i, 7 a negotiis in otium conversa civitas (ad inertiam et mollitiem) ii, 1 (cf. Negotia). otium castrorum (opp. bellicæ militiæ) ii, 117 (cf. ii, 78). otium (secessus et quies a negotiis bellicis) Tiberii (Rhodi) honoratius imperio suo ii, 99 populum Rom. usum dictatoris haud ita in metu desiderasse, ut in otio (pace) timuisse potestatem ii, 28 (cf. ii, 23). cum in otio ac quiete (rep. non perturbata) servari non posset ii, 68
Ovans triumphavit ii, 96. 122

P.

Pacari (domari) ii, 89. 90. 115
Pacta (desponsata) i, 1
Par consulum ii, 46
Par et æqua sui æstimatio (qd. cf.) ii, 97 pari animo (non dissimili voluntate) ii, 62 incepto pari (cum utriusque inceptum par esset) ii, 68 cives jure pares ii, 29 verebatur Pompeius, ne quem haberet parem (honoribus et dignatione) ii, 29 (cf. ii, 33). ut pro pari loquebantur legati Marobodui

(tanquam par esset M. Imperatori R.) ii, 109
